UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Comptoni Carleton, Cantabrigiensis, Societatis Jesu, In Collegio Anglicano Leodiensi Sacræ Theologiæ Professoris, Cvrsvs Philosophicvs Vniversvs

Carleton, Thomas Compton

Antverpiæ, M.DC.XCVII.

Ex Physica.

urn:nbn:de:hbz:466:1-95656

Visual Library

DISPVTATIONES PHYSICÆ.

AUCTORE

R. P. THOMA COMPTONO,

E SOCIETATE JESU.

PROOEMIUM.

Vlâ per implexos Dialecticæ calles laboriosâ exactâ & difficili, ad amœnos tandem Philosophiæ campos, Fortunataſq;, ut ita dicam, naturæ insulas pervenimus, prata haud paulò ijs jucundiora, quæ proximè à tergo reliquimus, ſpinis undique, ut vidimus, ac vepribus circumsepta. In his proinde eò libentius, majoreq; cum voluptate ſpatiabitur animus, quò diutiùs in ſcabroſis illis aſperiſq; locis detentus, ac veluti labyrinthis implicitus, huc dudum aſpirabat, ubi nihil ad oblectamentum animi, veraſq; mentis delicias deſideratur. Hìc nimirum conſonam illam rerum omnium harmoniam cernimus, cauſarum inter ſe ad univerſi fabricam conſenſionem, accidentium ad ſubſtantias, paſſionum ac proprietatum ad eſſentias, partium ad totum ſubordinationem: quæ jucundâ quadam varietate defixos in ſe detinent intuentium animos, rapiuntque in amorem ſui: imò per ramos ad radicem, per rivulos ad fontem, per effectus ad rerum omnium auctorem ac opificem mens conſurgit, & univerſi hujus conditoris, ex ijs, quæ mundo inprimit, ſui veſtigijs, majeſtatem, magnitudinem, potentiam, reliquaſque perfectiones inveſtigat. Eſt ergo humanarum divinarumque rerum indagatrix Philoſophia, *quæ ita hominis animum humi jacentem erigit, optimiſq; diſciplinis, ac veluti quibuſdam è cælo derivatis igniculis imbuit, ut tum demum ſpirare homines cenſerentur, dum auram primò Philoſophicam ducerent. Sed nunc ad rem ipſam accedamus.*

Tum demum ſpirare homines cenſebantur, dum auræ primò philoſophicæ ducerent.

DISPVTATIO PRIMA.

SEU

PROOEMIALIS.

De ijs quæ ad octo horum librorum explicationem præmitti ſolent.

I. *Quid ſit Philoſophia.*

DEfinitio Philoſophiæ ab Ariſtotele deſumpta, & à S. Auguſtino probata ac laudata, eſt, *Philoſophia eſt humanarum divinarumq; rerum cognitio: humanarum*, id eſt earum rerum quæ ex materiali concretione coaleſcunt, ut quæ ſub Phyſicam cadunt. & Mathematicam: *divinarum*, id eſt earum quæ ſupra omnem materialem concretionem ſunt. De prioribus nobis hìc potiſſimùm erit ſermo.

SECTIO I.

Quodnam ſit Objectum hujus ſcientiæ.

I. *Triplex Philoſophiæ diviſio.*

PHiloſophiam latiſſimè ſumptam cum principe ſuo Zenone diviſerunt Stoici in *Rationalem*, quæ eadem eſt cum Dialecticâ; *Moralem* ſeu Ethicam, quæ ad mores ſpectat; & *Naturalem* ſeu phyſicam, cujus hìc objectum inquirimus.

Dico primò: ſubjectum adæquatum *Aggregationis*

Subjectum aggregationis Physicæ est corpus naturale cum omnibus ad illud spectantibus.

nis Physicæ est corpus naturale cum omnibus suis proprietatibus, actionibus, causis horumque contrarijs, & reliquis ad illius cognitionem quoquo modo spectantibus, qualia sunt locus, tempus, vacuum, & reliqua ad naturalem rerum productionem necessaria, illámve impedientia, uno verbo, *Ens physicum*. Quod de contrarijs dixi, notandum, *contrariorum contrariam*, ut ajunt, *vel eandem esse rationem*: unde per se loquendo, ad eandem scientiam spectat tractare de utrisque: sic quia homo ut infirmus spectat ad medicinam, eadem similiter illum etiam considerat ut sanitatem jam utentem.

III. *Subjectum Attributionis est corpus naturale completum.*

Dico secundò: subjectum Attributionis Physicæ, seu octo horum librorum est solum *corpus naturale* completum in communi, constans ex materiâ & forma. Ratio est, quia subjectum Attributionis cujusque scientiæ, ut dixi d.2.Log.s.1. illud est, de quo per se in illâ scientiâ agitur, & ad quod cætera referuntur omnia, de quibus in illâ scientiâ tractatur, sed hoc in Physicâ est corpus naturale, ergo. Minor probatur, de materiâ, formâ & unione, ut de partibus agitur ad illius constitutionem necessarijs, de quantitate, motu, ubicationibus & alijs, ut de proprietatibus illius & passionibus, sicque omnia tandem ad illud ut ad objectũ primarium referuntur.

IV. *Angeli secundariò tantùm spectant ad Physicam.*

Dices; Angelos spectare ad hunc tractatum, qui tamen non constant materiâ & formâ, ergo. Nego majorem, ea enim sola ad hunc tractatum spectant, quorum principia tradit Aristoteles, nempe materia, forma & privatio, sed hæc principia non competunt Angelis, ut constat, ergo. De Angelis ergo solùm agitur in his libris in quantum movent cœlos, & ad productionem rerum naturalium concurrunt, sicque secundariò tantùm, non primariò; qua etiam ratione agitur hîc de Deo tanquam de primâ rerum omnium causâ & motore. Confirmatur, Physica in nulla sui parte agit per se de Angelis, sed eorum tractatio spectat ad Metaphysicam, utpote quæ abstrahit à materia sensibili, cujus contrarium præstat Physica. Unde nec de corpore simplici, seu non constante materiâ & formâ (si quod detur hujusmodi) per se tractatur in his libris, cùm tria hæc principia non admittat.

V. *A quibus abstrahatur hoc corpus naturale.*

Dico tertiò: hæc ratio corporis naturalis, quam dicimus subjectum esse Attributionis Physicæ, tam à corporibus incorruptibilibus abstrahitur, quàm corruptibilibus. Probatur, hæc enim ratio corporis naturalis completi ex æquo convenit utrisque. Deinde corpus hujusmodi incorruptibile est principium motûs & quietis, ergo.

VI. *Omnia tria principia non debent singulis corporibus competere.*

Dices, tria illa principia non competere corporibus incorruptibilibus, non enim ijs competit privatio, cùm forma quam habent corrumpi non possit, ergo ad hunc tractatum non spectant. Admisso modò antecedente, nego consequentiam, non enim est necessarium ut omnia principia singulis corporibus naturalibus competant, sed omnibus: sicut in duabus præcognitionibus ad demonstrationem, quas ad eam requirit Aristoteles, nempe *an sit*, & *quid sit*, non est necessarium ut utrumque præcognoscatur ad quamlibet demonstrationem, sed hoc ad unam, illud ad aliam; de passione enim non debet præcognosci *quod sit*, cùm hoc probetur in conclusione sed solùm præcognosci debet *quid sit*. Imò nec semper in omnibus rebus corruptibilibus reperitur privatio, ut si Deus hominem totum uno instante crearet, tam quoad materiam, quàm quoad formam eidem unitam ejus tamen consideratio ad physicam spectaret, esto in ejus productione nulla interveniat privatio.

VII. *Congruentiùs dicitur Corpus naturale objectum Physicæ, quàm ens mobile.*

Dico quartò: meliùs loquuntur qui asserunt subjectum Attributionis horum librorum esse *corpus naturale*, quàm qui dicunt esse *ens mobile*. Ratio est, quia vox *corpus* clariùs significat substantiam completam quàm *Ens*. Deinde initio horum librorum declaratur essentia & partes hujus corporis, & de eo postea probantur passiones. Tertiò, quia in definitionibus sumi debet genus infimum seu proximum, unde sicut mala esset definitio hominis si quis diceret, *Homo est ens rationale*, ita & corporis esset mala definitio, si quis sic illud definiret, *Corpus substantiale est ens mobile*. Denique ex parte differentiæ verbum *naturale* magis aptum ad essentiam corporis definiendam videtur quàm *mobile*, quod solùm explicat passionem. Quod si quis dicat, idem se per *ens mobile* intelligere quod alij per *corpus naturale*, impropriè saltem loquitur, sicut si quis hominem definiens diceret, *Homo est ens risibile*, licèt per hæc verba idem se intelligere dicat, quod alij per *animal rationale*.

VIII. *Physica subordinatur libris de Cœlo, & de Animâ.*

Hîc tandem adverto, Objectum hujus tractatûs, seu octo librorum referri ad Cœlum & hominem, tanquam quid ad illorum constitutionem necessarium: unde hæc pars Physicæ illi subordinata est, quæ de cœlo agit, & illi quæ de homine, seu libris de cœlo, & Animasticæ. Utrùm autem homo & cœlum inter se subordinentur, non leve est inter Philosophos dissidium. Et licèt multos in eam propendere partem videam ut existiment non subordinari, sicque dicunt non dari unum aliquod objectum Attributionis omnium partium Philosophiæ, sed unum solùm Aggregatione; contrarium tamen non difficulter defendi posse arbitror, si quis nimirum cœlum ad hominem tanquam ad objectum dignissimum, & corpus naturale primarium referat. Formale verò Physicæ objectum est hoc ipsum corpus naturale ut naturale, seu ut principium motûs & quietis, seu alterationis sensu aliquo externo perceptibilis, hoc enim est quòd passim dicunt Philosophi, *Physicam non abstrahere à materiâ sensibili.*

SECTIO II.

De reliquis ad Physicæ naturam declarandam præmittendis.

I. *Physica est scientia.*

PRimum est, utrùm Physica sit scientia? Resp. affirmativè. Ratio est, quia procedit in pluribus conclusionibus scientificè, & passiones de corpore naturali, proprietatesq; plurimas demonstrat, ergo licèt multas etiam habeat conclusiones solùm probabiles, adhuc erit scienita, ægrè enim invenietur scientia cujus omnes conclusiones evidentes sint, & scientificæ.

II. *Est speculativa, licèt actus quosdam habeat practicos.*

Secundum est, sitne scientia practica, an speculativa? Resp. communiter vocandam speculativam, esto enim actus aliquos habeat practicos, præcipui tamen sunt speculativi, & in merâ objecti sui contemplatione consistunt, quod primò cernitur in ijs actibus qui circa objectum ejus primarium seu Attributionis versantur, ipsum scilicet corpus substantiale, illiusque partes essentiales, materiam scilicet & formam. Unde cùm præcipui illius actus, & consequenter habitus sint speculativi, communiter vocanda erit speculativa, practica verò solùm secundùm quid, quia actus aliquos habet practicos, seu qui sufficiunt ad dirigendum hominem ad aliquid faciendum: docet siquidem Physica attracto aëre è tubo plumbeo sequi aquam ad evitandum vacuum, per quam cognitionem diriguntur homines ad aquam anthliâ è profundo puteo hauriendam. Docet item ignem applicatum calefacere & comburere, & alia hujusmodi. Hi tamen fortè actus si bene

Actus quidam practici Physica.

exa-

examinentur, invenientur non esse propriè practici, sicut licèt plantatio arboris sit practica, non tamen productio fructûs. Recolenda quæ in Dialecticâ dixi de scientiâ practicâ & speculativâ d.10.s.1.

III. *Physica est una scientia tantùm genere.*

Est verò Physica, scientia ab alijs distincta, saltem inadæquatè, cùm objectum habeat inadæquatè sumptum ab alijs diversum. Est verò una, non specie sed genere, ob varios partiales tractatus quos instituit de rebus specie distinctis, ut de quantitate, motu, ubi, vacuo, & similibus. Quare Physica non est unus habitus, sed ex varijs specie & genere distinctis coalescit. Denique medicina non est pars Physicæ, ut aliqui volunt, sed illi subordinata, utpote à qua principia sua desumit, juxta commune illud dictum, *ubi desinit Physicus, incipit Medicus*, id est conclusiones physicas pro suis principijs sumit medicus. Unde Physica respectu medicinæ est scientia subalternans, medicina respectu Physicæ subalternata. *Medicina subordinatur Physicæ.*

DISPVTATIO II.

De principijs rerum naturalium.

Intur antiquos mira fuit de rerũ natura aliũ Principijs dissensio.

Circa rerum naturalium principia mira erat inter antiquos dissensio, alij quippe principium rerum ignem dicebant, alij aquam, & suo quisque arbitratu in novam abibat sententiam. Pythagorici ad numeros omnia, ut ad principia reducebant, præcipuè denarium, tanquam numerorum omnium perfectissimum. Alij denique non unum aliquod esse rerum principium asserebant, sed infinita. Aristoteles itaque his omnibus rejectis, suam tandem opinionem statuit, & nec unum solùm esse rerum principium asserit, nec infinita, sed omnino tria, nec plura esse aut pauciora, *materiam* scilicet, *formam*, & *privationem*, de quibus præsens nobis instituenda disputatio.

SECTIO PRIMA.

Quid sit Principium, & in quo differat à causâ.

I. *Principiũ sumitur primò pro initio.*

Principium variè sumitur: primò enim principium idem sonat quod *initium*, idque sive *durationè*, quo sensu Aurora principium diei dici solet; vel ordine quodam consecutionis, ut primus palmus vel uncia principium ulnæ, punctum lineæ principium dicitur, id est, illud à quo inchoatur, cujus proinde correlativum est finis; vel tandem situ, ut fundamentum est principium domûs, quia situ & collocatione est pars ejus infima.

II. *Secundò latiùs, pro eo unde fit aliquid, est, vel cognoscitur.*

Secundò, Principium dicitur *unde fit aliquid, est, aut cognoscitur*, ut ait Aristoteles, 5. Met. c.1. quæ est latissima principij acceptio, & omni principiorum generi convenit. Sic præmissæ dicuntur principia respectu conclusionis, sic ignis, & quicquid aliud efficit, vocatur illius principium: quo sensu Deus rerum omnium principium jure appellatur, utpote à quo, tanquam à primâ causâ, radice, ac fonte esse suum omnia & originem derivant. Omnibus proinde principijs, tam effectivis quàm constitutivis competit hæc definitio. Quo etiam sensu ait S. Thomas 1.p.q.33.a.1.corp. *Principium est id à quo aliquid procedit quocunque modo*, ubi, ut rectè advertit P. Suar. 12. Met. sect. 1. n. 12. verbum *procedit* non est sumendum strictè pro verâ origine, sed pro connexione quacunque vel constitutione. Hoc modo sumptum principium latiùs patet quàm *causa*, quæ semper influit, non tamen semper influit principium, ut constat in Aurorâ respectu diei, ac privatione respectu eorum quæ in dies generantur. Ac proinde licèt omnis causa sit principium, non tamen omne principium est causa. *Principium latiùs patet quàm causa.*

III. *Tertiò, principium est primum in aliquâ serie.*

Tertiò, sumitur nonnunquam principium ut idem sit quod primum in aliquâ serie, & ab alio originem in eodem genere non ducat, quod proinde duo involvit, positivum alterum, alterum negativum: sic Adamus principium dicitur hominum. Et hoc sensu latiùs patet causa quàm principium, cùm causa hoc non exigat, ut constat. Re tamen verâ hæc principij acceptio non congruit omnibus principijs, ratio enim principij potiùs est esse prius, quàm primum: unde Noë, Abraham & alij erant principia multorum hominum, & non fuerunt primi. Primum ergo idem sonat ac principium omnium, quod omni principio non competit. *Quid sit Primum.*

IV. *Quod est primum in uno genere, potest habere principium in alio.*

Notandum tamen, id quod est primum in uno genere, posse habere principium sui in alio: sic Adamus licèt hominum omnium principium fuerit, ac parens, principium tamen sui habuit Deum. Imò in eodem genere quod est aliquibus posterius, est prius alijs, seu illorum principium, ut constat in Abrahamo, Davide, & alijs, qui licèt respectu multorum hominum fuerint principium, homines tamen alios habuerunt principium sui.

V. *S. Thomas inter Divinas personas ordinẽ originis concedit, prioritatem negat.*

Quòd diximus conceptum principij esse ut sit prius illo cujus est principium, in creatis est indubitatum, in Divinis dissident Theologi, alij enim cum D. Thomâ nullam omnino admittunt in Divinis prioritatem, nec Patrem ullo modo esse priorem Filio asserunt, cùm simul naturâ sint & cognitione, utpote correlativa, licèt S. Thomas 1. p. q. 42. a. 3. corp. & qu. 33. a. 1. ad 3. inter Divinas Personas ordinem originis concedat, omnem tamen ab ijs prioritatem secludendam asserit. Alij verò & plures ajunt non refugiendum inter Divinas Personas prioritatem quamdam concedere originis, cùm Pater verè prodocat Filium, Pater simul & Filius Spiritum Sanctum, sed negandum tantùm asserunt prioritatem durationis & naturæ. At quæstio fermè est de nomine.

VI. *Principium propriè est à quo aliquid per se & physicè oritur.*

Quartò, strictissimè sumitur principium prò eo à quo aliquid per se & physicè oritur, quo tamen sensu non semper recurrit cum causâ, Filius siquidem in Divinis verè oritur à Patre, Pater tamen illius causa non est, cùm Filius in Divinis à Patre non dependeat, ut docent Theologi. Licèt etiam Pater sit *principium* Filij, Filius tamen nunquam vocatur *principiatum* à Patre, quia *principiatum* sonat idem ac factum, vel quod habet initium essendi, ac proinde correlativum principij dici non debet *principiatum*, sed procedens à principio, quamvis si per principiatum nihil intelligatur aliud quam id quod procedit à principio, seu quod habet principium, dici potest *principiatum* correlativum principij.

VII. *Principia intrinseca, & extrinseca.*

Principia alia intrinseca, ut materia & forma, & quæcunque intrinsecè ullo modo, seu per unionem aliquam ad rei cujuscunque constitutionem concurrunt: alia extrinseca, ut causa finalis & efficiens respectu suorum effectuum.

VIII. *Aristoteles diversis locis variè accipit principium*

Iuxta has ergo varias principij acceptiones intelligi debent quædam loca Aristotelis conciliatu alioqui difficilia, quandoquidem enim, ut quinto de generat. Animalium cap 7. de ratione principij esse ait, ut *ipsum quidem causa sit multorum, sed ipsius nulla sit superior causa*, quod tamen causæ non competit, ut vidimus: unde juxta hoc dictum latiùs patet causa quàm principium. Hic tamen inter principia numerat *privationem*, unde etiam juxta ipsum latiùs patere debet principium quàm causa. 4. verò Met.c.2. ait, *ita inter se comparari principium & causam sicut ens & unum*, quæ tamen converti inter se certum est. In primo ergo loco loquitur de primo principio in aliquo ordine, imò de primo principio in totâ latitudine entis, quod certum est nullum aliud principium sui habere posse, tunc enim primum non esset, causa autem hoc in suo conceptu non dicit, nisi capiatur pro primâ. Imò 12. Met.c.2. vocat etiam *privationem* causam, unde manifestè apparet latè aliquando Aristotelem accipere nomen *principij* & *causæ*. Quòd verò ait inter se comparari principium & causam, ut ens & unum, non vult dicere converti sicut ens & unum, sed probat ens & unum identificari sicut identificantur principium & causa, non quidem universim accepta, sed indefinitè: sin autem velit converti, intelligi debet de principijs intrinsecis.

IX. *Quo sensu Græci Patres nomen causæ usurpent in Divinis.*

Si quando verò (quod sæpè faciunt) Græci Patres nomen *causæ* usurpent in Divinis, & Patrem vocent causam Filij, interpretandi sunt de causâ latè sumptâ, ut monent Theologi omnes, dum de Processionibus Divinis disputant. In quo autem consistat ratio causæ strictè sumptæ, dicetur infra. Hæc pro præsenti instituto sufficiunt.

SECTIO II.

Expenditur Definitio Principiorum corporis naturalis ab Aristotele assignata.

I. *Explicatur Definitio Principiorum corporis naturalis.*

Corporis seu compositi naturalis Principia sic definit Aristoteles hic cap.5. tex.42. *Principia sunt, quæ neque ex se invicem sunt, neque ex alijs, & ex ipsis omnia.* Hæc definitio ut jacet, convenit omni primo principio in suo ordine, ut constat, si enim sit primum, non fit ex se, nec ex alijs, sed omnia, scilicet principiata (nam nullum est omnino principium, saltem intrinsecum, ex quo fiunt omnia) fiunt ex illo: unde hoc modo latè sumpta competit Deo primo principio efficienti, licèt enim particula *ex* communiter denotet principia intrinseca, vel terminum à quo, nonnumquam tamen applicari etiam solet principio extrinseco efficienti, vel physicè aliquo modo concurrenti, sic enim dicitur quis ex tali vel tali familiâ, talibus parentibus, & hujusmodi, item omnes homines sunt ex Adamo & Æva, nec tamen familia aut parentes sunt pars intrinsecè hominis constitutiva, sed causa solùm efficiens extrinseca. Præterea Ioan.8. dicitur, *Qui ex Deo est, verba Dei audit*, Deus tamen respectu nullius est causa intrinseca. Filius item in Divinis dicitur procedere ex Patre, Sp.Sanctus ex Patre & Filio. Licèt ergo communiter particula *ex* denotet causam intrinsecam, materiam scilicet & formam, ut homo constat ex animâ & corpore, vel quasi causam intrinsecam, seu materiam *ex qua*, ut domus ex ligno constat, cæmento, lateribus; causæ tamen efficienti, vel principio producenti nonnunquam applicatur, ut vidimus.

Particula ex subindè denotat causam extrinsecam.

IV. Variè itaque à varijs explicatur & restringitur hæc definitio, ut solis competat *materiæ, formæ*, & *privationi*, quæ sola hîc definire intendisse Aristotelem, (licèt P.Hurtado d.1.phys.sect.2. aliud censeat) inde videtur ostendi, quia definitio ab eo tradita competere nequit causis omnibus & principijs compositi naturalis, ut vult P. Hurt. causæ enim finali convenire non potest, cùm particula *ex* illi omnino applicari nequeat, nec enim res sunt *ex*, sed *propter* finem. Deinde enumerans principia, quorum definitionem tradiderat, ait tantùm esse tria, *materiam* scilicet, *formam*, & *privationem*, Aristoteles autem optimus est sui interpres, sicque in fine capitis sexti sic habet, *unum itaque elementum non esse, nec duobus aut tribus plura manifestum est*: sed, si inter elementa hæc, enumeretur efficiens, imò & finalis, ut vult P. Hurt. manifestum est plura esse duobus aut tribus. Præterea asserit Aristoteles universim principia esse contraria, quod tamen efficienti & finali omnino non competit, ergo definitionem hanc nõ statuit pro omnibus principijs & causis rei naturalis, sed pro *materiâ* tantũ *formâ*, & *privatione*.

Hanc definitionem Principij statuit Aristoteles pro solâ materiâ, formâ, & Privatione.

III. *Ostenditur quomodo his solis tribus Principijs competat hæc Definitio.*

Ut ergo his tribus principijs tantùm competat definitio, notandum illam duas habere partes, primam negativam, secundam affirmativam. In primâ ergo parte vult non fieri principia ex se invicem, vel ex alijs tanquam ex partibus essentialibus & intrinsecè constituentibus, quod etiam innuere videtur verbum *sunt*, licèt enim nonnumquam applicetur ad causam vel principium efficienter vel quasi efficienter concurrens, communiter tamen & maximè propriè, ut dixi, denotat constitutionem & partes intrinsecas, ut navis est ex ligno, annulus ex auro, arbor ex radice, trunco & ramis, corpus naturale ex materia & forma. Licèt ergo forma universim fiat ex privatione tanquam termino à quo, & forma materialis ex materiâ tanquam subjecto, nec materia tamen, nec privatio sunt partes essentiales & intrinsecè constitutivæ formæ.

IV. *Quomodo omnia sint ex materiâ, formâ, & Privatione.*

In secunda verò parte, ubi asserit Philosophus omnia esse ex ipsis, intelligi debet particula *ex* sub disiunctione, id est, tanquam ex partibus intrinsecè constituentibus, vel termino à quo: sic in primâ acceptione homo fit ex materiâ & animâ rationali, in secunda ex non igne fit ignis, ex non albo album, & similia. Quòd autem particula *ex* in diversis definitionis partibus sumatur diversimodè, nemini mirum videri debet, tum quia partes in se sunt valdè diversæ, affirmativa scilicet & negativa, tum quia subjecta materia id requirit: tertiò, quia latius patet secunda pars quàm prima, quæ proinde diverso modo sumi debet: quartò denique, quia ut multi probabiliter asserunt, hæc definitio non est physicè una.

V. *Alia explicatio Definitionis Principiorum.*

Alio modo explicari hæc definitio posset, nempe *ut non sint ex sese vel alijs* in eodem genere, & sub eâdem ratione, sed omnia physica composita sint ex ipsis tanquam ex partibus essentialibus, aut termino *à quo*. Ubi per secundam partem optimè excluditur causa, vel principium efficiens, & finis, quæ nec partes essentiales alicujus rei, nec terminus à quo esse possunt. In primâ verò definitionis parte salvatur quomodo principia ex se invicem non fiant, quamvis forma ex materiâ fiat tanquam ex subjecto, & ex privatione tanquam termino à quo, forma enim non fit ex illis in eodem genere, aut tanquam ex formâ seu principio formali, vel in genere causæ formalis, ut est manifestum.

VI. *An, & quomodo Privatio habeat terminum à quo.*

Dices primò: Privatio habet terminum *à quo*, nam aër sicut ex tenebroso fit lucidus, ita & ex lucido fit tenebrosus, & Petrus ex vidente cæcus, ergo tenebræ lucem habent pro termino *à quo*, cæcitas visionem. In secundo modo explicandi definitionem principiorum difficilius solvitur hæc difficultas, cùm Privatio, quæ est principium tanquam terminus *a quo*, videatur hîc habere principium sui in eodẽ genere

nere seu terminum *à quo*. Dici tamen posset Privationem habere quidem terminum à quo, sed in longè diverso ordine, nam forma habet terminũ *à quo* privativum, privatio positivum, qui sunt diversi ordines terminorum. At in nostro modo explicandi definitionem, responsio facilis est & expedita, non enim negamus posse principia habere terminum *à quo*, sed dicimus non habere ea terminum *à quo*, ut partem sui intrinsecè constitutivam: lux verò non constituit intrinsecè tenebras, ut pars illarum, nec visio cæcitatem, cùm simul stare non possint.

VII. *Materia & forma materialis habent partes integrales, non essentiales.*

Dices secundò; materia & forma materialis habent partes materiales & formales ex quibus constant, ergo principia sunt ex seipsis, & constant partibus, materialibus illa, hæc formalibus. Confirmatur, constant ex genere & differentiâ, ergo ex partibus. Ad argumentum, distinguo antecedens, habent partes entitativas seu integrales, concedo antecedens; essentiales, nego: partes autem integrales non sunt propriè principia, sed partes principij, quippe quæ ad unum integrum principium constituendum concurrunt, nec obstant simplicitati principiorum, quæ cum sint principia corporis substantialis, seu constantis ex materia & formâ, in eâ tantùm ratione esse debent simplicia, id est, ut materia non constet ex alijs materijs, nec forma ex alijs formis substantialibus, sic enim prima in suo genere non essent.

Differentia inter partẽ integralem, & essentialem. In hoc autem differt pars integralis ab essentiali, quòd hac ablatâ, vel deunitâ, auferatur compositum, ablatâ enim aut deunitâ vel materia vel formâ, animâ scilicet in homine, illico destruitur homo, ablatâ autem parte integrali, non destruitur conceptus essentialis hominis, sed manet homo quoad id quod dicit essentialiter, licèt non integer, sed mancus & mutilus. Quod idem est de alijs compositis naturalibus. Ablatâ ergo parte integrali, manet essentia in ratione essentiæ, licèt non in ratione integritatis, seu essentiæ integraliter completæ, licèt maneat completa essentialiter.

VIII. *Partes physicæ constãt ex metaphysicis.*

Ad confirmationem dico, sermonem hîc esse de principijs tantùm physicis, non metaphysicis, nec enim illorum simplicitati obstat compositio metaphysica seu per intellectum, hæc enim nec Angeli simplicitati repugnat, nec impedit quò minùs sint prima, seu principia in suo genere, & physicè. In hoc verò etiam differunt principia physica & metaphysica, ut in Logica notavi dum de *ente*, quod hæc ita sint principia, ut in alia similia nonnunquam resolvi possint, animal enim suum habet genus & differentiam, & sic de alijs ascendendo usque ad ens; physica verò principia in alia similia resolvi ulteriùs non possunt, materiæ enim non datur materia, nec formæ forma, licèt & materia & forma principia habere possint metaphysica, genus scilicet & differentiam: sicut etiam partes metaphysicæ includunt partes physicas, animal enim non à materia tantùm abstrahitur, sed à forma, ut in Logica ostendi.

In quo differãt Principia Physica & metaphysica.

SECTIO III.

Quot sint principia rerum naturalium.

I. *Res naturalis in fieri, & in facto esse.*

NOtandum primò, dupliciter sumi posse res naturales, *in fieri*, & *in facto esse*. Sermonem ergo instituere de rebus naturalibus in fieri, est penè perinde ac loqui de earum generatione seu productione; de ijsdem verò loqui *in facto esse*, idem est ac de ijs jam in suo esse constitutis disserere, & extra causas existentibus.

II. *Generatio tripliciter sumitur, ut generatio, ut conversio, & ut mutatio.*

Notandum secundò, generationem accipi tripliciter, vel ut *generatio* est, vel ut *conversio*, vel tandem ut *mutatio*. Procedit ergo difficultas præcipuè de Privatione, nam de materiâ & formâ, nulla videtur controversia, cùm enim generatio substantialis (de quâ solâ est in præsenti sermo) in quocunque sensu sumatur, sive ut *mutatio*, sive ut *conversio*, semper sit *generatio*, duo necessariò requirit, terminum substantialem, & subjectum, è cujus potentiâ terminus ille educatur, nam *generatio est eductio alicujus ex alio*, ac proinde ut *actio*, requirit terminum, ut *talis actio*, subjectum. In hoc quippe differt generatio à creatione, quòd creatio licèt terminum requirat necessariò, non tamen requirit subjectum, ut constat in creatione Angeli, qui nec est, nec esse potest in subjecto. Cùm ergo receptum apud omnes sit, tria esse Principia generationis, *materiam* scilicet, *formam*, & *privationem*, peculiariter hîc ostendendum quomodo sit vel non sit *Privatio* principium generationis & rei naturalis.

III. *De conceptu generationis, ut mutatio est sunt materia, forma, & Privatio.*

Prima Conclusio: De conceptu generationis ut *mutatio* est, sunt hæc tria principia, *materia, forma, & Privatio*. De materia & formâ proximè ostensum est, quoad illas enim eadem est ratio generationis, quocunque sensu sumatur. De *privatione* ergo probatur à priori: mutatio quâ mutatio petit rem quæ mutatur, aliter se habere quàm antea, ergo petit illam habere aliquid quod antea non habebat, ergo habebat illius privationem; nam non habere formam quam apta est habere, & habere illius privationem, idem sunt, ergo mutatio in quantum mutatio petit tanquam terminum *à quo* privationem formæ, quam inducit.

IV. *Ex definitione mutationis ostenditur Privationẽ esse de illius conceptu.*

Confirmatur primò, definiri solet mutatio quòd sit *transitus alicujus subjecti de tali vel tali non esse ad tale esse*; sed in hac definitione includitur *Privatio*, ut constat, ergo de conceptu mutationis quà talis est *Privatio*. Confirmatur secundò, ex mutationibus accidentalibus, ut cùm aër de tenebroso fit lucidus, Petrus de non videntè videns, necessariò in aëre præcedit privatio lucis, in Petro visionis, alioqui minimè transirent de non lucido, aut non videntè ad lucidum & videntem: eodem ergo modo philosophandum est de mutatione substantiali, in qua æquè requiritur privatio termini substantialis, atque in priori termini accidentalis, cùm hoc solùm intersit inter mutationem accidentalem, quæ alteratio dicitur, & substantialem, quòd hæc terminum *ad quem*, seu quem producit, substantialem habeat, illa accidentalem.

V. *Declarãtur sigillatim quomodo materia, forma, & Privatio sint de conceptu mutationis substantialis.*

De conceptu ergo intrinseco substantialis generationis ut mutatio est, in obliquo sunt hæc tria, primò, *materia*, cùm enim in mutatione esse debeat aliquid, quod aliter se habeat per rem aliquam in se de novo receptam, manere commune aliquod subjectum debet quod transeat de nõ esse tali ad esse tale, alioqui non posset dici mutari, cùm nihil maneat quòd mutetur, secundò, *forma substantialis*, per quã scilicet materia aliter se habeat substãtialiter quàm antea, tertiò *privatio*, de qua jam satis est dictum. Quòd autem in omni mutatione naturali quam videmus, recedatur etiam à formâ positivâ (nam *generatio unius est corruptio alterius*, ut generatio ignis corruptio ligni: id ad rationẽ mutationis planè sic habet per accidens, nam si materia sine omni formâ existeret, æquè esset mutatio, si ignis in eâ produceret formam ignis (quo tamen calu non recederetur à formâ positiva) atque modo cũ corrumpitur forma ligni, nam aliter se haberet subjectũ quàm priùs.

VI. Dices; materia tunc non mutaret, seu acquireret novam formam, priore amissâ, ergo non esset in eâ mutatio. Nego consequentiam, ad hoc enim ut mutari

Vt subjectum mutetur sufficit quòd habeat formam, quàm antea non habebat.

tari dicatur intrinsecè subjectum, sufficit quod aliter se habeat intrinsecè quàm antea, quod modò contingit, cùm habeat in se intrinsecè formam quam antea non habebat: sicut nullus negat mutari aërem cùm de tenebroso sit lucidus, nec Petrum cùm de non-intelligente, aut volente intelligens sit aut volens, esto nullam formam mutaret, nec cessaret ab ullo alio actu, dum actum intellectûs, amoris, vel odij elicit: sicut etiam licèt Angelus non diceretur mutare locum, si retento priori loco acquireret novum, mutaretur tamen vel extrinsecè per extrinsecam correspondentiam ad novum locum, vel intrinsecè per novæ ubicationis susceptionè, quam antea non habebat. Unde ulteriùs dico, si dum ignis producit in materiâ ligni formam ignis, Deus conservaret adhuc in eâdem materiâ formam ligni, tam esset mutata illa materia, & actio illa tam foret mutatio, atque modò, aliter enim se haberet subjectum quàm antea. Ad mutationem namque non requiritur terminus *à quo positivus*, sed solùm ad motum propriè dictum, qui duplicem includit mutationem, positivam ac privativam, & bifariam mutatur subjectum, ut cùm aqua ex calidâ fit frigida, mutatur enim positivè per novam frigiditatem in eâ productam, & privativè per novam carentiam caloris, quam antea carentiam non habebat.

Si inductâ formâ ignis, Deus conservaret formam ligni, materia substantialiter mutaretur.

VII. *Generatio sub conceptu conversionis requirit terminum à quo positivum.*

Secunda Conclusio: generatio sub conceptu *conversionis* requirit terminum *à quo* positivum. Patet, nam *conversio est transitus seu mutatio unius rei in aliam*, ut ligni in ignem, aquæ in vinum, & similia. Unde ad generationem ut *conversio* est, non minùs requiritur terminus *à quo* positivus, seu forma destructa, quàm ad eam sub conceptu *mutationis* privatio formæ inducendæ. Hìc tamen non est sermo de principijs generationis ut *conversio* est, sed solùm ut *mutatio*. Solùm adverto, totum subinde verti in aliud, panem scilicet in corpus Christi, ubi non forma solùm panis, sed & materia per transubstantiationem convertitur, & vocatur *conversio totalis*. Aliquando sola forma transit in aliud, ut in conversionibus quotidianis, dum ex ligno fit ignis: quæ conversiones tantum sunt partiales, cùm materia maneat ut commune subjectum. Qua de re in libris de generatione.

VIII. *Privatio non est de conceptu generationis, ut generatio est.*

Tertia Conclusio: de conceptu generationis præcisè ut *generatio* est, non est ulla privatio, est contra Conimbricenses hìc, & P. Suar. d.15. Met. s.3. n.4. & multos ex recentioribus. Probatur primò à priori: conceptus generationis, ut generatio est præcisè, non est aliud quàm *eductio formæ è potentiâ materiæ*, sed hoc fieri potest licèt eodem instante reali simul forma producatur cum materiâ, ergo. Confirmatur, juxta probabilem sententiam, & ab his auctoribus admissam, potuit ignis produci ab æterno: in quo casu æquè verè fuisset generata forma ignis, seu educta è potentiâ materiæ, ac modò, sed tunc privationem non habuisset pro principio, ergo. Probo minorem, quòd omnino non fuit, à fortiori non fuit in materiâ, sed privatio formæ tunc omnino nunquam fuisset, cùm semper fuisset forma, ergo à fortiori non fuisset privatio formæ in materia: sicut valet, Anti-Christus omnino non fuit, ergo à fortiori nunquâ fuit in hac regione, insulâ, vel civitate. Confirmatur secundò, materia in eo casu nunquam non habuisset illam formam, ergo nunquam fuisset in materia illius privatio. Sicut si Deus ab æterno creasset Solem, & in eo Angelum, nunquam fuisset negatio Angeli in sole, quia semper fuisset in eo Angelus. Confirmatur tertiò, Deus intuens materiam illam, nunquam nõ vidisset in eâ formam ignis, ergo nunquam in eâ non fuisset forma illa, ergo nunquâ fuisset in eâ privatio illius formæ, nec unquam potuit Deus dicere, jam materia non habet hanc formam seu habet privationem hujus formæ, ergo in illâ materiâ nunquam fuisset formæ illius privatio.

IX. *Ostenditur ulteriùs Privationẽ non esse de conceptu generationis.*

Secundò probatur in omni sententia: ponamus (quod verè contigit in primâ rerum conditione) nunc in instante A produci materiam informatam formâ aquæ, nunquam extitit illa materia sine formâ illâ aquæ, ergo nunquam erat privatio illius formæ in hac materiâ, nam implicat esse simul in eodem subjecto; saltem eodem loco, formam & privationem formæ, sic enim contra lumen naturæ idem esset simul & non esset: si enim forma esset in materia simul cum privatione sui, esset simul in eâdem cum non esse sui, ergo in eodem instante reali esset simul, & non esset in eâdem materiâ. Confirmatur, si Deus in eodem instante reali quo crearet hoc gymnasium v.g. produceret in eo Petrum, nunquam quando est gymnasium, videret Angelus Petrum non esse in hoc gymnasio, ergo nunquam videret in eo negationem Petri, ergo nunquam in illo fuit hæc negatio. Idem planè est in nostro casu.

X.

Dices, (& est fundamentum contrariæ sententiæ) in eodem instante reali varia distingui posse instantia rationis, & prioritatem ac posterioritatem naturæ: cùm ergo sol sit prior naturâ luce, ut pote causa illius, & materia similiter sit prior naturâ formâ, pro illo priori nec materia habet formam, nec sol lucem, ergo in illo priore est in materia privatio formæ, in sole lucis. Sed vitiosus est hic argumentandi modus, nec enim sequitur, materia est prior natura forma, ergo est cum privatione formæ, sic enim toto illo instante formam habere non posset, alioquin in eodem instante reali esset simul forma in materia, & non esset. Non ergo à prioritate naturæ aut rationis deduci argumentum potest ad instans reale.

A signis, seu instantibus rationis non recte arguitur ad instantia realis durationis.

XI. *Sol, pro priori naturæ, quo lucem produxit, habuit se præcisivè.*

Resp. ergo distinguendo antecedens, pro illo priori nec materia habet formam, nec sol lucem *præcisivè*, id est concipi possunt non conceptâ vel luce vel forma, concedo consequentiam; *negativè*, id est concipi possunt cum negatione lucis vel formæ, nego. Cùm enim semper dum fuit sol habuerit lucem, & materia formam, nunquam potuerunt verè concipi *negativè* sine luce vel formâ, id est cum earum negationibus, sed solùm præcisivè, id est concipi potest sol vel materia, non concepta luce vel formâ. Unde similiter est consequentia, ad hoc enim ut materia habeat privationem formæ, non sufficit ut sit quomodocunque prior, prioritate scilicet rationis aut naturæ formâ, seu quod concipi possit *præcisivè* sine ea, sed debet esse prior *negativè*, seu quòd in aliquo instante reali non habeat formam. Non ergo valet, pro illo priori nõ habet formam, ergo pro illo priori habet privationẽ formæ, quia pro illo priori solum non habet formam *præcisivè*, non *negativè*, id est, & à forma præscindit, & privatione formæ.

XII. *Quomodo in primâ rerum generatione forma præcessit de non esse in materiâ, adesse in materiâ.*

Instabis, quando in eodem instante reali producitur materia & forma eam informans, procedit forma de non esse in materiâ, nam verè ante productionem non erat in materia seu subjecto; ergo antea erat illius privatio, nam privatio est *carentia formæ in subjecto apto*, sed antea forma non erat in subjecto apto, ergo antea erat ejus privatio. Si hoc modo defenderetur hæc sententia, solveretur utcunque hoc argumentum, præsertim si quis dicat, privationem non requirere actualem existentiam subjecti, sed adæquatè consistere in negatione talis formæ & unionis, quam sententiam probavi d.18. Log. s.8. & 10. n.3. sed urgentur adhuc, quando ignis seu materia simul cum forma producitur ab æterno. Resp. tamen secundò, distinguendo primum antecedens, procedit forma de non esse in materia, id est de non esse quod aliquando vel pro ullo instante fuit in materia,

teria, nego antecedens; de non esse in materia lato quodam modo sumpto, concedo: ut autem strictè dicatur forma procedere à privatione, intelligi debet procedere de non esse, seu negatione quæ fuit aliquando in materia vel subjecto.

XIII. *Prioritas naturæ non sufficit ut materia dicatur habere privationem Formæ.*

Tertiò probatur conclusio, si enim prioritas naturæ sufficiat ut materia dicatur habere privationem formæ, sequeretur singulis instantibus quibus forma est in illâ materiâ, esse privationem formæ in eâdem. Probatur, si in primo instante sit in materiâ privatio formæ ob prioritatem naturæ, ergo & in secundo, cùm eadem tunc sit naturæ prioritas, nam priùs est materia apta in secundo instante ad habendam formam, quàm eam habeat, ergo concipi potest præcisivè etiam in illo instante sine formâ, & sic de singulis instantibus, cùm in ijs omnibus priùs sit materia apta ad habendum formam, quàm eam actu habeat, & sol ad producendam vel conservandam lucem, quàm eam vel producat actu vel conservet: sed in primo instante est in materiâ privatio formæ ob hanc prioritatem naturæ, ergo & erit eadem privatio in secundo, cùm sit eadem etiam in eo naturæ prioritas, & sic de omnibus alijs instantibus.

XIV. *Sol nunquàm habuit privationem lucis.*

Dices; si sol producat in se lucem, & materia formam, ergo supponi videtur non eas habere, non enim eas in se producerent, si priùs haberent. Resp. non habere eas priùs quàm illas in se producant, sed eodem instante, quod cùm sit primum instans quo sol & materia sunt, ut supponimus, nunquam, seu nullo instante fuerunt sine illis, quia nullo instante reali erat verum dicere, *est materia*, in quo non erat similiter verum dicere, *est in eâ forma*.

XV. *Toto illo instante materia habuit formam, ergo tunc non habuit illius carentiam.*

Quartò probatur conclusio à priori, & quæro num illi priori naturæ correspõdeat instans aliquod reale temporis, vel non? si non, ergo nullo instante reali fuit materia sine formâ, vel cum ejus privatione, sed in aliquo instante reali materia verè fuit causa formæ, & prior naturâ quàm illa, ergo non est idem materiam esse causam formæ, seu priorem naturâ quàm sit forma, & habere illius privationem. Confirmatur, toto illo instante materia habet formam, & sol lucem, ergo neutrum tunc habet illius privationem, cùm instans illud sit indivisibile. Conf. secundò, hinc sequeretur Angelos & primos parentes fuisse creatos in purâ naturâ, nam in aliquo priori naturæ apti erant ad recipiendam gratiam, antè quàm eam receperunt, ergo in illo priori, secundùm hunc Philosophandi modum, habebant gratiæ negationem, & nec habebant gratiam nec peccatum, ergo erant in purâ naturâ.

XVI. *Rei naturalis in facto esse duo tantùm sunt Principia.*

Quarta conclusio: Rei naturalis *in facto esse* duo sunt tantùm principia, nempe materia & forma. Ita Philosophi communiter, & habetur ex Aristotele hîc c. 7. tex 65. Ratio est, quia per hæc duo principia absque ullo alio intelligitur constitutum corpus seu compositum naturale permanenter, ad compositum enim, per se loquendo, non nisi duæ requiruntur partes, & saltem duæ sunt necessariæ, compositio siquidem est aliquorum simul positio, si autem aliqua esse debeant, pauciora certè esse quàm duo nequeunt. Conf. eo ipso quòd intelligatur subjectum substantiale completum per formam substantialem, intelligitur compositum substantiale constitutum, nec quidquam aliud ad illius conceptum requiritur: licèt enim privatio ad illud in fieri sit necessaria, seu in transmutari, ut scilicet subjectum aliter se habeat quàm antea, de conceptu tamen compositi jam constituti & permanentis non est privatio, de illius enim conceptu nihil est præter partes actu constituentes seu unitas.

SECTIO IV.

Solvuntur argumenta contra numerum Principiorum.

OBjicies primò contra ultimam conclusionem; subsistentiam spectare ad constitutionem corporis seu compositi naturalis, ergo sunt tria ejus principia *in facto esse*. Resp. negando Antecedens, nam tota essentia corporis naturalis in ratione essentiæ seu naturæ intelligitur non intellectâ subsistentiâ, eo enim ipso quòd intelligátur anima rationalis, v. g. unitâ materiæ, intelligitur totus conceptus essentialis naturæ humanæ; unde vocatur subsistentia ultimus terminus & complementum naturæ, & quid extra illius conceptum, quod inde constat, Christus enim totam habet naturam & essentiam humanam, licèt subsistentiam humanam non habeat. Dici tamen posset subsistentia principium suppositi, sicut materia & forma compositi. I. *Subsistentia non est de constitutione essentiali corporis naturalis.*

Objicies secundò; unio essentialiter requiritur ad constitutionem corporis naturalis, idque permanenter, ergo erit illius principium, ergo sunt tria principia compositi naturalis *in facto esse*. Resp. distinguendo antecedens, unio essentialiter requiritur ad constitutionem compositi naturalis, ut causalitas seu exercitium materiæ & formæ, concedo antecedens; ut principium ab ijs distinctum, nego: causalitas enim nunquam constituit diversum principium à causâ, ut in causâ efficiente constat, ubi actio combustiva non constituit diversum principium ab igne. Materia ergo unita, & forma unita sunt principia compositi naturalis in actu secundo, sicque unio est principium *ut quo*, & exercitium principiorum, non principium. II. *Unio in constitutione corporis naturalis integrat unũ principium, cũ Materiâ & Formâ.*

Objicies tertiò contrà primam conclusionem; cùm ex ligno fit ignis, recedit à formâ ligni, ergo sunt duo termini *à quo*, & consequenter quatuor principia. Hoc argumentum solutum est sect. præcedente ante secundam conclusionem. Dico ergo, per accidens se habere formam illam positivam ad rationem mutationis, utpote de cujus conceptu nõ est, ut ibi latiùs. Concomitanter ergo se habet expulsio illius formæ, non tamen ad mutationẽ ut mutatio est, sed solùm ad conversionem est necessaria. III. *Forma positiva præexistens habet se per accidens ad mutationẽ.*

Objicies quartò, Aristotelem hîc c. 6. dicentem; privationem esse principium ex accidente. Resp. solùm velle Aristotelem, privationem esse extra essentialem conceptum rei *in facto esse*, res quippe eadem esset sive processisset à privatione, sive non, sicut jam manet totus conceptus essentialis & intrinsecus hominis vel ignis sine privatione. Rei ergo in se accidentalis est privatio, non autem illi ut *in fieri*, & rebus se habentibus ut jam se habent, seu *in mutari*. IV. *Explicatur Aristot. circa Privationem.*

Objicies quintò; Privatio non est quid reale, ergo non potest esse principium. Conf. primò, quod est principium, esse debet quando principiat, sed privatio nec est, nec esse potest quando compositum producitur, nam tunc esset simul cum formâ quâ privat. ergo Privatio omnino non est principium. Conf. secundò, principium & principiatum sunt correlativa, ergo principium tunc esse debet quando est principiatum, sed privatio nunquam est quando est corpus naturale, ergo Privatio non potest esse principium. V. *Obj. Privatio nõ est quid reale, ergo nequit esse principium.*

Ad argumentum, omisso antecedente, distinguo consequens, non potest esse principium ut ens reale, vel ut pars constituens compositum, transeat consequentia; ut terminus *à quo*, seu privativus, & qui cessat adveniente formâ, nego. VI. *Resp. posse esse terminũ à quo.*

VII. *Ad quod principiat per modum termini à quo, non necessariò est, quando principiat.*

Ad primam confirmationem, Resp. primò distinguendo antecedens, id quod principiat per modum partis permanentis, & physicè ac realiter constituentis compositum, debet esse quando principiat, concedo antecedens; id quod principiat per modum termini *à quo* receditur, dum producitur compositum, nego: tunc enim non principiaret per modum termini *à quo*, conceptus enim principij per modum termini *à quo*, seu à quo receditur, non est ut sit quando est principiatum, sed potiùs ut non sit, sed fuerit. Dictum ergo illud, *principium esse debet quando principiat*, verum tantùm est de ijs principijs quæ principiant aliquid efficiendo vel constituendo, hæc enim principiant essendo, ut constat, cùm nec efficere, nec constituere quidquam possint quod non est: at verò terminus *à quo* principiat nõ essendo, sed desinendo, ita tamen tunc non est, ut necessariò debeat immediatè antea fuisse. Et hoc innuere videtur ipsa notio termini *à quo*, idem enim sonat atque à quo receditur. Sicut ergo in motu locali ille est terminus à quo receditur, qui relinquitur cùm primò inchoatur motus vel mutatio localis, ita terminus *à quo* in existentiâ seu productione, esse debet illud quod relinquitur, seu à quo receditur in ratione existendi, seu quod desinit esse, ac proinde non debet esse quando principiat, sed principiare ipsius est *fuisse immediatè antea* & tunc non esse.

VIII. *Mutatio, quà talis, est successiva.*

Secundò dici posset mutationem quà talem, esse successivam, & includere duo instantia, dicit enim subjectum aliter se habere quàm antea, ac proinde significare videtur subjectum sub utroque termino, sub quibus cùm simul esse non possit, debet esse successivè, & sic mutari erit esse uno instante sub privatione formæ, & sequente sub formâ, sicque essentialiter includit duo instantia, & est quid successivum.

IX. *Correlativa esse debent simul, quo modo intelligendum.*

Eodem modo resp. ad secundam confirmationem, nempe hoc esse peculiare in termino *à quo* tam positivo quàm privativo, ut non sit quando est principiatum, quia principiatum fit recedendo ab illo in existentiâ. Unde dictum illud, *correlativa debere esse simul*, intelligi debet de correlativis proprijs & positivis, non de quibuscunque, ut constat in correlatione expellentis & expulsi. Imò nec verum habet in omnibus positivis, nam prius & posterius sunt aliquo modo correlativa, & tamen esse simul quà talia, non possunt.

X. *Dispositiones integrant quasi unum principium cum materiâ.*

Objicies sextò; dispositiones præparant & disponunt materiam ad recipiendam formam, ergo sunt priores formâ, & illius generatione, ergo principia generationis & formæ, & consequenter corporis naturalis. Resp. primò, dispositiones reduci ad genus causæ materialis, quia unum quasi integrum principium constituunt cum materia, utpote quæ sine illis non est proximè ad formam recipiendam apta. Secundò dico, dispositiones non esse de conceptu essentiali mutationis substantialis ut mutatio est, sed illius essentia salvari sine ijs potest: at tria hæc principia, *materia* scilicet, *forma*, & *privatio*, ita sunt ad intrinsecum illius conceptum necessaria, ut illarum quavis sublata tollatur conceptus mutationis.

XI. *Mutatio est duplex, causalis & formalis.*

Objicies septimò; in omni mutatione substantiali etiam requiritur efficiens, ergo sunt quatuor principia. Ad solutionem notandum, mutationem dupliccm esse, *causalem* seu effectivam, & *formalem*: causalis est ipsa actio, quæ in tantum dicitur mutatio, in quantũ subjectum mutatur per terminum quem actio producit. *Formalis* mutatio est illa quæ fit per formam seu terminum productum, & in utrâque solvenda est objectio. Quoad mutationem ergo formalem, seu per formam (de qua præcipuè loqui videtur Aristoteles, dum principia rerum naturalium enumerat) licèt hæc fieri quidem non possit sine actione vel mutatione causali, cùm sine eâ forma produci non possit, actio tamen rationem formalem hujus mutationis non ingreditur, sed in hoc præcisè consistit, quòd forma informando materiam reddat eam aliter se habentem quàm antea, in quo conceptu formaliter non includitur actio, sed solùm præsuppositivè, quia scilicet sine ea existente, forma vel terminus existere non possunt. Quo etiam modo requiritur ut forma informet, cùm nec forma, nec unio esse sine actione possit: actio tamen rationem formalem informationis, vel unionis non ingreditur. Sicut ergo ratio formalis informationis præcisè non includit actionem, esto illam necessariò præsupponat, ita ratio & conceptus mutationis formalis, quæ nihil aliud est quàm talis informatio, nempe connotans essentialiter subjectum extitisse immediatè ante sine tali formâ, non includet actionem. Sive ergo producatur forma per generationem, sive per creationem, eodem semper modo fit mutatio formalis, si eadem forma eandem informet materiam, & à suâ privatione recedat. Imò ulteriùs addo, si forma illa esset à se, & sine actione ullâ productivâ, si tamen informaret materiam, & expelleret privationem sui, esset tam mutatio formalis, quàm modò est, ibi siquidem haberetur totus conceptus formalis mutationis, quæ esse dicitur, *quâ subjectum se habet aliter quam antea*, vel ut alia fert definitio, *quâ subjectum transit de non esse tali ad esse tale*: licèt autem forma esset à se, si tamen verè inesset & informaret subjectum, verè subjectum transiret de non esse tali ad esse tale: nec minùs paries redderetur de non albo albus & mutaretur, si albedo adveniret ipsi à se, & illum informaret, quàm modò cùm per actionem producitur.

Actio est de conceptu mutationis causalis, nõ formalis.

Si forma esset à se, tam mutaret subjectum, ac quando producitur.

XII. *Transitus causalis includit actionem, non transitus formalis.*

Dices, transitus seu transitio includit essentialiter actionem, ergo. Distinguo antecedens, transitus vel transitio causalis, seu effectiva, concedo antecedens; formalis, nego: res enim formaliter transit de non esse ad esse per suam existentiam, quæ non est actio, sed ipsa entitas rei, sicut & res esse dicitur extra causas *causaliter* per actionem, *formaliter* per suam entitatem & existentiam. Unde in illâ aliâ definitione mutationis, ut vidimus, non ponitur transitus, sed solùm dicitur, *mutatio est quâ subjectum se habet aliter quam antea*. At verò de conceptu mutationis ita sunt hæc tria, *materia*, *forma*, & *privatio*, ut omnino nec est sine illis mutatio, nec concipi possit, ut supra ostensum est.

XIII. *Res in fieri dupliciter sumuntur, reduplicativè, vel specificativè.*

Dices; assignat Aristoteles principia rerum *in fieri*, ergo includit actionem. Resp. res *in fieri* dupliciter sumi posse, vel reduplicativè & complexè, ut scilicet includant ipsum fieri, seu actionem, vel specificativè & incomplexè, pro primo scilicet instante quo sunt & mutant, vel mutantur: primo ergo instante quo compositum est, dicitur esse *in fieri*, quia tum primò existit. Si ergo hoc modo sumantur res naturales, seu corpora naturalia *in fieri*, non potest esse de eorum conceptu essentiali ulla actio, & tamen intelligitur subjectum mutari per formam, ergo de conceptu essentiali mutationis formalis non est actio formaliter, sed solùm præsuppositivè.

XIV. *Mutatio etiam causalis, seu actio, dupliciter sumitur.*

Si autem sermo sit de mutatione causali & efficiente, seu de actione, hæc dupliciter considerari potest, vel prout procedit ab agente, & sub hac ratione essentialiter requirit principiũ sui causam efficientem, sed non est hîc de ea sermo sub hac consideratione, cùm sub hac ratione non sit mutatio, sed prout tenet se ex parte materiæ & termini, sub hoc autem conceptu necessariò requirit illa tria principia, *materiam*, *formam*, & *privationẽ*. Unde nec actionis, ut mutatio est formaliter, sunt plura principia quã

hæc

hæc tria, ut enim est ab agente formaliter, non est mutatio intrinseca, ut hic enim formaliter nihil mutat, sed ut recipitur in subjecto, & illud vel per se, vel terminum à se productum immutat.

XV. Objicies octavò; ad productionem novæ formæ, ignis v.g. in materiâ ligni, requiri privationem formæ ligni, cùm enim materia non sit capax duarum simul formarum, nova induci forma nequit, nisi expulsâ vetere, ergo necessariò requiritur illius privatio, ergo privatio illa erit principium actionis inducentis novam formam, sicque erunt quatuor principia. Resp. quidquid sit, utrùm privatio formæ præcedentis sit dispositio necne ad formam sequentem introducendam, de quo alibi. Resp. inquam, privationem hanc ad conceptum essentialem mutationis non requiri, cùm licèt Deus conservaret formam priorem in materiâ, adhuc esset mutatio, cùm subjectum aliter se haberet quàm antea. Unde principia essentialia mutationis, quà mutatio est, non sunt nisi tria hæc, *materia, forma, & privatio* formæ inducendæ, utpote quæ sola, & semper ad conceptum mutationis per se requiruntur. Privatio autem formæ præexistentis est potiùs de conceptu conversionis, quàm mutationis.

Privatio formæ præcedentis nõ est de conceptu essentiali mutationis.

XVI. Objicies nonò; Privatio est carentia formæ in subjecto apto, ergo nunquam datur privatio, cùm enim subjectum semper habeat aliquam formam, & dum illam habet, non possit suscipere aliam, nunquam est subjectum aptum. Distinguo hoc ultimum, non est subjectum aptum in sensu composito, quòd habeat aliam formam, concedo; in sensu diviso, seu secundùm se, nego. Quod de calore, & frigore in gradibus intensis, & sexcentis hujusmodi dici ab omnibus debet.

Subjectum est aptum ad novam formam in sensu diviso, non in composito præcedentis.

SECTIO V.

Reliqua circa Principia corporis naturalis.

I. PRimum est, Principia esse contraria, seu sibi opposita: quod de formâ & privatione est clarum, cùm opponantur contradictoriè. Materia & forma in rigore contraria esse non possunt, *contraria* enim *sunt quæ maximè distant, & ab eodem se subjecto expellunt*; materia autem subjectum habere non potest. Deinde est subjectum formæ, & cum eâ ad constitutionem corporis naturalis conjungitur, ergo non repugnat esse cum formâ. Tandem juxta Aristotelem c. de substantia, *Substantia nihil est propriè contrarium.* Solùm ergo dici possunt materia & forma contrariæ, vel quia opponuntur relativè, cùm mutuâ relatione transcendentali se invicem respiciant, vel quia valde diversum & quasi contrarium habent modum principiandi, & constituendi corpus seu compositum naturale, materia sustentando, forma informando.

Quomodo Principia sint contraria.

II. Secundum est, utrùm materia, forma & privatio univoca sint an analoga? Dico, ad minimum esse analoga, non in ratione entis tantùm, sed etiam in ratione Principij, cùm Privatio in ratione principij modum essentialiter diversum habeat à materiâ & formâ. Existimo tamen probabile privationem convenire univocè in ratione Principij cum termino à quo positivo, cum formâ ligni e.g. dum inducitur forma ignis, & cum frigore, dum inducitur calor, quia scilicet ratione & modo principiandi conveniunt, nempe desinendo, & tanquam id à quo in mutatione & conversione receditur.

Materia, Forma, & Privatio sunt analoga, non solùm in ratione Entis, sed Principij.

Tertium est, quæ de generatione substantiali dicta sunt, omnia ferè convenire etiam accidentali, cùm in hoc fermè solùm differant, quòd illa terminum habeat substantialem, hæc accidentalem. Notandum tamen, non omnem generationem, accidentalem esse mutationem, nec formam accidentalem procedere semper à privatione sui: si enim potentiæ animæ, intellectus & voluntas distinguantur realiter ab animâ, & in ipsâ subjectentur, dimanentque ab eâ tanquam passiones ejus & proprietates primo instante quo creatur, nunquam propriè fuerunt in animâ illarum privationes. Idem est de alijs proprietatibus & passionibus, si quæ sint quæ dimanent & subjectentur in formis, ut de ubicatione, duratione, & alijs modis, vel etiam in rebus simplicibus, ut sunt species Angelicæ. Cùm autem materia à primâ rerum creatione semper eadem permanserit, omnis generatio substantialis est mutatio, & fit ex privatione formæ inductæ, exceptâ omnium primâ, quam nec cognovit, nec de eâ locutus est Aristoteles, qui cælos & prima corpora posuit æterna. Eæ etiam generationes & productiones formarum excipi debent quæ miraculosè fiunt corruptis speciebus Sacramentalibus, ubi simul cum materiâ comproducitur etiam forma substantialis.

Quæ de generatione substantiali dicta sunt conveniunt etiam accidentali.

Omnis Generatio substantialis jam est mutatio, non omnis accidentalis.

DISPVTATIO III.

De primo Principio, nempe Materiâ primâ secundùm se.

DE tribus corporis naturalis Principijs generatim diximus; nunc uniuscujusque figillatim naturam disquiremus. Primò itaque agemus de materiâ, quæ sicut generationis & mutationis rerum, ita & nostræ erit disputationis fundamentum.

SECTIO I.

An detur Materia prima: Vbi, an elementa sint formaliter in mixto.

COnclusio: datur in rebus materia prima, quæ sit subjectum mutationis substantialis, estque substantiale subjectum, ex quo omnia corpora materialia, seu composita physica constituuntur. Ita communis Philosophorum propè omnium cum Aristotele sententia. Secunda conclusionis pars, quòd scilicet materia sit subjectum substantiale, constat, quia est subjectũ mutationis substantialis, accidens autem subjectum substantiæ esse nequit. Deinde, constituit compositum substantiale, quod accidenti non convenit, quippe quod constituere solùm potest compositum accidentale, nec facit unum per se cum substantiâ, sed unum tantùm per accidens. Ratio autem à priori est, quia in compositis naturalibus dari debet primum aliquod subjectum, sed hoc non potest esse accidens, ergo. Major est certa, alioqui

Datur in rebus materia prima.

Ratio à priori est, quia debet dari primũ aliquod subjectum substantiale.

qui procederetur in infinitum. Minor probatur, accidens ex naturâ suâ & conceptu essentiali, est quod accidit alteri, unde ut dici solet, *accidentis esse est inesse*, ergo supponit aliud prius se, cui accidat, & insit, ergo supponit ante se aliquod subjectum, ergo non potest accidens esse primum subjectum. Primum itaque subjectum esse necessariò debet substantiale, & quod alteri non insit.

II. *Mutationes & alterationes continuæ indicant dari materiam.*

Prima verò conclusionis pars, nempe quòd detur hujusmodi primum subjectum, probatur ex mutationibus & alterationibus, quas in dies cernimus, in quibus necessarium est ut maneat commune aliquod subjectum quod mutetur, & transeat de non esse tali ad esse tale. Conf. si ignis v. g. non egeat materiâ ut operetur, cur non semper operatur etiam nullâ appositâ materiâ? cur enim igni apponitur lignum tanquam pabulum, si nihil ligni maneat sub formâ ignis, in quod ignis inducat suam formam? Conf. secundò, cur necessariò ad productionem ignis requiritur destructio formæ stuppæ vel ligni, nisi ut in ejus subjectum inducatur forma ignis? *Nihil intendens ad malum operatur.* *corruptio enim non intenditur per se*, cùm *nihil*, & consequenter nec natura *ad malũ intendens operetur.* Conf. tertiò, cur vivens eget alimento quo nutriatur, & sustentetur, nisi ut in materiam alimenti inducat formam aliti?

III. *Dici nequit substantiam totã perire, & aliam totam emergere.*

Dices; quidni accidentia recipiantur in totâ substantiâ, eaque tota pereat, & nova substantia illius loco emergat? Contrà primò, hoc saltem de homine dici nequit, nec enim ex solâ animâ rationali constat & accidentibus. Concilium enim Lateranense sub Innocentio III. ait, hominem constitutum esse ex spiritu & corpore. Et in symbolo Athanasij dicitur Christus *perfectus homo, ex animâ rationali & humanâ carne subsistens.* Contrà secundò, sic enim accidentia disponerent ad destructionem sui, nam pereunte subjecto, pereant & accidentia necesse est.

IV. *Nisi detur primũ subjectũ substantiale, agentia naturalia crearent. Probatur ex reliquijs manere post mortẽ materiam.*

Secundò probatur conclusio, agentia enim omnia naturalia quotiescunque agunt, crearent. Patet, nam non educerent terminum ex potentiâ subjecti, ergo crearent: hoc autem est contra communem Philosophorum sententiam, dicentium, *ex nihilo nihil fieri.* Conf. Ecclesia venerationem & cultum præbet Sanctorum reliquijs, ergo aliquid manet in ijs quod in Sanctis esset dum viverent, ratione cujus cultus ille & veneratio exhibetur, sed anima illic non manet, nam dudum in cælum abijt, ergo manet corpus, & substantialis quædam materia sub formâ cadaveris animæ succedente.

V. *Dices ad cultũ illũ sufficere accidentia.*

Dices primò; ad illum reliquiarum cultum sufficere si maneant accidentia, ut in transubstantiatione panis & vini contingit in corpus Christi, ubi nihil substantiæ panis remanet, sed sola accidentia: quidni ergo idem dici poterit in præsenti?

VI. *Contra: pereunte substantiâ: pereunt etiam accidentia.*

Contrà, si tota substantia pereat, perire etiam necessariò naturaliter debent accidentia: cùm ergo in transmutationibus quotidianis nihil contingat supernaturale, si pereat subjectum, manere nequeunt accidentia. In sacrosanctâ verò Eucharistiâ per miraculum manent accidentia seu species, cùm spectato naturæ ordine, perire una cum pane & vino debuissent.

VII. *Nõ possunt elementa esse formaliter in mixto.*

Dices secundò cum quibusdam medicis, manere quidem aliquid, sed illud non esse materiam primam qualem nos ponimus, sed quatuor elementa inter se permixta & unita, quæ rationem subjecti subeunt. Contrà primò, si statuantur elementa hoc modo manere sub omnibus rebus, vel debent inter se penetrari, quod repugnat naturaliter, cùm duo corpora simul in eodem loco esse non possint; vel manere debent dispersa secundùm diversas partes compositi; sed neutrum dici potest, nam præter rationem datam, non potest ignis & aqua hoc vel priori modo manere, quin in se invicem agant; vel si manere possint sine mutuâ hujusmodi actione, quidni & mixta eodem modo manebunt, vel inter se, vel cum elementis, ignis v.g. & lignum, quin in se invicem agant? Confir. quis dicet in marmore summâ hyeme reddito frigidissimo contineri ubique ignem, & calorem ut octo, per omnes illius partes, ac venas dispersum?

VIII. *Dum unũ elementum transit in aliud, non potest prius manere.*

Contrà secundò, nam saltem cùm unum elementum convertitur immediatè in aliud, dici nequit manere aliquod elementum tanquam subjectum commune, ergo cùm tunc necessariò manere debeat aliquod subjectum commune, aliquid assignari aliud debet, præter elementa: illud ergo est quod vocamus materiam primam. Primum verò antecedens probatur, nam cùm ignis aërem convertit in ignem, id quod manet, non est aër, nam aër qui convertitur perit, ergo cùm manere aliquid debeat tanquam commune subjectum, ne ignis tunc creet, illud erit materia prima, cùm nihil excogitari aliud possit.

IX. *Dum comburitur lignum, non possunt ibi manere elementa.*

Contrà tertiò, dum comburitur lignum v.g. vel manent omnia elementa, vel aliquod unum tantùm: si omnia, ergo manent ut sint loco materiæ, & consequenter forma ignis inducenda informabit omnia quatuor elementa; quod idem est de animâ rationali, & quavis aliâ formâ: Si verò dicatur solùm manere unum aliquod elementum; primò, non apparet cur magis unum maneat quàm aliud; deinde quodcunque manet, vel est quid simplex & completum, & tunc nec formam recipere, nec per eam compleri potest; vel est quid incompletum, tunc verò erit materia prima, nam habet illius essentiam, nempe esse *quid incompletum, primò susceptivum formarum substantialium.*

SECTIO II.

Quid sit materia prima, & an sit incorruptibilis.

I. *Deus & Materia cognoscuntur appositione, & remotione.*

DEus ob perfectionem duobus modis cognoscitur, remotione, & appositione; primũ tunc contingit dum eum cognoscimus omnem ab eo imperfectionem removendo, ut cùm dicimus, *Deus est infinitus, incorporeus,* & similia: secundum accidit dum illum repræsentamus, omnem ei perfectionem apponendo, ut *Deus est summè bonus, summè potens, summè felix,* & hujusmodi. Materia ob imperfectionem remotione similiter cognoscitur, & appositione; remotione scilicet omnium quæ arguunt perfectionem, & quidquid fermè in rebus imperfectionem sonat, eidem apponendo, ut ex ejusdem definitionibus constabit.

II. *Materiam variè definit Aristoteles. Prima Definitio.*

Varijs itaque modis materiam definit Aristoteles: nam 7. Met. tex. 8. ait, *Materia est quæ per seipsam neque est quid, neque quantum, neque quidpiam eorum quibus ens determinatur,* & addit, *neque est eorum negationes.* Per quæ verba significat non esse eam substantiam completam, & ex se determinatam ad unam aliquam speciem, sed esse indifferentem, nec esse quantitatem, aut formam ullam substantialem, vel accidentalem, per quam scilicet determinetur materia ad hanc vel illam speciem, aut compositum substantiale, aut accidentale; neque tamen esse negationem, aut non ens, sed vèrè & propriè aliquid positivum.

III. *Secunda Materiæ Definitio.*

Secundò, tex. 69. eam definit Aristoteles, vel describit potiùs hoc modo: *Materia est quædam substãtia, quæ ita se habet ad formas naturales, sicut æs, aut lignũ ad formas artificiatas.* Convenit ergo materia

cum ære,

ære & ligno, ac rebus alijs materialibus in hoc, quòd sicut hæc indifferentia sunt ad varias formas artificiatas, sic materia ad varias naturales. In hoc tamen differt, quòd æs, lignum, & alia hujusmodi sint quid completum substantialiter, materia autem essentialiter est incompleta, utpote ex naturâ suâ & essentiâ ordinata simul cum alterâ comparte ad constituendum unum compositum per se, & substantiale: ex duobus autem entibus completis, sub eâ ratione quâ sunt completa, vel ex uno etiam completo & altero incompleto, non fit unum per se. Deinde si materia esset quid completum, non posset esse pars, in eo saltem genere in quo est completa.

IV. *Tertia, & maximè recepta Materiæ Definitio.* Tertia Definitio quam tradit Aristoteles materiæ, & maximè receptа, est c. 9. tex. 82. *Materia prima*, inquit, *est primum subjectum cujusque rei ex quo fit aliquid cùm insit, non secundùm accidens, & si corrumpitur, in hoc abibit ultimum.* Quæ postrema verba non sunt intelligenda quòd nulla maneant accidentia, quæ priùs erant in materiâ, cùm corrumpitur aliquod compositum, ut postea suo loco videbimus, sed loquitur de ultimo substantiali, & vult nihil substantiale manere prioris compositi, præter materiam primâ. Dicitur ergo materia primum subjectum, per quod differt à formâ, quæ licèt sit subjectum suarum proprietatum non tamen est primum subjectũ, cùm materiæ insit tanquam subjecto saltem informationis, per hanc tamen rationem *primi subjecti* convenit cum Angelis, qui sunt prima subjecta suarum passionum, actuum, & cæterorum accidentium. Per ultimas particulas *ex quo fit aliquid cũ insit non secundùm accidens*, differt materia & ab Angelis, & omni alio subjecto, cùm ex nullo præter materiâ fiat compositum per se, sed solùm per accidens.

V. *Materia prima est naturaliter incorruptibilis.* Hoc commune subjectum quod astruimus, est naturaliter incorruptibile. Probatur ratione sæpiùs insinuatâ, quia in omni mutatione substantiali est aliquid quod semper manet, & sub diversis & oppositis terminis seu formis substantialibus mutatur, ergo hoc destrui nunquam debet, sed manere successivè sub formis inter se repugnantibus. Conf. hoc namque insinuare videtur lucta illa inter dispositiones prævias ad formas substantiales, quæ viam quasi parant ad suam formam inducendam in subjectum, & illud priùs informant, ut ad substantialis formæ inductionem disponant. Hinc igitur provenit assidua illa inter primas qualitates circa subjectum pugna.

VI. *Non potest Angelus ita dividere materiam ut destruatur.* Objicies primò; dividi eousque ab Angelo potest materia, destructis unionibus ejus continuativis, ut persistere in rerum naturâ non possit, nec enim in minima tantùm naturalia, sed in partes etiam minimis naturalibus minores partiri eam Angelus potest, quòd si contingat, materia destruetur, ergo non est incorruptibilis. Resp. in rebus inanimatis homogeneis non dari minima hujusmodi naturalia: Quòd si dentur, Angelus ultra minima illa materiam dividere non potest.

VII. *Posset nihilominus destrui à Deo.* Objicies secundò; saltem Deus potest eam ultra minima illa dividere, ergo in eo casu destrueretur, sicque esset corruptibilis. Resp. si dentur ejusmodi minima, transeat in eo casu destructum iri partes illas minores minimis, non enim nego quin à Deo miraculosè destrui possit materia. Sicut nonnulli peritiram eam ajunt, si Deus, Præter rerum ordinem, omnem ab eâ substantialem formam amoveret. Tunc verò non corrumperetur propriè, sed annihilaretur.

VIII. *Dices hinc inde aliquem materiam non annihilandam, sed propriè corrumpendam; partes annihilandas.* Dices; ponamur dari à parte rei hujusmodi partem minimam, si Deus lineam quæ illam inter duas medietates intersecat, destrueret, cùm hæc linea non creetur, sed ex partibus illis educatur, (agentia enim naturalia duas partes aquæ, aut ceræ unire inter se continuativè possunt, quæ tamen non possunt creare) si ad destructionem hujus lineæ pars illa minima destruatur, dicetur propriè corrumpi, sicut homo dum moritur non annihilatur, sed propriè corrumpitur, quia unio inter animam ejus & corpus non annihilatur, sed corrumpitur.

Hic aliud esse nequit nisi quæstio de modo loquendi, de re enim constat, nempe unionem destrui per suspensionem actionis eductivæ, partes per suspensionem actionis creativæ, unde illa propriè corrumpitur, hæ annihilantur. Ratione verò unionis corruptæ totum illud, seu pars illa minima reduplicativè, seu in ratione totius dici potest propriè corrumpi, non tamen specificativè, nisi solùm inadæquatè, nempe quoad unionem.

IX. *Resp. unionem corrumpendã, partes annihilandas.*

Objicies tertiò; si materia sit incorruptibilis, compositum denominabit incorruptibile, quòd tamen falsum est, ut constat. Contra, ergo anima rationalis hominem denominabit incorruptibilem. Resp. itaque negando antecedens, *bonum* enim ex *integrâ causâ, malum ex quolibet defectu*, unde ut aliquid sit incorruptibile, nihil in se continere debet corruptibile. Sicut ut catena aliqua sit fortis, nõ sufficit quòd aliquot annulos habeat fortes, sed nullum in se continere debet, qui fortis non sit.

X. *Licèt materia sit incorruptibilis, non tamen denominat compositum incorruptibile.*

Eodem modo ad quæstionem illam respondetur utrùm materia sit ingenerabilis, cùm enim sit primum subjectum, simpliciter est ingenerabilis, aliud enim subjectum priùs dari nequit ex cujus potentiâ educatur: In ratione tamen totius, seu reduplicativè, dici potest generari, quando scilicet agens aliquod naturale duas partes aquæ, aut alterius liquoris continuativè connectit: specificativè tamen nunquam totum adæquatè generatur, cùm partes semper creentur. Quod fateri omnes debent in productione hominis.

XI. *Materia etiam est ingenerabilis.*

Materia latè sumptа dividitur in materiâ *transeuntem* & *permanentem*. *Transiens* est, ex qua pereunte fit aliquid, ut ignis ex ligno, ex pane & vino Corpus & Sanguis Christi. *Permanens* est, ex qua tanquam materiâ aliquid conficitur, ut verba ex syllabis, gladius ex ferro, mensa ex ligno vel marmore. Materia autem de qua hic loquimur dividitur in primam & secundam. Prima est ipsa entitas materiæ secundùm se sumptæ, seu pro aliquo priore conceptæ antequã vel formam ullam habeat, vel dispositiones ad formam, & dicitur materia remota. Materia secunda seu proxima est eadem materia prima prout jam accidentia habet & dispositiones, quibus proximè redditur apta, ac determinatur ad hanc vel illam formam substantialem recipiendam.

XII. *Materia transiens, & permanens.*

Materia etiam dividitur in primam, & secundam.

Hic solùm restat ut aliquid de nominibus attexam, quibus materia ab auctoribus appellari solet. Vocatur ergo subinde *chaos* & *tenebræ*, quòd nunquã cernatur nec appareat; aliquãdo *umbra* & *nihil* quòd scilicet tam tenuis sit entitatis, ut cum non entibus potiùs quàm entibus affinitatem habere videatur: nonnunquam *luna*, ob formarum quas per intervalla mutat varietatem, quodque alienâ quasi luce ac fulgore splendeat: nunc *sylva*, nunc *mater*, & *natura nutrix*, quòd res scilicet propè omnes ex se gignat, ac procreet: nunc è contrà *Noverca* vocatur *adultera* & *venefica*, quòd quas in se recipit formas, atque ad tempus fovet, repentè fraudulenter quasi enecet, ac interimat. Sic suo quisque arbitratu novum ei nomẽ appingit. Plato inter alia quæ ipsi tribuit nomina, eam *Divinitatis* vocat *dissimilitudinem*, quod à Deo ente omniũ perfectissimo, ens omnium prope imperfectissimũ longissimè distet. Qua etiam de causa eam appellavit *non ens*. Tandẽ eam nuncupat *magnũ* & *parvum*; *magnũ*, quod omnia in se recipere & quasi çom-

XIII. *Materiæ varia nomina. Quisque suo arbitratu novũ ei nomen appingit. Plato eam vocat Divinitatis dissimilitudinem.*

Item magnum & parvum. si complecti possit; *parvum*, quòd Iro pauperior, ex se nihil habeat, omnemque quem habet ornatum aliunde emendicet, quæ proinde si in sua specie & formâ cerni posset, non minorem moveret risum, quàm olim *cornicula furtivis nudata coloribus.*

DISPVTATIO IV.

In quo consistat notio subjecti.

SECTIO PRIMA.

Refelluntur quædam hac de re sententiæ.

I. *Ratio subjecti non consistit in sustentatione, seu influxu materiali.*

RAtionem subjecti quidam *in sustentatione* collocant, seu quod influat in aliud, & illud causet materialiter; rationem verò formæ è contrario in eo sitam esse volunt, quòd in subjectũ non influat. Sed contrà, materia est subjectum respectu animæ rationalis, quæ verè informat materiam, hæc tamen in eam non influit, anima enim rationalis creatur, non generatur, ergo recipere seu esse subjectum generatim loquendo non est causare aliud materialiter, seu in illud influere, aut sustentare. Præterea Angelus e. g. vel ignis productus, est aliquo modo subjectum respectu creationis & generationis, & generatim effectus omnis est aliquo modo subjectum respectu suæ productionis, & tamen effectus nunquam influit in actionem per quam producitur, ergo.

II. *Volunt alij rationem subjecti consistere in indifferentiâ ad constituendum diversum compositum*

Secundò, volunt alij rationem subjecti in quadam indifferentiâ consistere ad constitutionem diversi compositi, quæ indifferentia tollitur per formam: ut materia ex se indifferens est ad hoc vel illud compositum constituendum, per formam autem equi determinatur ad constituendum equum, per formam leonis ad leonem, per formam hominis ad hominem, & sic de reliquis. Idem est, inquiunt, in compositis accidentalibus, paries enim ex se indifferens est ad compositum albi, nigri, aut alterius cujusvis coloris, per formas verò accidentales ad hoc vel illud compositum in particulari determinatur.

III. *Contrà: Anima rationalis est indifferens ad varia composita.*

Impugnatur primò, est enim probabilis sententia materiam cæli susceptivam tantùm esse formæ cæli, & tamen verè illa est materia, hæc forma, ergo ratio subjecti universim non consistit in hac indifferentiâ. Secundò, anima rationalis indifferens est ad varias materias, nec enim magis ex se petit anima Petri esse in materiâ in qua est, quàm in materiâ quæ est sub formâ equi, vel arboris, ergo non consistit essentia materiæ, seu subjecti in indifferentiâ ad varia composita constituenda, cùm hæc indifferentia conveniat etiam formæ.

IV. *Non est etiam, cur dari nequeat forma indifferens ad materias specie distinctas.*

Dices non convenire formæ ut sit indifferens ad materias specie distinctas. Contrà primò, ergo saltem non consistit essentia materiæ in quacunque indifferentiâ, sed in indifferentiâ ad diversas formas specie. Contrà secundò, non apparet cur non possit dari forma quæ respiciat duas vel plures materias specie distinctas, & ipsas possit informare, & cum ijs constituere compositum, nulla, inquam, hujus assignari potest implicatio, nisi petatur principiũ, & dicatur, illam non fore formâ quia est indifferens ad diversas specie materias, hoc autẽ est in quæstione.

V.

Tertiò impugnatur hic modus explicandi rationem subjecti, & ostendo formas aliquas de facto esse indifferentes ad diversa specie subjecta. Et ut omittam de luce receptâ in cælo, sole, lunâ, stellis, aëre, vitro, aquâ, &c. quia dicunt recipi solùm in eorum materiâ, quam eandem specie esse asserunt in omnibus, gratia est indifferens, ut sit in animâ rationali, vel Angelo, & in hoc Angelo, vel illo, cùm tamen multi, imò omnes Angeli qui de facto sunt, differant specie, juxta communem Theologorum sententiam, ergo gratia quæ est forma, habet indifferentiam ad hoc vel illud subjectum specie distinctum. *Dantur de facto formæ aliquæ indifferentes ad diversa specie subjecta.*

VI. *Dices: gratia licèt indifferens ad varia subjecta, dat tamen eandem omnibus denominationẽ.*

Dices, esse quidem gratiam indifferentem ut sit in subjectis specie distinctis, sicque convincit argumentum posse dari formam indifferentem quoad esse respectu diversorum subjectorum, gratia tamen ijs omnibus eandem tribuit denominationem, nam omnes tam homines quàm Angelos denominat gratos, sicque licèt sit indifferens *in essendo*, est tamen determinata *in denominando*. Contrà primò, ratio cur ipsi dicunt materiam non esse formam, nec denominare, est, quia est indifferens ad constituenda varia composita, ergo si concedant formam esse similiter indifferentem ad constituenda varia composita, dicere necessariò debent eam non esse formam, sed materiam, cùm hæc secundùm ipsos sit essentia materiæ. Contrà secundò, forma indifferens est ad varia subjecta specie distincta in essendo, ergo & in informando, cùm esse formæ sit informare, ergo forma in proprijssimâ ratione formæ est illimitata & indifferens, ergo perfectissima indifferentia convenit formæ.

VII. *Contrà: dentur formæ indifferentes, non in essendo tantùm, sed etiam in denominando.*

Quartò impugnatur hæc sententia, & ostenditur formas posse ex naturâ suâ non solùm informare diversa subjecta, sed etiam dare diversas denominationes, nam gratia habitualis homines nõ subsistentes subsistentiâ increata denominat filios adoptivos, Christo autem nõ dat hanc denominationem, quia per sanctitatem increatam est Filius Dei naturalis, ergo forma aliqua est ex naturâ suâ indifferens non ad diversa solùm specie subjecta, sed etiam ad diversas specie denominationes, sicque non in essendo tantùm, sed etiam in denominando.

VIII. *Idem esse, in speciebus visibilibus.* *Item in actione eductivâ.* *In unione etiam informationis.*

Quintò, idem ostenditur in formis merè naturalibus, species visibles emissæ ab objecto recipiuntur in aëre, & oculo, oculo verò dant denominationem visivi, aëri hanc non dant, sed meram denominationem informati speciebus visibilibus. Item actio eductiva, etiam juxta adversarios, est in passo ut in subjecto inhæsionis, & in termino ut in subjecto affectionis, passo autem dat denominationem patientis, termino verò non denominationem patientis, sed producti. Unio dat materiæ denominationem subjectantis, non formæ, formæ denominationem informantis, non materiæ, ergo aliquæ formæ sunt illimitatæ non solùm in essendo, respectu diversorum specie subjectorum, sed etiam in denominando, cùm & insint diversis subjectis, & diversam iis denominationem tribuant.

Dices

IX. *Quo sensu Aristoteles comparet Materiam generi, & formæ differentiæ.*

Dices primò; Aristoteles sæpè comparat materiam generi, formam differentiæ, ergo illa est indifferens ad plura, hæc ad unum limitata. Resp. loqui Aristotelem de materiâ hac sublunari, quam non negamus esse indifferentem, hoc tamen non arguit non posse dari materiam quæ sit determinata ad unicam formam, nec formam quæ sit indifferens ad informandum varia subjecta, ut de formis accidentalibus jam ostendimus.

X. *Forma indifferens ad diversas materias posse illas ad varia composita determinare.*

Dices secundò; Aristotelem in primâ definitione materiæ suprà assignatâ, dicere ipsam *non est quidquam eorum quibus ens determinatur*, ergo censet formas determinare. Resp. non me negare determinari materiam primam per formas substantiales & accidentales: dico tamen, licèt forma aliqua substantialis, anima rationalis v.g. esset indifferens ad tot materias specie diversas, ad quot materia est indifferens formas, adhuc posse animam determinare illas hoc sensu, id est, diversa cum illis constituere composita, ita ut nec materia nec forma ampliùs maneat illimitata. Quod etiam admittere debent adversarij in animâ rationali respectu diversarum materiarum numero.

XI. *Alij rationem subjecti statuunt in quadam antecedentiâ.*

Alij notionem subjecti reducunt ad antecessionem aliquam, formæ verò ad posterioritatem, nam inquiunt, materia respectu formarum materialium est prior naturâ, respectu verò animæ rationalis est etiam aliquo modo prior, non quidem animâ rationali in se, sed quia est prior dispositionibus ad eam requisitis; quod autem est prius eo quod est alio prius, à fortiori est prius illo, ut in successione locali, ac duratione est manifestum, sic enim hora prima quæ est prior secunda, à fortiori est prior tertiâ. Hic modus philosophandi propiùs accedit ad veritatem quàm præcedentes, non tamen usquequaque placet, ut latiùs dicam sect. sequente.

SECTIO II.

Verus modus explicandi rationem subjecti.

I. *Subjectum sustentationis, & inhæsionis.*

NOtandum, rationem subjecti variis modis sumi. Primò, pro subjecto *sustentationis*, & *inhæsionis*, quod verum denotat causæ materialis influxum in formam cui unitur, cum hac tamen differentiâ, quòd subjectum *sustentationis* illud sit quod materialiter concurrit ad formas substantiales, subjectum verò *inhæsionis* ad accidentales. Subjectum *Adæsionis* non influit materialiter in rem cujus est subjectum, sed solùm habet eam intrinsecè sibi adhærentem, & à se dependentem essentialiter. Hujusmodi subjecta sunt effectus omnes respectu actionum quibus producuntur, ut ignis respectu generationis, Angelus respectu creationis, & verbum etiam Divinum respectu unionis Hypostaticæ. Subjectum *informationis* præcisè illud est, quod intrinsecè denominatur à formâ, quæ in suo esse nullo modo à tali subjecto nec à priore dependet, nec à posteriore, ut anima rationalis respectu corporis. Idem videtur si forma aliqua materialis concursu creativo in materiâ, independenter tamen ab illâ, conservaretur. Subjectum *denominationis* præcisè illud est cui nihil præcedentium competit, sed tantùm denominatur extrinsecè à formâ aliquâ extrinsecâ ut sol & cælum respectu visionis, sonus respectu auditionis, & hujusmodi.

Subjectum adhæsionis.

Subjectum informationis.

Subjectum denominationis.

III. *In eâdem re subinde varia subjecti acceptiones reperiuntur.*

Solùm advertendum, diversas has acceptiones non ita se mutuò excludere, ut aliquando non conjungantur, & in eâdem subinde re variæ subjecti notiones reperiantur. subjectum enim informationis semper est subjectum denominationis, nam forma quæ informat, semper denominat, ut anima rationalis corpus denominat animatum ac vivens, & albedo creata si uniretur subjecto, denominaret illud album: calor etiam sustentatus à materiâ ligni, eam informat, ac denominat hoc calidum: respectu quorum proinde materia simul & subjectum sustentationis est, & informationis, & sic de alijs.

III. *Subjectum ut sic non consistit in prioritate.*

Dico primò: ratio subjecti, prout dicit rationem his omnibus subjectis communem, non consistit in antecessione aliquâ, aut prioritate naturæ. Probatur, nam subjectum adhæsionis non est prius formâ à qua denominatur, quod patet, nam effectus est subjectum adhæsionis respectu actionis, quâ producitur, sed effectus non est prior productione sui, sed potiùs posterior, ergo subjectum ut sic non consistit in hac prioritate.

IV. *Ratio formæ est dare, ratio subjecti recipere denominationem ab alio, quod ei aliquo modo unitur.*

Dico secundò: ratio formæ ut sic consistit in eo quod denominationem dat alteri cui aliquo modo unitur, & ratio subjecti in eo quod quovis modo denominationem ab alio sibi aliquo modo unito recipit. Probatur inductione, videmus namque omnis generis formas dare, & omnis generis subjecta recipere has denominationes, & formas è contrà non accipere denominationes à subjectis, nec enim visio dicitur parietata, nec calor ignitus, sicut ignis calidus, & paries visus, ergo optimum est signum à posteriori rationem formæ & objecti ut sic in hoc consistere, quòd illa sit apta dare, hoc recipere denominationem. Sicut quia omnes homines sentire videmus & ratiocinari, optimè à posteriori colligimus essentiam hominis in eo consistere, quòd sit principium sentiendi & ratiocinandi.

V. *Hoc probatur inductione, in omnibus enim subjectis & formis id videmus contingere.*

Dices; in hoc respondendi modo idem affirmari per idem, hujus enim rationem quærimus, cur scilicet proprium sit formæ dare denominationem potiùs quam subjecti. Resp. si petatur ratio à priori, nullam esse, sicut nec ullius essentiæ, cùm enim essentia sit prima ratio & conceptus cujusque rei, ostendi non potest per aliam rationem priorem, nihil enim est prius essentiâ. Ratio autem à posteriori optima traditur à signo, si enim hoc semper contingere videamus, est probabilis ratio à posteriori naturam & essentiam formæ ac subjecti in hoc consistere, ut in principio sentiendi & ratiocinandi ostendimus respectu hominis. Quod autem dicitur, responderi hîc idem per idem, hoc quoad rem ipsam semper contingit quando ad quæstionem *quid est* respondetur per definitionem, quia definitio quoad rem, eadem semper est cum re definitâ. Sufficit ergo quòd sit diversum quoad modum concipiendi, licèt re sit idem, ut cùm quærenti quid sit homo, respondetur, *est animal rationale.*

Respondens per definitionem, respondet quoad rem idem per idem.

VI. *Denominatio subjecti non provenit formæ à materiâ.*

Dices secundò; etiam formam denominari *subjectatam* seu *receptam*, ergo accipit denominationem à materiâ Resp. denominationem illam non provenire à materiâ, sed vel ab unione, vel actione eductivâ, sicut enim non dicitur unita à materiâ, sed ab unione, sic nec denominationem unitæ seu subjectatæ accipit à materiâ, sed ab unione, nec dicitur propriè *subjectata* à materiâ, sed in materiâ, licèt aliquando latè hoc modo loquamur. Quo etiam modo dicimus ignem vel Angelum productum esse à Deo, Deus tamen non illos denominat productos formaliter, sed dicuntur producti à productione, seu actione quâ fiunt, Deus verò sicut causa omnis efficiens, solùm denominat effectus productos in quantum ab ipsis fluit actio, quæ est forma adhæsionis respectu effectûs. An verò formæ ita denominant subjecta, ut quod ipsis convenit, tribuant subjectis, si sint illius capacia. Sic aër dicitur lucidus à luce, color vi-

sus à visione, materia seu corpus vivens ab animâ rationali: subjecta tamen è contrà non tribuunt denominationem formis eorum quæ in se continent, sic enim visio coloris nec colorata à colore, nec alba dicitur ab albedine, sicut nec anima rationalis mortua à materiâ.

potest esse subjectum respectu uni terius.

VII. *Quod est forma respectu unius.*

Solùm notandum, id quod est forma respectu unius, posse esse subjectum respectu alterius, anima ex. g. quæ respectu materiæ primæ seu corporis est forma, respectu intellectûs & voluntatis, si distinguantur, & respectu suorum actuum est subjectum. Sic quantitas respectu materiæ est forma, respectu albedinis & aliorum accidentium materialium dici communiter solet subjectum, & sic de aliis. Hæc de ratione subjecti in præsenti sufficiant, postea enim cùm de unione, iterum de eâ necessariò recurret sermo.

DISPUTATIO V.

De potentiâ Materiæ ad formas, & de Ordine Transcendentali.

SECTIO PRIMA.

An in creatis reperiatur ordo transcendentalis unius rei ad aliam.

I. *Quid sit ordo transcendentalis.*

UT clariùs procedamus, suppono ordinem seu relationem transcendentalem nihil aliud esse, quàm ipsam rei entitatem, quæ per se essentialem habet connexionem cum alia, ita ut si illud aliud redderetur impossibile, hoc similiter necessariò in Chimæram abiret, & pariter fieret impossibile.

II. *Prima sententia negat relationem transcendentalem in creatis.*

Recentiores aliqui non indocti, nec malè de re Philosophicâ meriti, ita philosophantur, ut & causam efficientem ab omni hujusmodi connexione cum effectu, & materiam à connexione essentiali cum formâ eximant, unde relationem hanc transcendentalem à rebus creatis tollunt, nullamque omnino rem esse aiunt, quæ reliquis etiam omnibus implicantibus, non remaneret possibilis, & eandem quam modò habet, entitatem integram retineret. Ita inter alios P. Oviedo, Controv. 10 Met. p. 4 n. 5.

III. *Communis Philosophorum sententia concedit.*

Contraria sententia, ut fatetur Oviedo numer. 2. est communis Philosophorum, quam variis locis tradit S. Thomas. Ex Recentioribus eam sequitur P. Suarez d 47. Met. s. 5. num. 11. & sequen. Hurt. d. 8. Phys. nu. 26. asserens hunc sensum cum ipsâ Philosophiâ esse natum. Arriaga d. 7. Phys. sect. 2. n. 12. & alij passim.

IV. *Quædam in rebus creatis existere sine aliis connaturaliter non possunt.*

Prima Conclusio: Datur inter res creatas exigentia connaturalis, ita ut ex iis nonnullæ sine aliis quibusdam existere connaturaliter non possint. Probatur, aqua frigus connaturaliter postulat tanquam debitum sibi temperamentum, terra siccitatem, homo potentiam visivam, & alios sensus, aqua tamen frequenter sine frigore reperitur, terra sine siccitate, homo sine visu.

V. *Quædam sine aliis existere omninò nequeunt naturaliter.*

Secunda Conclusio: major adhuc datur in rebus creatis exigentia, ita nimirum, ut sine quibusdam aliis existere omnino naturaliter non possint. Hoc modo accidens, & forma omnis materialis pendet à subjecto, actus vitalis à potentiâ, species & visio ab objecto, & alia hujusmodi. Hoc etiam modo duæ partes minimi naturalis ita à se invicem in esse pendent, ut neutra sine alterâ existere naturaliter possit.

VI. *Quædam sine aliis existere nequeunt divinitùs.*

Tertia Conclusio: In rebus creatis quoad actualem existentiam datur inter quasdam dependentia etiam essentialis, ita ut nec divinitùs sine iis existere valeant. Hac ratione actio dependet ab agente, unio ab extremis, & modus omnis à subjecto suo vel termino. Hoc etiam modo res quævis creata, ut ignis, lux, calor, ut existant petunt causam aliquam creatam, vel increatam, sine aliquâ enim non magis existere possunt, quàm unio sine extremis.

VII. *Datur inter res creatas relatio transcendentalis.*

Quarta Conclusio: datur inter res creatas dependentia & connexio essentialis etiam quoad possibilitatem, quâ ita aliarum possibilitatem exigunt, ut his implicantibus, illæ similiter implicarent. Ita auctores secundæ sententiæ.

VIII. *Probatur, nam materia est essentialiter ens incompleti.*

Probatur primò, Materia prima est essentialiter *ens incompletum*, & hoc est illi prædicatum intrinsecum, nec magis ab eâ separabile quàm esse *ens*, ergo essentialiter petit formas esse possibiles, à quibus compleri possit, ergo essentialem dicit respectum ad possibilitatem formarum; si enim illæ redderentur impossibiles, periret hoc prædicatum in materiâ, uno autem prædicato ejus pereunte, materia tota pereat necesse est, ergo.

IX. *Secundò probatur, nam accidens est essentialiter ens in alio.*

Probatur secundò, accidens est essentialiter *ens in alio* seu *entis ens* ut Philosophi omnes fatentur, ergo petet essentialiter esse subjectum possibile cui inesse possit. Sicut quia tam accidens, quàm alia res creata quæcunque est ens *ab alio*, petit essentialiter causam aliquam esse illius productionis, saltem Deum, sed non minùs de conceptu intrinseco accidentis est, quòd sit ens *in alio*, quàm ens *ab alio*, ergo. Confirmatur, actio generativa essentialiter petit subjectum, nam idem est actio generativa, atque eductiva è subjecto, hæc enim est illius essentia, ergo si subjectū reddatur impossibile, perit essentia hujus actionis, ergo eâdem operâ actio redditur impossibilis, ergo pendet essentialiter à possibilitate subjecti.

X. *Tertiò probatur ex definitione, & naturâ hominis.*

Probatur tertiò, hominis essentia est, ut sit *animal rationale*, seu *principium sentiendi & ratiocinandi*, actionum scilicet sensuum & intellectûs, ergo quàm certum est quòd sit homo, tam certum est petere ut sint possibiles operationes intellectuales & sensitivæ; si enim omnes redderentur impossibiles, esse illarum principium non posset, cùm nihil possit esse principium Chimæræ.

XI. *Nec ad hoc sufficit potentia conditionata.*

Dices; hæc omnia arguere potentiam solùm conditionatam, nempe materiam posse recipere formas, & hominem hujusmodi actiones producere si sint possibiles. Contrà primò, nam saltem de actione generativâ dici hoc non potest, cùm essentialiter sit eductio ex subjecto, ergo essentialiter requirit subjectum, ergo hoc implicante, implicabit necessariò & actio. Contrà secundò, Angelus videns materiam, nullâ etiam visâ formâ, videt eam esse ens incompletum & compartem, cùm videat illam comprehensivè, ergo videt eam essentialiter petere formas, seu compartes aliquas esse possibiles.

XII.

Contrà tertiò, nihil enim dicere potest potentiam seu

Nihil dicere potest respectum conditionatum ad id, ad quod non potest dicere absolutum.

seu respectum conditionatum ad id, ad quod nunquam dicere poterit absolutum, ut latiùs dicam d. seq. sect. 3. dum de respectu transcendentali Dei ad creaturas. Conf. hac de causâ nullus, ne ipsi quidem adversarij ponunt in luce vim conditionatam productivam soni, aut in aquilâ similem virtutem productricem columbæ, quam tamen juxta hunc philosophandi modum ponere in iis possent, si enim esset sonus aliquis possibilis qui produci posset à luce, lux eam posset producere, cùm hæc sint correlativa, ergo jam æquè habet lux potentiam conditionatam ad talem sonum, & aquila ad ejusmodi columbam, ac haberet materia ad formam leonis, posito quòd leo redderetur impossibilis, eodem enim tunc loco esset cum sono illo & columbâ. Contrà quartò, materia de facto non respicit conditionatè formas quæ jam sunt impossibiles, ergo si omnes essent impossibiles, nullas respiceret conditionatè.

XIII. *Si detur hujusmodi respectus conditionatus, sequitur quidlibet esse conditionatè quidlibet.*

Contrà quintò, hinc enim sequi videtur, quidlibet conditionatè esse quodlibet: quidni enim dici posset hominem esse conditionatè principium hinniendi, aut rugiendi, vitem habere conditionatè virtutem producendi rosas, posito scilicet quòd rosæ essent possibiles quæ à vite produci possent, & sic de cæteris? certè æquè modò sunt principia horum productiva, ac esset homo principium productivum actionum sensitivarum, aut materia formarum susceptiva, posito quòd formæ omnes & actiones sensitivæ implicarent, nec enim modo implicant magis rosæ illæ, quàm tunc actiones sensitivæ implicarent & formæ substantiales.

XIV. *Sicut Angelus petit essentialiter negationem compartis, ita anima petit compartem.*

Probatur conclusio quartò, & præcipuè: Angelus essentialiter est completus, & hoc nomine petit essentialiter negationem compartis aptæ cum ipso ad totum aliquod substantiale constituendum, & hoc est de intrinseco conceptu entis completi, ergo cùm anima rationalis sit ens essentialiter incompletum, & secundùm omnes, in hoc ipso conceptu essentialiter diversa ab Angelo, petit essentialiter compartem esse possibilem, quicum totum seu compositum substantiale constituat: unde sicut Angelus dicit essentialem connexionem cum negatione & impossibilitate talis compartis, ita ut si talis compars esset possibilis, Angelus mutaret essentiam; ita anima rationalis è contrario essentialem habet connexionem cum possibilitate talis compartis, & æquè implicaret, illa implicante, atque implicaret Angelus implicante illius negatione.

XV. *Inter causam etiam & effectum reperitur essentialis hæc dependentia.*

Quod de materia dixi respectu formarum, idem etiam est in formis respectu materiæ, & in causâ respectu effectûs, implicante enim effectu, non minùs implicaret causa, quàm implicante formâ, materia: quamvis connexio hæc & essentialis dependentia clariùs in entibus incompletis cernatur.

SECTIO II.

Solvuntur argumenta contendentia, non dari relationem transcendentalem in rebus creatis.

I. *Conditiones extrinsecæ universim negari non possunt.*

OBjicit P. Oviedo primò; non posse virtutem physicam dependere à re, quæ omnino non existit, ergo nec causa, nec materia effectum vel formam possibilem exigere essentialiter potest, cùm quod merè possibile est, nihil sit. Resp. sicut conditiones extrinsecas passim non existimo admittendas, ita eas universim rejicere, planè, arbitror impossibile. Sic æternitatem à parte antè, ut ita dicam, effluxisse, conditio est secundùm multos, ut infinita vis operativa Dei ad extra prodire in opus possit, & creaturam ullam producere. Sic fuisse in spatio A est conditio ut lapis cadens, vel animal quodcunque se movens, occupet locum proximum, cùm in nullâ re corporeâ (licet id aliqui concedant Angelis) motus discretus dari naturaliter possit.

II. *Ostenditur hoc ulteriùs in Angelo secreta cordium cognoscente.*

Sic, ut alia omittam, ut Angelus secreta cordium, & actus aliorum liberos cognoscat, requiritur consensus hominis vel Angeli actus illos elicientis, qui tamen consensus non loco tantùm, sed etiam tempore ab Angelo cognoscente subinde distat, ut si jam in instante A dicat Angelus aliquis volo ut Angelus talis actus omnes meos liberos cognoscat quos per horam hanc eliciam, & statim actu cesset. Hoc exemplum, si plenè declaretur, arbitror ad hanc rem efficacissimum, at ulterior ejus explicatio non est præsentis loci, sed spectat ad primam partem, ubi in materiâ de Angelis, d. 5. fusiùs illud declaravi, multis in hoc ipsum argumentum de conditione extrinsecâ ibidem adductis. Ad objectionem itaque respondeo, *Quomodo virtus physica pendere possit à re non existente.* virtutem physicam activam dependere à conditione extrinsecâ, eaque subinde non existente, posse, non quidem tanquam ab influente, sed tanquam à puro termino. Id verò hîc necessariò est admittendum ob rationes sec. præcedente allatas. De quo iterum d. 8. s. 4. n. 4.

III. *Licet una res non exigat existentiam alterius, potest exigere illius possibilitatem.*

Objicit idem secundò; causa non pendet ab existentiâ effectûs, ergo nec à possibilitate. Probat consequentiam, possibilitas rei & existentia non distinguuntur, ergo. Simile conficiam argumentum, prædicata possibilia seu res possibilis, ignis ex. g. non potest operari nec quidquam producere, ergo nec res existens. Probo consequentiam, res existens & possibilis non distinguuntur. Resp. itaque, sicut hîc, licet eadem utrobique sint prædicata objectiva, ratione tamen diversi statûs possunt res in uno statu ab iis pendere physicè, licèt non possint ab iisdem dependere ut in alio, & illa etiam prædicata in uno statu operari, non in alio; ita dico, in uno statu esse possunt prædicata illa terminus exigentiæ essentialis, licèt non sint illius terminus in alio. Addo exigere existentiam illius possibilem.

IV. *Ratio est, quia nullum est prædicatum quod exigat actualem illius existentiam.*

Ratiò autem est, quia in cælo, igne, calore, & similibus nullum est prædicatum quod exigat essentialiter actualem alterius rei existentiam, est tamen quod exigat possibilitatem, ut ostendi sec. præcedente, materia enim, seu quid aptum recipere aliud, essentialiter petit ut si aliquid quod possit recipi, sicut & aptum producere postulat essentialiter ut sit aliquid aptum produci. Addo in modis, quos admittit P. Oviedo, dari entitates quæ pendent ab actuali existentiâ aliarum rerum, easque essentialiter exigunt, ergo modi saltem possunt dependere à prædicatis earundem rerum possibilibus, cùm pendeant ab existentibus.

V. *Implicat virtus effectiva termini impossibilis.*

Objicit tertio; non repugnat ejusmodi virtus productiva creata, quæ implicante etiam effectu, subsistat, ergo gratis ponitur connexio hæc fatalis inter res creatas, ita ut una reddita impossibilis aliam in eandem secum internecionem trahat. Resp. quamvis hic modus argumentandi plerumque esse soleat inefficax, negando antecedens ob rationes sec. præcedente positas.

VI. *Implicat virtus operativa conditionata.*

Objiciunt quartò recentiores quidam; si respectus materiæ ad formam non statuatur absolutus & adæquatè intrinsecus, sed conditionatus, & partim intrinsecus partim extrinsecus, omnia abundè salvantur quæ respectui materiæ ad formam tribui à Philosophis solent, ergo non est cur statuatur absolutus. Resp. negando antecedens, imò respectus ille conditionatus est planè impossibilis, ut ostendi sec. præcedente.

VII. *Idem mediatè potest respicere seipsum.* Objicitur quintò; sequeretur causam saltem mediatè respicere seipsam, respicit enim effectum, qui vicissim respicit causam. Resp. nihil in hoc esse incommodi, ut constat in Divinis, ubi Pater respicit Filium, qui vicissim respicit Patrem.

VIII. Objicitur sextò; cognosci potest entitas causæ quin cognoscatur relata ad effectum, ergo nullam dicit ad eum relationem. Distinguo antecedens, cognosci potest causa perfectè & adæquatè quin cognoscatur relata ad effectum, nego antecedens; imperfectè & inadæquatè, concedo.

IX. *Obj. ignis dicitur actu agens per actionem actualem, ergo potens agere per actionem possibilem.* Objicitur septimò; Causa, ignis v.g. denominatur actu agens per actionem actualem, ergo denominatur potens agere per actionem possibilem, ergo non denominatur potens agere per virtutem sibi intrinsecam, ergo non dicit hujusmodi respectum essentialem ad effectum. Contrà primò, saltem actio dicet essentialem respectum ad effectum actualem & possibilem, ergo omnis relatio transcendentalis tollì è rebus creatis non potest. Contrà secundò, causa non tantùm respicit effectum, sed etiam actionem, hæc namque non minùs verè procedit à causâ, quam effectus, ad quem terminatur, non enim est à se, sed ab alio, ergo ad illam saltem datur respectus transcendentalis in causâ, & consequenter dependentia essentialis ab illius possibilitate.

X. *Resp. per actionem denominatur logicè potens agere.* Ad argumentum ergo Resp. distinguendo consequens, denominatur potens logicè, ut aiunt, seu non repugnans agere per actionem possibilem, concedo consequentiam; denominatur physicè potens agere per actionem possibilem, nego: denominatur enim physicè potens agere per suam entitatem physicam, quæ est virtus physica agendi; actio autem possibilis solùm est non repugnantia ad agendum.

XI. *Differentia inter actionem logicè, & physicè possibilem.* Dico itaque causam per actionem logicè possibilem, seu per prædicata essentialia actionis in statu possibilitatis denominari logicè potentem, seu non repugnantem agere, per actionem autem possibilem physicè, seu in potentiâ physicâ denominatur causa potens agere physicè, actio verò possibilis physicè, seu in potentiâ physicâ, nihil est aliud quàm virtus physica productiva actionis, seu entitas causæ, quæ eodem respectu refertur ad actionem & effectum, ad illam ut ad viam, seu *ut quo*, ad hunc ut ad terminum, seu *ut quod*, sicque indivisibiliter refertur ad utrumque.

XII. *Re unâ implicante, implicabunt omnia.* Objicitur octavò; hinc sequi, vel unicâ re implicante, ranâ ex. g. vel formicâ, implicaturum totum universum, eam enim ponimus rerum concatenationem, ut unâ in Chimæram abeunte, reliquas omnes in Chimæras transire necesse sit: si enim rana implicet, implicabit visio intuitiva, quâ Angelus vel anima separata illam videt, si anima implicet, implicabit materia, si materia, implicabunt formæ omnes materiales, totumque adeò universum. Resp. tantùm abesse ut hoc quidquam in se habeat incommodi, ut maximam arguet perfectionem in universo, ubi omnia tam arcto inter se vinculo ac veluti fœdere connectuntur.

XIII. *Angelus rem aliquâ videns solùm videbit eam cum aliis omnibus habere connexionem.* Objicitur nonò; hinc sequi, Angelum, si intuitivè videat rem aliquam, visurum ipso facto omnes, cùm necessariam habeat cum reliquis omnibus connexionem. Nego sequelam, solùm enim videbit rem illam cum aliis omnibus habere connexionem. Sicut beato videndo omnipotentiam Dei, vident eam esse virtutem rerum omnium productricem, quæ illæ in particulari sint, non vident. Dices; saltem si rem unam comprehendat, eâdem operâ comprehendet res omnes possibiles. Distinguo, si comprehendat comprehensione perfectissimâ, transeat; hæc autem nullæ creaturæ competit: si comprehensione solùm vulgari eam comprehendat, nego: de quo plura in libris de Animâ, dum de naturâ comprehensionis.

SECTIO III.

Inquiruntur quædam circa relationem transcendentalem inter res creatas.

I. *Datur etiam Relatio transcendentalis in intentionalibus.* Quæres primò, utrùm sicut in rebus physicis diximus dari ordinem transcendentalem, & essentialem unius ab alio dependentiam, ita detur idem ordo & dependentia in intentionalibus? Resp. affirmativè, ut ostendi in Logica d. 44. s. 5. unde sicut implicante materiâ, implicaret forma, ita implicante luce & colore, implicaret visio, implicante sole, implicaret cognitio repræsentativa solis, & sic de aliis. Ratio est, quia essentia visionis lucis est ut sit repræsentativa lucis, ergo si lux implicaret, periret hoc prædicatum visionis, & consequenter tota visio. Quòd siquis hîc etiam confugiat ad respectum conditionatum, urgebatur iis omnibus quæ suprà sec. 1. à num. 12. contra respectum conditionatum attuli in physicis, quæ quivis hîc facilè applicuerit.

II. *Res reales dicunt etiâ relationem ad impossibilia.* Quæres secundò, utrùm res realis dicere relationem transcendentalem possit ad aliquid impossibile? Resp. similiter affirmativè, nec enim minùs actus intellectûs repræsentans hippocervum ab illis prædicatis impossibilibus dependet, quàm actus repræsentans equum pendet, à prædicatis equi possibilibus, vel causa à prædicatis possibilibus effectûs. Quod de impossibilibus dixi, idem dictum esto de negationibus.

III. *Dices, idem actus illa adhuc repræsentabit, licèt reddantur possibilia.* Dices; etiamsi prædicata illa impossibilia redderentur possibilia, non apparet cur idem actus repræsentare illa adhuc non posset: potentia enim & actus intentionalis in objecta, non possibilia tantùm feruntur, sed etiam in impossibilia, in quo differunt à potentiis physicis, hæ enim cùm quidquid respiciunt, respiciant tanquam quid producendum, ipso facto quòd reddatur aliquid impossibile, respicere illud ulteriùs non possunt.

IV. *Resp. ostendendo hoc fieri non posse.* At, qui hoc modo philosophantur, non satis mihi attendere videntur ad differentiam inter objectum possibile & impossibile, quæ in conceptu suo objectivo essentialiter differunt, & multò magis quàm albedo & nigredo, leo & equus; impossibile enim, ut dixi in Logica d. 44. sec. 5. n. 9. essentialiter involvit duo contradictoria, conceptus enim impossibilis est conceptus repugnantis existere, seu secum identificata habentis prædicata inter se essentialiter pugnantia; conceptus autem possibilis est conceptus illius quod potest existere à parte rei, seu quod non involvit in se prædicata contradictoria, nec concipi magis possunt possibile & impossibile sine his, quàm paries albus sine albedine.

V. *Plus differt possibile ab impossibili, quam equus à leone.* Iam ergo sicut visio albediniesse nequit visio nigredinis, quacunque factâ suppositione, nec cognitio hominis cognitio formicæ, vel repræsentatio tragelaphi repræsentatio hippocentauri, ita à fortiori cognitio rei possibilis non potest ullo modo esse cognitio rei impossibilis, vel è contrà, cùm multo magis inter se differant quàm duæ res possibilis, aut una res impossibiles ab aliâ, sicque necessariò deberet cognitio illa mutare objectum, & repræsentare prædicata contradictoria, quæ antè non repræsentabat.

VI. *Si res illa reddatur possibilis, non potest eodem actu repræsentari.* Cognitio ergo quæ semel est repræsentatio objecti impossibilis, est semper illius repræsentatio, si autem fingamus objectum illud reddi possibile, cùm implicet hoc concipere sine mutatione essentiali prædicatorum, ut ostensum est, non potest idem actus

ctus objectum illud amplius repræsentare, magis quàm actus repræsentans equum potest illum adhuc repræsentare, si fingamus eum reddi leonem, cùm actus repræsentans principium hinnibile repræsentare nequeat principium rugibile.

VII. *Effectus etiam pendet essentialiter à possibilitate causæ.* Quæres tertiò, utrùm sicut causa pendet essentialiter à possibilitate effectûs, ita effectus vicissim essentialiter pendeat a possibilitate causæ? Resp. in rebus univocis non est dubium quin sit mutua hæc dependentia, per accidens enim in ijs est quòd una sit causa, alia effectus, sicut enim ignis A produxit ignem B, ita ignis B producere potuisset ignem A: & sic de reliquis.

VIII. *Hoc etiam reperitur in causis & effectibus æquivocis.* Idem existimo de causis & effectibus æquivocis, ut de luce respectu solis, calore respectu ignis, & similibus. Sicut enim est prædicatum intrinsecum talis causæ posse producere talem effectum, ita vicissim est prædicatum intrinsecum talis effectûs posse produci à tali causâ, & tam peculiariter respicit, non aliam: rosa enim spinam, non myrtum: uvæ vitem non ficum respiciunt, utpote quæ solæ producere eas possunt: quibus proinde implicantibus, uvæ implicabunt, & rosa.

IX. *An idem referri possit ad seipsum.* Quæres quartò, an idem referri transcendentaliter possit ad seipsum? Quæro ego vicissim quid requiratur ut censeatur aliquid transcendentaliter referri. Si dicas, requiri ut realis intercedat distinctio, facilis est responsio, clarum enim est hoc sensu non posse idem ad se referri, cùm à se realiter non distinguatur. Sin verò dicas, distinctionem realem ad hoc non esse necessariam, sed requiri solùm ut idem se repræsentet, aut aliquid hujusmodi, idem hoc sensu referri potest ad seipsum; actus enim qui dicit, *omnis actus intellectus est spiritualis*, se inter alios actus repræsentat, quamvis modus loquendi quo aliquid ad se dicitur transcendentaliter referri, mihi non adeo videatur proprius.

X. *Dependentia à re possibili est tanquam à concomitante.* Quæres quintò, qualis sit dependentia causæ ab effectu in esse possibili? Resp. esse tanquam à concomitante, licèt enim causa quoad actualem existentiam sit prior effectu, & tribuat ei actu existere, in esse tamen possibili æqualiter à se invicem pendent, sicque quoad possibilitatem habent se concomitanter.

XI. *Dependentia à rebus supernaturalibus.* Quæres sextò, an res naturales relationem etiam transcendentalem dicant ad supernaturales, ita ut his implicantibus, illæ similiter implicarent? Negat P. Ripalda Tom. 1. de Ente supernaturali, d. 32. s. 2. unde ait, implicante actu quocunque naturali, implicaturam potentiam, implicantibus verò omnibus actibus supernaturalibus non implicaturam.

XII. *Implicantibus actibus supernaturalibus implicabunt potentiæ naturales.* Existimo nihilominus parem de utrisque esse rationem: nec minùs implicantibus actibus supernaturalibus, mutatum iri in Chimæras potentias omnes naturales, quàm implicantibus actibus naturalibus. Ratio est, quia potentiæ non minùs verè & propriè concurrunt ad actus supernaturales, quàm ad naturales, unde hoc prædicatum, posse scilicet producere actum supernaturalem, non est ipsis minùs intrinsecum quàm posse producere naturalem, estque vera virtus, & quæ competere nequit negationi, aut Chimæræ, ergò implicante actu supernaturali, non minùs implicaret hoc prædicatum, quàm implicante naturali, aliud, ergo similiter implicaret potentia.

DISPVTATIO VI.

De ordine Transcendentali Dei ad creaturas.

SECTIO PRIMA.

An Deus transcendentaliter referatur ad creaturas.

I. *Status controversiæ.* AD vitandam quæstionem de nomine, recolendum quod suprà dixi sect. 1. n. 1. per relationem scilicet transcendentalem intelligere nos connexionem essentialem unius rei cum aliâ, ita ut hac implicante, illa similiter implicaret. Quærimus itaque an Deus hoc modo cum possibilitate creaturarum connectatur; Suarez enim, Herice, Fasolus 1. p. q. 12. a. 8. d. 11. & alij nonnulli, licèt ejusmodi connexionem concedant Dei cum creaturis, eum tamen transcendentaliter ad illas referri negant.

II. *1. sent. asserit dari Relationem transcen. Dei ad creaturas.* Prima itaque sententia affirmat dari hujusmodi connexionem essentialem inter Deum & creaturas possibiles. Ita Suarez 1. p. l. 3. de Attrib. cap. 9. n. 13. & alibi, licèt nolit vocari relationem. Herice 1. p. d. 5. n. præcipuè 48. Tann. 1. p. d. 4. q. 4. d. 3. Mærat. de Deo d. 18. s. 2. Granado 1 p. t. 6. d. 11. s. 5. Arria d. 7. Phys. s. 2. n. 20. & alij plurimi ex recentioribus.

III. *Secunda sententia negat.* Secunda sententia connexionem hanc inter Deum & creaturas negat. Ita Vasq. 1. p. d. 104. c. præsertim 6. citans Cajet. Capreo. Ferra, Scotum & alios. Albertin. in Prædicam. ad aliquid, corol. 2. Alarcon. d. 2. de scien. Dei. Oviedo c. 10. Met. p. 4. n. 11 & omnium acerrimè P. Hurtado d. 15. Met. s. 9. n. 104. & ex recentioribus non pauci.

IV. Prima conclusio: nullam argueret imperfectio. *Relatio transcen. ad creaturas nullam in Deo argueret imperfectionem.* nem in Deo essentialis hæc connexio cum creaturis possibilibus. Probatur primò, imperfectio hæc esset, quòd creaturâ per impossibile implicante, desineret Deus, sed nullum est inconveniens quòd Deus desineret sub conditione impossibili, ergo. Probatur minor, non est inconveniens quòd alia Dei attributa labefactarentur sub conditione impossibili, ergo nec quòd sub simili conditione labefactaretur ejus existentia. Antecedens probatur, si Deus non daret præmium bene operantibus promissum, esset injustus, vel secundùm omnes infidelis: si falsum diceret, non esset verax; si mentiretur, peccaret; ergo justitia Dei, fidelitas, veracitas, & sanctitas labefactarentur sub conditione impossibili, ergo nullum est inconveniens quòd sub simili conditione idem contingeret illius existentiæ. Cujus ratio est, quia cùm impossibile sit ut conditio illa (utpote impossibilis) ponatur, æquè est Deus eis necessarium, ac si à conditione illâ penitus non dependeret.

V. *Dices, ergo Deus non est magis necessarius, quàm creaturæ.* Dices; sequitur saltem Deum non esse magis necessarium quàm sint necessariæ creaturæ possibiles, hoc autem parum videtur dignum Deo, cùm impossibilium omnium maximè impossibile sit non esse Deum. Contrà primò, idem argumentum fieri potest de alijs Dei attributis, ut proximè ostensum est.

VI. *Probabile est omnia impossibilia esse æquè impossibilia.* Contrà secundò, si enim sermo sit de formali & propriâ impossibilitate, mihi probabile videtur impossibilia omnia, quæ sunt simpliciter talia, esse æquè impossibilia, sicut omnia falsa sunt æqualiter falsa: idcò

ideò enim hæc sunt æqualiter falsa, quia excludunt omnem veritatem, & omnis mors est æqualis, quia destruit omnem unionem inter animam & corpus, & tollit omnem vitam. Cùm ergo impossibilia omnia excludant omnem possibilitatem, erunt æqualiter impossibilia. Quare docti quidam recentiores asserunt nullum esse inconveniens concedere Deum non esse magis necessariũ in existentiâ, quàm creaturæ sint in possibilitate, nisi tantùm necessitate dignitatis & excellentiæ. Ita Suarez l. 9. de Trin. c. 6. à n. 18. & Tann. 1. p. d. 4. q. 4. d. 4. n. 31. & 32. & alij.

Dicunt aliqui Deum nõ esse magis necessarium creaturis possibilibus.

VII. Tertiò Respondeo, etiam admissâ inæqualitate inter impossibilia, nihilominus æquè impossibile esse creaturas non esse possibiles, ac Deum non esse, non quòd impossibilitas non-existentiæ Dei deprimatur ad illum solum gradum impossibilitatis, quo impossibile est creaturas possibiles non esse possibiles, sed quòd possibilitas creaturarum elevetur ad gradum necessitatis, quo impossibile est Deum non esse. Dico itaque tam impossibile esse creaturas non esse possibiles, quàm Deum non esse, sicque earum possibilitatem esse æque necessariam, ac necessarium est Deum esse, necessitate tamen extrinsecâ, non intrinsecâ. Quod ut intelligatur

Possibilitas creaturarũ elevatur ad necessitatem existentiæ Dei.

VIII. Notandum, possibilitatem, sicut & existentiam alicujus rei duobus modis esse posse necessariam: uno modo ex ipsis prædicatis rei intrinsecis; alio modo ob exigentiam extrinsecam alterius rei, quæ illius possibilitatem vel existentiam requirit. Claritatis gratiâ ponamus exemplum in sole, qui licèt posito quòd producatur, petat connaturaliter ex prædicatis suis intrinsecis perpetuò durare, cùm sit incorruptibilis, sicut Angelus, & consequenter sit naturaliter necessarius, si tamen detur ei duratio indivisibilis (quam plurimi putant esse possibilem) quæ petat essentialiter per horam aut diem durare, posito quòd semel producatur, jam ab hac duratione, seu ab extrinseco longè major soli accrescet necessitas persistendi in esse per diem vel horam, quàm sit illa quam ex naturâ suâ, & prædicatis intrinsecis habebat; duratio enim illa, cùm essentialiter petat durare per horam, e.g. non potest nec divinitùs ante horam illam elapsam destrui. Deinde cùm sit modus, petit essentialiter ut sol ejus subjectum tamdiu etiam, seu per horam duret, cùm esse nullo modo possit sine subjecto.

Possibilitas & existentia rei duobus modis possunt esse necessaria.

IX. Idem dico de creaturis possibilibus, quæ, si spectentur præcisè secundùm prædicata intrinseca, habent gradum necessitatis inferioris ordinis sibi proprium; ut verò sunt terminus relationis transcendentalis, quam Deus ad eas dicit, longè magis necessariò ab hoc extrinseco respectu sunt possibiles, quàm ex naturâ suâ, & ab intrinseco. Sicut similiter si Deus dicat solem cras oriturum, aut ignem combusturum, longè magis necessariò sequetur ortus solis, & ignis combustio ob hanc dictionem Dei, quàm ex causis naturalibus, licèt ex ijs etiam necessitate aliquâ sequerentur. Quod dictio Dei in eo casu faceret in existentibus, facit potentia in possibilibus.

Creaturæ possibiles secundùm se habent inferiorem gradum necessitatis.

X. Secundò, & præcipuè probatur conclusio, nempe non arguere in Deo imperfectionem, quòd hoc modo dependeat à creaturis possibilibus. Non est imperfectio in Deo ut dependeat hoc modo, seu habeat essentialem connexionem cum re impossibili ut impossibili, ergo non est imperfectio ut hac ratione dependeat, & habeat essentialem connexionem cum re possibili. Consequentia est clara, antecedens probatur; Deus de facto habet hujusmodi connexionem cum re impossibili ut impossibili, ergo. Antecedens probatur, Deus habet connexionem cum impossibilitate alterius Dei, seu cum alio Deo ut impossibili, si enim alius Deus, seu ens aliquod simpliciter infinitum, immensum, omnipotens, æqualis cum Deo sapientiæ, felicitatis, bonitatis, aliarumque perfectionum divinarum, verè & realiter existeret à parte rei, seu aliquid quod solo numero ab hoc Deo differret, Deus desineret; cùm unitas Dei essentialiter postulet ut unicus tantùm eodem tempore sit Deus. Conf. periret tunc unum Dei prædicatum, nempe unitas, ergo periret Deus, uno enim prædicato pereunte, perirent omnia, cùm realiter identificentur.

Secundò, & efficaciùs ostenditur non arguere in Deo imperfectionẽ dependere à creaturis possibilibus.

Hinc apertè refellitur quod tantâ contentione urget P. Hurt. d. illâ 15. Met s. 9. n. 105. & nonnulli ex adversarijs, dedecere nimirum Deum, facere illum dependentem à simiâ, vel formicâ. Sed contrà, inquiro enim utrùm magis dedeceat facere Deum dependentem à formicâ, quàm à Chimærâ, ita ut si hæc esset possibilis, Deus foret impossibilis? sicut è contrario arguunt ipsi de impossibilitate formicæ: & tamen omnes dependentiam illam Dei à Chimærâ, seu ab alio Deo impossibili admittere necessariò debent, ut ostensum est, ergo. Verum quidem est, si esset propriè dicta dependentia, sicut effectûs à causâ, seu tanquam ab influente, argueret imperfectionem, cùm verò solùm sit dependentia per modum connexionis essentialis, seu tanquam à termino nulla est imperfectio, ubi terminus seu conditio est simpliciter necessaria. XI.

Deus dependet ab alio quo impossibili, ergo dependere etiam poterit à possibili.

Tertiò probatur conclusio: Deus enim juxta auctores contrariæ sententiæ sine imperfectione dependet à varijs negationibus, ut Natura Divina pendet à negatione productionis simpliciter, & à fortiori à negatione productionis à causâ creatâ, & à negatione creationis, destructionis, mortalitatis, & similibus. Pater in Divinis pendet à negatione nascibilitatis, & sic de alijs, ergo sine imperfectione dependere eodem modo poterit Deus à possibilitate rei positivæ. XII.

Deus dependet à varijs negationibus, quidni ergo & à rebus possibilibus?

SECTIO II.

Ostenditur ulteriùs Deum transcendentaliter referri ad creaturas.

PRobavimus s. præcedente, nullum sequi inconveniens ex eo quòd Deus connexionem habeat essentialem cum creaturis possibilibus, quæ tamen est præcipua ratio cur contrariæ sententiæ auctores hanc in Deo connexionem negent. Nunc ulteriùs ostendendum connexionem hanc & relationem transcendentalem in Deo necessariò ab omnibus esse admittendam. I.

Secunda conclusio: Deus habet essentialem connexionem cum creaturis possibilibus, & hoc sensu transcendentaliter ad eas refertur. Prima & præcipua hujus conclusionis probatio posita est tota sec. præcedente. II.

Deus habet essentialem connexionẽ cum possibilibus.

Secundò, probatur ratione deductâ ex S. Thoma l. 2. contra Gent. cap. 22. n. 4 ubi ex potentiâ passivâ creaturarum ut producantur probat esse necessariò debere virtutem aliquam activam, seu potentiam illarum productricem, alioqui, inquit, otiosa esset potentia illa passiva, seu non repugnantia in creaturis ut producantur, frustra enim est potentia, quæ nunquam posset reduci ad actum, ergo similiter si in Deo sit potentia activa, seu virtus productiva, aliquid necessariò esse debet quod possit produci, alioquin otiosa esset hæc virtus activa, ut arguit S. Thomas de potent â passiva; nec enim magis potentia activa reduci ad actum posset, si nulla esset passiva, quàm passiva, si nulla esset activa. III.

Ratio est, quia frustra est potentia ad effectum impossibilẽ.

Tertiò

IV. *Præterea Deus continet creaturas ut virtus earum productiva.*

Tertiò probatur, Deus verè & propriè continet has creaturas tanquam virtus earum productiva, ergo necessariò esse debent possibiles, alioqui eas non contineret, virtus enim productiva est essentialiter alicujus productiva, ut ex terminis videtur notum.

V. *Hinc sequitur continere eas sub conceptu possibilium.*

Dices; continet hæc prædicata, sed non determinatè sub conceptu possibilium, sed indeterminatè, nempe secundum se, & nec directè sub conceptu possibilium, nec impossibilium. Contra, continet hæc prædicata tanquam virtus eorum productiva, ergo determinatè sub conceptu possibilium, nam continet ea sub conceptu producibilium. Contrà secundò, continet hæc prædicata, ergo ut possibilia, si enim essent impossibilia, non essent hæc, sed alia plus quàm genere distincta, multò enim magis differunt equus verus & Chimæricus, quàm Angelus & lapis.

VI. *Implicat ut Deus contineat creaturas conditionatè.*

Dices secundò; continet hæc prædicata solum conditionatè, unde quantumvis redderentur impossibilia, Deus eodem modo persisteret, & ea respiceret, nempe conditionatè. Contrà primò, implicat hujusmodi respectus conditionatus ad impossibilia, ut d. præcedente, s. 1. ostendi, primò, præter ibi dicta, quia Deus modò non respicit conditionatè, nec habet veram virtutem conditionatam producendi res impossibiles, nempe hippocervum, tragelaphum, & reliquas Chimæras, sed si res omnes implicarent, essent eodem loco, quo jam sunt Chimæræ, ergo non illas tunc respiceret conditionatè. Secundò, sic enim terra modò conditionatè respiceret ignem, lapis actus visionis, equus actus intellectûs, & hujusmodi, si enim esset possibilis ignis producibilis à terra, visio à lapide intellectio ab equo, terra, lapis, equus possent æquè ea producere, ac Deus quidquam producere posset, casu quo omnia redderentur impossibilia. Tertiò, frustra esset illa potentia quæ nunquam posset reduci ad actum, ut n. 2. ostendi ex S. Thomâ.

SECTIO III.

Solvuntur objectiones contra relationem transcendentalem Dei ad creaturas.

I. *Si omnia implicarent Deus non haberet virtutem producendi quidquid non implicat.*

Objicitur primò; omnipotentia in suo conceptu formali aliud non dicit quàm quòd sit virtus producendi quidquid non implicat, sed etsi creaturæ omnes implicarent, adhuc posset Deus producere quidquid non implicat, ergo adhuc habebit omnipotentiam. Resp. negando minorem, sic enim hippocervus aut alia quævis Chimæra foret omnipotens, si enim omnia essent impossibilia, æquè posset Chimæra producere quidquid non implicat, ac Deus. Dico itaque, in suppositione quòd omnia essent impossibilia, propositio hæc, *Deus producere potest quidquid non implicat*, est falsa, utpote de subjecto non supponente, supponit enim & esse veram virtutem operativam ad extra in Deo, & aliquid esse producibile ex parte objecti. Sicut eandem ob causam hæ & similes propositiones ab omnibus censentur falsæ, *Petrus occidit omnes homines in foro, Paulus, vel lapis videt quidquid est visibile*, posito quòd nullus fuerit homo in foro, nec quidquam omnino visibile à Deo producatur.

II. *Res ex se sunt possibiles, hoc tamen ut sic respicit Deus.*

Objicitur secundò; non ideo præcisè res est possibilis quia Deus potest illam producere, alioquin è contrario, Chimæra ideo esset impossibilis, quia Deus eam facere nequit, sicque impossibilitas rerum in impotentiam & defectum ex parte Dei refunderetur, quod non est admittendum. Resp. rem ex prædicatis suis intrinsecis, seu conceptu objectivo possibilem esse vel impossibilem, concomitanter tamen saltem se habere in Deo potentiam, vel negationem potentiæ, juxta possibilitatem rei vel impossibilitatem.

III. *Mysterium actûs liberi non est ponendum in omnibus Dei attributis.*

Objicitur tertiò; scientia futurorum eadem in Deo maneret quoad entitatem, etiamsi non fuissent hæc futura, sed alia, imò nulla, ergo & scientia possibilium eadem similiter foret, licèt non hæc possibilia fuissent, sed alia, vel etiam nulla, ergo & eadem potentia. Resp. in omnibus Dei attributis non esse ponendum mysterium actûs liberi, nec rem facilem reddendam difficilem: in scientia enim & volitione liberâ specialis est necessitas mysterium illud astruendi, quæ nõ est in alijs attributis. Deinde peculiaris est ratio dicendi potentiã in Deo à possibilitate creaturarũ dependere, ut ex dictis constat.

IV. *Hæc dependentia à possibilibus non arguit imperfectionem.*

Objicitur quartò; magnam in Deo arguit imperfectionem dependere hoc modo à creaturis, sic enim minimâ creaturâ implicante desineret, imò implicaret Deus. Hoc maximè urgent adversarij, estque veluti fundamentum contrariæ sententiæ, in cujus proinde solutione impendi totam sectionem primam, ubi ostendi idem in simili ab ipsis esse necessariò admittendum. Nulla ergo est imperfectio dependere ab aliquo tanquam à mero termino, ubi terminus ille est simpliciter necessarius.

V. *Impossibile est omnipotentiam non dependere ab effectu possibili.*

Objicitur quintò; major saltem esset perfectio Dei, si immunis planè statueretur à creaturis, sic enim magis foret independens, independentia verò dignitatè sonat, ergo tribui debet Deo. *Deus* enim, ut ait S. August. l. 1. de Doctr. Christ. c. 7 *est, quo nihil melius excogitari potest.* Contrà, omnes enim fateri debent dependere Deum à re impossibili, & varijs negationibus, ut ostendi sect. 1. Resp. itaque independentiam præ se ferre quandam dignitatem, esse tamen eam impossibilem in attributo quod in virtute productivâ consistit, ut ostensum est. Deo ergo tribui debet perfectissimus conceptus possibilis, non Chimæricus.

VI. *Dependentia à possibilibus non obstat conceptui entis necessarij, & à se.*

Objicitur sextò; Deus est ens perfectè necessarium, sed si dependeat à creaturis possibilibus, non erit perfectè necessarium, ergo. Conf. Deus est perfectissimè ens à se, ergo non potest dependere ab alio. Ad argumentum Resp. non obstare conceptui entis perfectè necessarij dependere ab alio quod est simpliciter necessarium. Utrùm autem & qua ratione Deus sit magis necessarius quàm creaturæ possibilis, dixi sect. 1. Ad Confir. dico, solam dependentiam ab alio tanquam à priori & ab influente obstare conceptui entis à se, non tanquam à posteriori, vel à termino, seu à concomitante.

VII. *Mens S. Thomæ circa Relationem Dei ad creaturas possibiles.*

Objicitur septimò; auctoritas S. Thomæ 2. contra Gent. c. 12. negantis dari in Deo relationes ad creaturas. Resp. manifestè ibi loqui S. Thomam de relatione prædicamentali, quæ in ipsius opinione est entitas à fundamento & termino distincta, non de transcendentali, quod apertè constat primò ex n. 3. ubi asserit, *id quod est actu, non dicere relationem ad id quod non est actu, sed potentiâ*, & inde probat Deum non dicere relationem ad creaturas, sed certum apud omnes est, relationem transcendentalem esse posse ad id quod non est actu, seu non requirere existentiam termini, sed hoc proprium esse prædicamentalis, ergo de hac loquitur ibi S. Doctor, non de transcendentali, alioqui argumentatio ipsius esset planè inefficax, quod de tanto Doctore dici nullo modo debet.

VIII. *Objicitur alius locus S. Thomæ.*

Objicitur ulteriùs alius locus ejusdem S. Doctoris 1. p. q. 25. a. 3. corp. ubi ait, *convenientiùs dici, ea, quæ contradictionem involvunt, non posse fieri, quàm quod Deus ea nõ possit facere*, ergo censet esse in Deo virtutem ex se productivâ impossibiliũ, & consequenter,

licèt creaturæ omnes jam possibiles redderentur impossibiles, maneret adhuc in Deo virtus illarum productiva, sicque juxta ipsum omnipotencia attributum est omnino absolutum, & à creaturis penitus indepenens.

IX. *Hic locus probat eum ponere essentialem connexionē Dei à possibilibus.*

Sed contrà, dum enim dicit convenientiùs tantùm illud prius dici, quàm posterius, significat apertè utrumque citra falsitatem dici posse. Convenientiùs quidem dicitur illud, ne ex modo loquendi, dum dicitur Deus non posse aliquid facere; suspicetur quispiam in Deo esse aliquem defectum, seu carentiam virtutis, quam habere deberet: unde cautè in hujusmodi loquendum, *ex verbis enim*, ut dici solet, *incautè prolatu nascitur hæresis.*

X. Quamvis autem satiùs sit hoc modo loqui, ipsemet tamen S. Thomas, & alij Patres sæpius absolutè dicunt Deum non posse producere illud quod est impossibile. Sic enim S. Hieronymus in Ep. ad Eustochium, ait, *Deum facere non posse, ut id quod præteritum est, non fuerit.* Quod etiam expresè sæpius affirmat S. Thom. 1. p. q. 25. a. 4. citans S. Hieronymum, S. Augustinum l. 26. contra Faustum, & Aristotelem 6. Ethic. cap. 2. idem asserentes. Nihil etiam frequentius apud S. Thomam quàm potentiam Dei non extendi ad impossibile, & alia hujusmodi, ut 2. cont. Gentes c. 25. n. 7. & deinceps, ubi ait, *non posse Deum facere idem simul esse & non esse, idem animal esse videns & cæcum, quod sit homo sine animâ, quòd triangulus rectilineus non habeat tres angulos æquales duobus rectis*, & similia. Ex quibus clarè constat de mente S. Thomæ hac in parte, ut quivis hæc loca perlegens facilè perspiciet. *S. Thomas sæpè docet non posse Deum producere id quod est impossibile.*

DISPVTATIO VII.

Qualis sit respectus materiæ ad formas, & causæ ad effectus.

SECTIO I.

An materia formas, & causa effectus respiciat in communi.

I. *Respectus Materiæ ad Formas est duplex.*

REspectus Materiæ ad formas, duplex est, transcendentalis & prædicamentalis. Transcendentalis est essentialis illa connexio cum formis in esse possibili, quam d. 5. declaravimus. Prædicamentalis respectus idem est ac appetitus quo materia, ut in statu sit sibi connaturali, formam aliquam petit sibi semper unitam. Hic tamen ordo & respectus non est adeò strictus ac præcedens, supernaturaliter enim omni formâ orbari potest. Sermo in præsenti de priori respectu est, seu transcendentali.

II. *Dicunt aliqui Materiam respicere formas in communi*

Nonnulli sic philosophantur: ordinem transcendentalem materiæ respectu formarum dicunt esse respectum, non ad hanc vel illam formam, & causæ efficientis, non ad hunc vel illum effectum in particulari (idem de potentijs dicunt respectu objectorum, & alijs) sed ad effectum & formam in communi; unde, inquiunt, implicante quacumque formâ, aut effectu in particulari, nec causa implicaret, nec materiâ, quia non respiciunt hanc formam *ut hanc*, aut hunc effectum *ut hunc*, seu secundùm ultimam differentiam individualem, sed secundùm rationem tantùm aliquam communem, quæ, inquiunt, quâvis formâ vel effectu permanente possibili, manet: si tamen formæ omnes quas respicit materia, vel effectus ad quos causa ordinem dicit, implicarent, implicaret, inquiunt materia & causa.

III. *Non repugnat ut actus dicat ordinem transcen. ad rationem aliquam communem.*

Prima Conclusio: non repugnat respectus transcendentalis actûs alicujus qui terminetur ad rationem aliquam communem. Hoc patet in nostrâ sententiâ in Logicâ d. 24. traditâ, ubi ostendimus posse actum intellectûs præscindere objectivè, & ferri in rationem communem ab inferioribus abstractam, quin repræsentet rationes particulares cum illâ à parte rei identificatas, & consequenter, si implicarent rationes omnes particulares, & sola esset possibilis hæc ratio communis, persisteret eodem modo hic actus.

IV. *Si esset potentia elicitiva solùm talium actuum, potentia etiam respiceret solam rationem communē.*

Secunda Conclusio: si daretur potentia quæ solos posset elicere actus repræsentantes rationes communes, tunc etiam potentia illa solam rationē communē pro termino transcendentali respiceret, & consequenter, si possent rationes illæ communes manere possibiles implicantibus particularibus, potentia maneret, cùm terminum sui respectûs adhuc haberet integrum. Ratio hujus conclusionis eadem est cum præcedente, cùm potentia non alio modo intentionaliter respiciat objecta quàm per actus, unde quod de his dicitur, convenit potentiæ & è contrà, objectū enim potentiæ est objectū omnium actuum, & objectum horum, objectum potentiæ.

V. *Objectum adæquatum intellectûs non est ratio aliqua communis.*

Tertia Conclusio: intellectus pro objecto adæquato non habet rationem aliquam unam abstractā & communem. Pro objecto, inquam, adæquato, & Aggregationis, quod enim feratur intellectus in rationes etiam communes quas abstrahit & considerat, constat ex conclusionibus positis, & ex disp. 24. Log. ubi ostensum est intellectum objectivè posse præscindere. Quòd verò nulla ratio cōmunis quantumcunque latè patens sit objectum illius adæquatum, etiam constat, considerat enim intellectus objecta diversissima secundùm particulares eorum rationes, & prout inter se differunt, ut Deum & creaturas, substantiam & accidens, Petrum & Paulum, ens reale & rationis, ergo non rationes tantùm communes, sed particulares etiam, ut particulares sunt objectum intellectûs. Et licèt hæc omnia conveniant in ratione entis & veri, cùm tamen intellectus per diversos actus illa omnia consideret, etiam ut differunt actus illi respiciunt in singulis, & considerant diversam rationem entis & veri. Unde implicante Petro implicaret actus illum repræsentans, implicante autem hoc actu implicaret potentia, cùm enim ex naturâ suâ sit potentia elicitiva talis actûs, si actus implicaret, non esset ampliùs potentia illius elicitiva, sed esse potentiam illius elicitivam est prædicatum identificatum cum intellectu, ergo à primo ad ultimum pereunte Petro, perit hoc prædicatum, & prædicato pereunte intellectus.

VI. Quarta Conclusio: potentia visiva colores, & sensus omnes sua objecta transcendentaliter respiciunt, non in communi, sed in particulari. Ratio est eadem quæ in præcedentibus conclusionibus, quia

respectus

Sensus objecta sua transcendentaliter respiciunt in particulari.

respectus potentiæ ad objecta desumi debet ex respectu omnium actuum ad illa, & qua ratione actus respiciunt objecta, respicit illa etiam potentia, utpote quæ objecta non respicit nisi per actus, unde implicante hac numero albedine, implicarent potentiæ omnes visivæ quæ jam eam possunt cernere. Hactenus de potentiis intentionalibus.

VII. *Nulla potentia physica respicit rationem communem.*

Quinta Conclusio: nulla potentia physica, sive activa sit, sive passiva, respicit rationem aliquam communem, sed particulares, etiam ut particulares. Ita Hurt. d. 8. Phys. s. 3, n. 57. Arriaga d. 7. Phys. s. 3. n. 29. & alij. Probatur à priori in causâ efficiente, quia causa efficiens respicit effectus suos omnes ut producibiles, & ut existentes, vel saltem ut aptos existere à parte rei, sed ut producibiles, & ut existentes à parte rei sunt formalissimè singulares, ergo causa efficiens respicit suos effectus formalissimè ut singulares. Major est certa, causa enim ut causa, est essentialiter ratio producendi effectum. Minor videtur manifesta; nam nihil nec per divinam potentiam existere in rerum naturâ potest nisi singulare, hoc enim esset Idæa Platonica. Consequentia est evidens. Conf. causa tendit in effectum, & eum respicit mediâ actione, sed actio non potest afficere nisi singulare, ergo. Et sicut de potentiis intentionalibus dixi, cùm non respiciant objecta nisi per actus, ideo illa eo modo respicere, quo actus eadem respiciunt. ita & de physicis dici debet, cùm in actu secundo non respiciant effectus, nisi per actiones, utpote quos respiciunt ut producendos, eodem ergo modo eos respicient, quo illos respiciunt actiones, sed actiones, ut fatentur omnes, respiciunt effectus in individuo, cùm sint affectiones horum tantùm, & non aliorum, ergo & causæ eosdem similiter respiciunt in individuo.

VIII. *Ultima ratio effectûs est producibilis ergo causa eam respicit.*

Secundò probatur conclusio, ultima ratio & individualis effectûs seu singularitas quâ singularitas est producibilis, & ultima ratio formæ est receptibilis, ergo datur potentia illarum quâ talium productiva & receptiva, ergo potentia illa ordinem transcendentalem dicit ad singularitatem quâ talem. Primum antecedens quoad effectum probatur, nam omnis effectus secundùm ultimum sui est *ens ab alio*, & quid creatum seu productum, non minùs quàm ratio superior, & communis, ergo causa aliqua esse debet illius quâ talis productiva, productivum enim & producibile sunt correlativa, ergo cum omnis causa effectum respiciat & producibilem, respiciet etiam hanc rationem ultimam, seu singularitatem, utpote quæ etiam quâ talis, est producibilis. Ultima etiam ratio individualis formæ recipitur in subjecto, ergo potest recipi, ergo petit aliquam potentiam sui receptivam, sed non est alia quàm ea quæ est receptiva rationis communis cum ipsa identificatæ, ergo illam petit.

Quivis effectus secundum ultimam differentiam est producibilis.

IX. *Deus producit rationem entis, quia producit hanc substantiam.*

Dices, ideo Deus hanc substantiam vel hoc accidens producit, quia est *ens*, ergo Deus ut causa rationem tantùm communem *entis* respicit in quolibet effectu, ergo & causa creata respicere poterit solam rationem communem. Resp. negando primum antecedens, imò ideò potiùs producit Deus rationem entis quia producit hanc substantiam, & hoc accidens, nam juxta Aristotelem variis locis, *generationes omnes & actiones primò & per se versantur circa singularia*: unde etiam ait *secundas substantias, id est rationes communes, non existere nisi ratione primariarum, seu individuorum, & per accidens produci ad productionem illorum*; quare primo Met. c. 1. ait, *hominem non nisi per accidens sanat, qui medetur.* Quibus congruit commune illud dictum Philosophorum ex Aristotele desumptum, nempe *predicata contingentia*, qualis est productio, & existentia, *universalibus convenire ratione particularium*, ut quia Petrus currit, ideo homo currit, animal currit, vivens, corpus, substantia currunt. Cujus ratio est, quia hæc omnia, cum vel sint actiones, vel eas necessariò requirant, exerceri primò & per se, ratione nostrâ, debent in individuis.

X. *Ignis A est hic numero formaliter per suam differentiam intrinsecam.*

Dices secundò; effectus, ignis A v.g. hîc & nunc productus non est hic numero quia procedit ab igne, sed quia à Deo, vel circumstantiis loci, temporis, & hujusmodi, ergo ignis in ratione causæ in actu primo non respicit ignem illum ut hunc, sed solùm ut ignem, ergo respicit solam rationem communem ignis. Resp. si formaliter loquamur & intrinsecè, nec est hic numero in suâ entitate quia procedit ab igne, nec quia à Deo, nec ob circumstantias, sed est hic numero formaliter & intrinsecè ob suam differentiam numericam, quam habet constitutivam sui in esse hujus: sicut Petrus est hic homo numero formaliter & intrinsecè per suam differentiam individualem, seu Perreitatem. Si autem sermo sit de causâ seu ratione extrinsecâ, id est, non quare sit hic, sed quare existat vel producatur, distinguo antecedens, non est hic numero quia procedit ab igne tanquam à *causâ determinante*, concedo antecedens; tanquam à causa efficiente vel coefficiente, nego.

XI. *Sequeretur causas secundas non respicere rationes specificas.*

Et si hæc ratio de determinatione aliquid probet, probabit etiam causas secundas non respicere transcendentaliter rationes etiam rerum specificas, cùm aliunde ad speciem subinde determinentur, sol ex. g. ex se est indifferens ad producendum aurum, argentum, plumbum, ranam, hanc vel illam plantam & similia, & determinatur hîc & nunc à dispositionibus ad hunc vel illum effectum specie, ergo sol non respicit transcendentaliter effectus etiam in specie, seu rationes eorum specificas, sed solùm rationem communem substantiæ: ergo dicere eodem modo possent implicante ratione aliquâ specificâ æquè non implicaturam causam, atque implicante aliquo individuo.

XII. *Singularitas effectus relucet in causâ, respicitur enim effectus ut producibilis.*

Dices; non relucet in causâ singularitas effectûs, seu illius individuatim, ergo causa effectum singularem, quà talem non respicit. Resp. negando antecedens, cùm enim causa effectum respiciat ut producibilem, respicit eum ut singularem, ut suprà diximus, & sic effectus hic numero relucet in causâ, licèt non magis hîc quam alius, ad quem similiter dicit ordinem, sicque omnes in causâ relucent. Addo, licèt causa physica non respiceret effectus in particulari, sed rationem tantùm communem, adhuc, implicante ullo individuo, implicaturam potentiam. Quod sic ostendo: implicante vel uno individuo ex centum possibilibus; implicaret hæc ratio communis, ergo implicante vel uno individuo implicaret potentia. Consequentia est certa, antecedens probatur, hæc ratio communis realiter identificatur cum his individuis, ergo implicante uno ex illis implicaret pariter hæc ratio communis. Deinde hæc ratio communis jam, ut suppono, est ratio prædicabilis de centum individuis, sed tunc non est ratio prædicabilis de centum individuis, ergo non est eadem, ergo nec maneret eadem potentia.

XIII. *Ratio communis non distinguitur à particulari, ergo causa physica vel utramque respicit, vel neutram.*

Tertiò probatur conclusio, ratio communis in effectu non distinguitur à parte rei à ratione individuali, ergo non potest physicè & realiter respici una & non alia, cùm à parte rei non sit una & alia. Dices, intellectus, ut diximus in Logicâ, d. 24. potest unam respicere, & non aliam, ergo & causa physica. Nego consequentiam, nam intellectus, cùm sit potentia abstractiva, potest unam rationem abstrahere ab aliâ, & concipere rationem aliquam *secundùm se*, & nec positivè ut existentem, nec ut non existentem, sed præscindere ab utroque; at verò causa physica non potest abstrahere à re prout à parte rei, imò non respicit ipsam nisi ut producibilem, & ut ponendam

dam à parte rei, & consequenter solùm ut singularem.

XIV. *Sequeretur unionem respicere terminum in communi.*

Quartò, quia idem dici posset de unione, & omnibus modis, nempe, non respicere nisi subjectum & terminum in communi, sicque percunte uno subjecto aut termino, posse tamen unionem manere, modò subjectum aliud aut terminus prioris loco succedat.

SECTIO II.

Ostenditur etiam Materiam non respicere formam in communi, & solvuntur objectiones.

I. *Materia etiam non respicit formas in communi.*

QUod diximus de causâ efficiente, idem omninò est in materiâ respectu formarum, nam materia respicit formas ut receptibiles, & ut aptas unà cum illâ constituere composita substantialia, seu ut compartes, sed non sunt receptibiles nec aptæ constituere composita substantialia cum materiâ, nisi ut singulares, ergo materia respicit formas ut singulares, ergo respicit ultimas earum differentias. Conf. respicit eas materia *ut quod*, eo modo quo unio eadem respicit *ut quo*, sed unio respicit formas ut singulares, ergo & materiâ. Eodem enim modo hîc philosophandum est de unione respectu materiæ & formæ, quo suprà de actione respectu causæ efficientis, & effectûs. Et hîc eodem modo urgent argumenta sec. præcedente pro causâ efficiente adducta.

II. Contra conclusiones statutas objicitur primò; Deus determinat ad individuationes effectuum, ergo causæ secundæ tantùm respiciunt rationes communes. Ad hoc argumentum satis dictum est s. præcedente.

III. *Objectum visûs non est color in communi.*

Objicies secundò; Objectum visûs est color ut sic, non hic vel ille color in particulari, ergo. Conf. objectum cujusque potentiæ debet esse unum. Ad argumentum distinguo Antecedens, objectum visûs est color ut sic, id est, ratio coloris abstracta ab omnibus coloribus, nego antecedens; est color ut sic, id est, non unus vel alter tantùm color in particulari, albedo scilicet vel nigredo, est adæquatum objectum visûs sed omnes, concedo. Unde Aristoteles ait, *contraria spectare ad eandem potentiam.* Ad confirmationem etiam distinguo antecedens, objectum cujusque potentiæ debet esse unum unitate fundamentali & similitudinis, seu quæ fundamentum præbeat intellectui ad abstrahendum unam rationem, concedo antecedens; debet esse unum unitate formali & physicâ, nego.

IV. *Causa physica non potest respicere effectum in communi.*

Objicies tertiò; causa per se primò respicit effectum in communi, & secundariò tantùm in particulari, ergo manente ratione communi manet specificativum potentiæ, licèt implicet aliquod individuum, quod antea non implicabat. Resp. primò, licèt concederetur respicere effectus in communi, adhuc periret necessariò implicante uno individuo, ut suprà dixi, nam ratio communis jam non esset eadem quæ antea. Secundò dico, causam physicam non posse respicere rationem communem, cùm enim, ut dixi, respiciat rem ut producibilem, & ut à parte rei, respicit eam necessariò ut singularem. Deinde cùm à parte rei non sit unum & aliud, non potest respici unum per se & primariò, & aliud secundariò, quod ad summum competit intellectui, qui suâ subtilitate rem physicè unam, intentionaliter dividit, ut ostendi in Logicâ d. 24.

V. Objicies quartò, Causa efficiens non respicit effectum in singulari, seu singularitatem illius *formaliter*, sed *realiter* tantùm, *materialiter*, & *identicè*. Contrà primò, si effectus reddatur impossibilis, jam nec eum respiciet *realiter*, nec *materialiter*, nec *identicè*, ergo non est idem respectus realiter, materialiter, & identicè, ergo diversus, & consequenter diversa entitas. Contrà secundò, idem sunt à parte rei singularitas & ratio communis, ergo non magis formaliter à parte rei & physicè respicitur una quam alia, cùm non sit una & alia à parte rei. Dices; ergo non est ignis vel homo à parte rei. Distinguo consequens, non est ignis vel homo in communi, concedo consequentiam; nam à parte rei nihil aliud est quam hic & ille ignis quàm Petrus, Paulus, Ioannes, &c. homo enim ut sic, & prout hoc nomine significatur, importat rationem hominis tantùm, quæ nunquam esse potest à parte rei, ergo non potest à causâ physicâ respici, quippe quæ respicit effectus suos realiter, & ut virtus ex essentiâ suâ ordinata ad illos à parte rei ponendos, ergo respici ab illâ non possunt nisi ut singulares, & ut apti à parte rei poni.

A parte rei tantùm est hic & ille ignis, homo, equus &c.

VI. *Causa respiciens plura ut plura non est disconveniens sibi.*

Objicies quintò; si causa plura respiceret ut plura, esset disconveniens sibi. Nego antecedens, cùm entitas ipsius sit hæc, nempe ut respiciat plures singulares effectus. Sicut non est sibi disconveniens visio corporea, dum albedinem & nigredinem, vel visio intuitiva, dum res maximè diversas, ut Deum & creaturas, vel etiam oppositas, ut lucem & tenebras, vitam & mortem, peccatum & gratiam simul repræsentat.

VII. *Implicante minimâ parte alicujus Formæ implicabit tota Materia.*

Ex dictis infero primò, implicante vel unicâ formâ, imò quacunque minimâ particulâ illius formæ materialis, implicaturam totam materiam. Cùm enim nulla sit pars materiæ quæ non sit susceptiva illius particulæ formæ, & consequenter quæ non dicat ordinem transcendentalem ad illam, illa implicante, implicarent omnes partes materiæ, adeoque tota materia, materiâ autem implicante, implicant formæ omnes, & accidentia in illa immediatè aut mediatè subjectata; his autem implicantibus, implicaret visio intuitiva quam habet Angelus de illis; hac autem visione implicante, implicaret Angelus.

VIII. *Implicante mundo sublunari implicabit cælestis.*

Implicante verò mundo sublunari, implicaret cælestis, cùm ordinem transcendentalem dicat tanquam causa ad effectus varios qui hîc indies producuntur, ut patet ex mutatione continuâ ac vicissitudine quam in mundo sublunari causant sidera, & sphæræ cælestes. De cœlo empyreo posset esse dubium, cùm enim non ordinetur ad res subiunares, sed sit sedes beatorum, sicque non circumvolvitur, sed fixum perpetuò est & immobile, videtur à fatali hac rerum dependentiâ excipiendum. Dico tamen & cœlum empyreum, implicante nostrâ materiâ, implicaturum, quia implicaret visio intuitiva & experimentalis quam Angeli & animæ de illo habent, imò & visio corporea implicaret, quâ homines post diem judicij illud videbunt naturaliter, vel saltem lucem in eo receptam, ergo si cœlum illud, & lux dicant ordinem transcendentalem ad has visiones, his implicantibus, implicabit & cœlum empyreum.

Implicante nostrâ Materiâ implicabit etiam cœlum empyreum.

IX. *Duratio hesterna non est simpliciter impossibilis.*

Dices; falsum esse effectu uno vel termino implicante, implicaturam causam, vel id quod terminum illum respicit, de facto enim duratio hesterna in cœlo, homine, lapide, & aliis recepta, jam est impossibilis, ita ut nec divinitùs produci modò possit, & tamen res in quibus duratio talis recepta fuit, permanent, ergo. Resp. durationem hesternam semper esse possibilem pro hesterno die, seu pro tempore pro quo semel fuit possibilis, unde nec jam est impossibilis simpliciter, sed solùm secundum quid. At verò impossibile de quo nos loquimur, ejusmodi esse debet, ut nullo tempore vel instante produci possit

ob

ob prædicata contradictoria quæ in se complectitur.

X. *Quomodo vitalitas tribuatur potentiæ, supernaturalitas lumini &c.*

Infero tertiò, quo pacto intelligi debeat frequentissimus ille loquendi modus, nempe tribuendo singula singulis, *vitalitatem* in visione beatificâ assignari potentiæ, *supernaturalitatem* lumini, *repræsentationem vel determinationem* speciei, &c. nempe non ita ut verè à parte rei una formalitas respiciat unam causam, & alia aliam, cùm à parte rei non sit una & alia formalitas, ut sæpe diximus: unde nec vitalitas nec supernaturalitas est à parte rei prout hoc nomine significantur, seu vitalitas & supernaturalitas tantùm. Sensus ergo illius dicti est conditionatus, nempe si existeret illa ratio vitalitatis à parte rei prout concipitur, exigeret potentiam vitalem non tamen supernaturalem, & è contrà de supernaturalitate. Unde tota præcisio fit per intellectum, à parte rei verò tam lumen respicit vitalitatem quàm eam respicit potentia, unde si hæc vitalitas implicaret, implicaret similiter lumen. Multò minùs vel potentia rationem communem vitalitatis respicit, vel lumen supernaturalitatis, cùm eas respiciant ut producendas.

SECTIO III.

Vtrùm Materia & causa efficiens respiciant formas & effectus divisivè, aut indeterminatè.

I. OStendimus causam relatione transcendentali effectum non respicere in communi, sed esse in illo priori indifferentem ad varios effectus in particulari, nec ex eo quòd determinetur à Deo vel circumstantiis ad hunc potiùs effectum quàm alium, ideò non fuisse in illo priori ordinem ad hunc numero effectum, quem jam producit, sed non fuisse ordinem ad hunc tantùm.

II. *Status difficultatis.* In præsenti orgo inquirimus, an materia in illo priori in quo concipimus ordinem ipsius transcendentalem ad formas, respiciat hanc, & illam, & alias omnes simul determinatè, an tantùm hanc, vel illam divisivè, determinatè, & vagè.

III. *Materia respicit formas collectivè non divisivè.* Dico primò: Materia respectu transcendentali omnes formas quas potest respicere, respicit collectivè, non divisivè, id est, non hanc vel illam, sed hanc & illam, & alias omnes. Probationi præmitto, aliud esse materiam (idem semper intelligo de causâ efficiente) collectivè & simul respicere formas, aliud respicere formas ut eas habeat collectivè, & simul, hoc enim secundum, cùm formæ naturalem dicant incompatibilitatem ut simul sint in eâdem materiâ, non potest competere materiæ, quæ non est naturalis potentia, & capacitas ad aliquid naturaliter impossibile. Id tamen non impedit, quo minùs transcendentaliter simul omnes formas respiciat & collectivè.

IV. *Ex potentiâ liberâ ostenditur respicientia hac collectiva.* Hoc optimè declaratur in potentiâ liberâ quæ definitur esse, *Quæ positis omnibus requisitis potest operari & non operari*, non quòd possit operari & non operari simul, ita ut ly *simul* cadat super illa duo, seu quòd possit operationem jungere cum non operatione, hoc enim nullâ potentiâ fieri potest, cùm sint duo contradictoria, sed quòd potentia ad operandum sit simul cum potentiâ ad non operandum, & æqualiter pro illo priori operationem respiciat & non operationem, non disjunctivè, operari scilicet vel non operari, equus enim & lapis positis omnibus requisitis possunt operari vel non operari, id est, alterum facere, non tamen utrumque vel alterutrum. Simultas ergo appellat super potentiam, non super actus. Sic Petrus potest simul attollere, & simul potest deprimere manum, non tamen attollere & deprimere manum simul: sic etiam constituitus quis in medio gymnasio, in illo priori simul ire potest Orientem versus, Occidentem, Septentrionem, & Meridiem, non tamen versus has omnes partes simul, sicut nec *sorbere simul*, ut aiunt, *& flare*.

V. *Aliud est Materiam simul respicere formas & collectivè, aliud ut habeat eas simul & collectivè.* Dico itaque materiam respectu transcendentali respicere formas collectivè, non hanc, vel illam, sed omnes, non quidem ut collectivè & simul habeat omnes, sed simul respicit omnes. Quod suadetur primò, pono materiam esse receptivam sex formarum, quo posito sic argumentor: Materia secundùm se considerata respicit aliquam ex sex illis formis, sed non est major ratio cur respiciat unam quàm aliam, ergo respicit omnes, ergo non tantùm respicit hanc vel illam, sed hanc, & illam, & omnes sex. Conf. Angelus materiam illam intuens & perfectè eam cognoscens, vidensque respicere aliquam ex sex illis formis, si non possit dicere quam ex illis magis respiciat, affirmabit respicere æqualiter omnes, cùm non sit major ratio unius quàm alterius: sicut in hac & similibus propositionibus, *Deus est alicubi*, seu in aliquo loco, sed non est major ratio cur in loco uno sit quàm in alio, ergo est in omni.

VI. Dices primò; quæ possunt simul uniri uni tertio, possunt simul uniri inter se, sed duæ formæ substantiales secundùm nos possunt simul uniri materiæ, nam dicimus materiam simul posse eas recipere, ergo & inter se. Resp. idem argumentum fieri posse in potentiâ liberâ respectu operationis & non operationis, & eodem modo probaret posse illa uniri inter se, seu in eodem instante in eodem subjecto existere. Dico ergo potentiam liberam (idem est de materiâ respectu formarum) nunquam esse potentem ad uniendam sibi operationem & non operationem simul, seu ad illa habenda simul, sed est potens simul & in eodem instante ad illa habenda successivè. *Materia est simul potens ad habendas diversas formas successivè.*

VII. Dices secundò; potentia proportionari debet actibus, ergo talis est potentia quales sunt actus, sed actus non possunt esse simul, ergo nec potentia ad illos est simul. Distinguo ultimum consequens, ergo potentia ad illos non est simul, id est, non est potentia ad illos habendos simul, concedo consequentiam; non est simul potentia ad illos habendos successivè, nego: nunquam enim ex parte potentiæ est virtus ad habendum illos simul. Deinde distinguo primum antecedens, potentia proportionari debet actibus *in ratione potentiæ & actûs*, concedo antecedens; in ratione entis, nego: potentia siquidem ad res corporeas sæpe est spiritualis, potentia ad rem finitam infinita, ut constat in Omnipotentia Divinâ respectu creaturarum, potentia etiam ad accidens frequenter est substantia, & ad rem successivam permanens: sic in Deo potentia ad producendum tempus est simultanea, nam ab æterno potens erat producere tempus, licèt non potens producere illud ab æterno. Idem est de aliis propemodum infinitis, ut consideranti patebit. *Quo sensu sit in Materiâ potentia ad plures Formas simul.*

VIII. Dices tertiò; eo modo potentia aliqua respicit actus, aut materia formas, quo potest eas habere, sed non potest habere res simul, sed successivè, ergo non respicit simul sed successivè. Distinguo majorem, eo modo respicit eminentialiter, virtualiter, & in esse potentiæ, concedo antecedens; formaliter & in esse entis, nego, ut dictum est in priori objectione. Sicut potentia producendi aliquid successivum est virtualiter successiva, formaliter simul. *virtus eminentialiter successivè, formaliter simul.*

IX. Dices quartò probare hæc quidem, non posse existere vel esse possibilem materiam, si omnes formæ implicarent, hoc tamen non arguit quin existere possit, licèt una aliqua, vel etiam ulla in particulari forma implicaret, modò semper aliqua maneat possibilis, *Dices, licèt perirei Materia, si omnes formæ implicarent, non tamen si quævis.*

lis. Unde quidni dici possit materiam omnino absolutè respicere aliquam formam, ita ut implicaret si omnes formæ implicarent, non tamen absolutè quamlibet, sed conditionatè, ita ut si quævis in particulari redderetur impossibilis, non periret materia?

X. Circa hoc dico secundò: licèt in rebus possibilibus non repugnet, imò de facto detur hujusmodi respectus indeterminatus seu conditionatus, respectu tamen eorum quæ sunt impossibilia, est planè implicatorius.

XI. *Datur respectus indeterminatus in rebus possibilibus.* Prima pars probatur, effectus enim quivis creatus, ut ignis, calor, frigus, dum existunt, petunt essentialiter aliquam causam conservativam sui, ita ut sine ejusmodi causâ existere nullo modo possint; nullam tamen petunt determinatè, sed aliquam tantùm indeterminatè ex iis quæ ad effectum illum sunt proportionatæ. Sic etiam licèt res creatæ certo loco aut tempori non sint affixæ, locum tamen aliquem & tempus, seu ubicationem ac durationem aliquam ita petunt, ut sine iis existere omnino non possint.

XII. *Implicat respectus indeterminatus respectu impossibilium* Secunda etiam conclusionis pars, quòd scilicet hoc repugnet respectu impossibilium, probatur, esset enim planè inanis, utpote qui nunquam posset reduci ad actum, & perinde est ac si quis diceret Petrum aut alium quemvis hominem habere potentiam conditionatam ad videndum Deum oculo corporeo, nempe si species elicitiva talis visionis, vel visio ejusmodi non esset impossibilis, & alia hujusmodi sequuntur, quæ suprà d. §. s. 1. intuli contra respectum conditionatum in ordine ad impossibilia. In rebus autem possibilibus merè est per accidens quòd quævis in particulari effectum illum non producat, vel quòd quævis forma materiam non informet.

XIII. *Licèt Materia respiceret Formas divisivè. adhuc unâ implicante implicaret.* Dico tertiò: licèt daremus materiam hoc secundo modo formas respicere, divisivè scilicet & indeterminatè, adhuc implicante unâ formâ implicaret materia. Probatur, suppono ex. g. esse jam sex formas possibiles, licèt materia sex illas formas respiceret hoc modo divisivè aut indeterminatè, adhuc unâ ex iis implicante periret prædicatum aliquod realiter identificatum cum materiâ, ac proinde periret materia. Antecedens probatur, relucet jam in materiâ quod sit divisivè susceptiva sex formarum, sed tunc non esset divisivè susceptiva sex formarum, sed tantùm quinque, nec alicujus è sex illis formis, sed solùm alicujus è quinque, ergo jam non relucet in materiâ aliquod prædicatum, quod antea in illâ relucebat, ergo perit aliquod illius prædicatum, ergo perit materia. Conf. ponamus materiam esse susceptivam duarum tantùm formarum divisivè, ergo est susceptiva hujus vel illius, sed unâ implicante non est amplius susceptiva hujus vel illius, sed tantùm hujus, cùm non sit susceptiva Chimæræ, ergo unâ implicante implicaret materia, & non esset hæc sed alia.

XIV. *Licèt alia Forma substitueretur, implicaret nihilominus Materia.* Dices; loco illius formæ quæ juxta suppositionem redditur impossibilis, succedat alia, ergo adhuc erit susceptiva duarum indeterminatè & divisivè, ergo non peribit ullum prædicatum in materiâ ex implicatione unius formæ. Resp. illa altera forma cujus jam est susceptiva, & ad quam dicit ordinem, vel erat antea possibilis, vel non: si erat, ergo antea illam respiciebat, respectus enim transcendentalis necessariò semper est ad omnia quæ potest respicere, cùm nihil aliud sit, quàm potentia ad formas quas potest recipere, & ad effectus quos potest producere; si autem forma illa dicatur esse nova, & quæ jam per impossibile emergat ex numero impossibilium, & reddatur possibilis, distinguo primum consequens, erit susceptiva earundem duarum formarum, seu hujus vel illius sicut antea, nego antecedens; erit susceptiva aliarum, concedo. Sed tunc non erit idem ordo, & materia quæ antea, sed alia, nec eadem habebit prædicata essentialia.

SECTIO IV.

Virùm materia immediatè sit receptiva formarum substantialium.

I. *Proponitur status controversiæ.* OStendimus materiam primam ex naturâ suâ & essentiâ esse ordinem transcendentalem ad formas. Quæstio ergo præsens est, utrùm ad hoc ut potentia ista, seu ordo transcendentalis reducatur ad actum, requiratur aliqua alia potentia proxima, quæ vel sola recipiat formas substantiales, ita ut materia remotè tantùm eas recipiat, sicut accidentalis omnes, præter quantitatem, remotè in aliquorum sententiâ recipit, qui dicunt albedinem & cæteras qualitates non subjectari in materiâ immediatè, sed in solâ quantitate: vel saltem utrùm detur potentia aliqua quæ ita juvet materiam, ut simul cum eâ formas recipiat, sicut qui ponunt potentias realiter distinctas ab animâ, dicunt actum intellectûs ex. g. immediatè & in intellectu subjectari, & in animâ.

II. *Potentia Materiæ ad Formas est duplex.* Notandum, duplicem esse in materiâ potentiam, alteram præcisè receptivam, quæ est aptitudo materiæ ut informetur formâ aliqua substantiali, & per hanc æqualiter respicit tam animam rationalem, quam formas omnes materiales: altera materiæ potentia est ad formas sustentandas, & per hanc non respicit animam rationalem, sed solas formas materiales, quæ ex illius potentiâ educuntur, vel educi possunt. Hæc tamen duplex potentia est realiter una & eadem, ipsa scilicet indivisibilis entitas materiæ; solùm ergo vocatur duplex, in quantum mente concipitur duplex munus materiæ, nempe ad formas incipiendas, & sustentandas. Quæstio autem hîc præcipuè de priori potentiâ procedit, nempe receptivâ.

III. *Materia per dispositiones redditur proximè apta ad Formas.* Dico primò: certum est ex parte materiæ requiri dispositiones aliquas per quas reddatur proximè apta ad naturaliter recipiendas formas substantiales, non quidem quòd omninò non possit recipere formam sine his dispositionibus, sicut non potest sine potentiâ suâ intrinsecâ, per quam est ens incompletum, sed connaturaliter seu juxtà naturalem exigentiam eas postulat, licèt possit Deus supernaturaliter in materiam omnino indispositam formam substantialem ignis v.g. vel aquæ inducere, quæ nihilominus materiam verè informabit, & cum eâ verum constituet compositum substantiale. Hæc conclusio non eget aliâ probatione quam quotidianâ experientiâ quâ videmus ut forma aliqua introducatur in materiam, varias requiri dispositiones, & nullam omnino sine dispositionibus præviis induci. Hæc tamen exigentia utrùm ex parte materiæ se teneat an formæ, an utriusque, postea videbimus.

IV. *Materia ad istam potentiam non requirit ad recipiendum Formas.* Dico secundò: non requiritur ex parte materiæ potentia aliqua ab ipsâ distincta, quâ ita juvetur ad recipiendas formas substantiales, ut potentia illa vel sola, vel simul cum materiâ easdem recipiat. Ita P. Suar d. 13. Met. s 8. n. 3. Hurt. d. 2. Phys. s. 4. Arriaga d. 2. Phys. s 3. n. 27. & alij passim contra Averroëm & Themistium. Probatur, vel enim potentia illa est accidentalis, seu accidens, quod ita recipit formas substantiales ut materia easdem non recipiat, nisi remotè, & in quantum potentiam illam accidentalem recipit immediatè, sicut paries dicitur visus, quia albedo terminat visionem: hoc autem est impossibile, sic enim non faceret unum per se substantiale inter materiam & formam, sed unum solùm per accidens, cùm forma, ut supponitur, uniatur immediatè tantùm

Forma accidentalis nequit adæquatè rectpere substantiam.

tùm illi accidenti, ergo non potest facere perfectiorem unionem cum materiâ cui solùm unitur mediatè, quàm cum formâ illa accidentali cui unitur immediatè. Deinde non videtur posse forma substantialis educi è potentia accidentis, educitur autem ex potentia sui subjecti, ergo accidens non potest esse subjectum respectu illius.

V. *Nec etiam potest accidens simul cum Materiâ recipere substantiâ.*

Nec etiam forma aliqua accidentalis ita est potentia ad formas substantiales, ut simul cum materia illas recipiat; quia unio illa esset accidentalis, cùm partialiter uniatur accidenti. Si verò ponatur duplex unio, per quarum unam uniatur immediatè forma materiæ, & per alteram formæ huic accidentali, contrà est, si enim possit immediatè uniri materiæ, & non mediâ potentiâ hac accidentali, ergo non est cur illa ponatur ut potentia formæ substantialis receptiva, sed ad summum ut dispositio, sicut calor, frigus, & reliqua accidentia ad recipiendas formas elementorum & aliorum, esset enim planè superflua in ratione recipiendi, seu per modum partialis potentiæ receptivæ. Deinde non potest forma substantialis recipi nec partialiter in aliquo accidente, ergo &c.

VI. *Nec potest adjungi Materia potentia substantialis ad recipiendas Formas.*

Dices; saltem poni posset in materiâ potentia aliqua receptiva substantialis distincta à materiâ, per quam formas recipiat. Sed contrà primò, ergo essentia physica hominis non est sola materia, anima rationalis, & unio, cùm jam nova forma seu potentia ingrediatur illius constitutionem. Contrà secundò, vel illa potentia inest materiæ, vel non: si insit, ergo sicut materia hanc recipit, immediatè quare formas alias substantiales non poterit immediatè recipere? si non insit materiæ, sed per se subsistat, ergo erit materia, cùm ei competat definitio materiæ, nempe quòd sit primum subjectum susceptivum formarum substantialium. Deinde, si dicatur potentiam illam esse formam aliquam substantialem, non potest materiam juvare ad formas substantiales recipiendas, cùm una forma substantialis non sit susceptiva alterius.

VII. *Licèt efficiens requirat accidens ad operandum, non tamen Materia ad recipiendum*

Dices primò; causa efficiens substantialis requirit accidens quod simul concurrat ad producendam substantiam, ignis v.g. requirit calorem ad producendum ignem, ergo & causa materialis aliam potentiam requirit ad recipiendam formam substantialem. Resp. primò à multis negari antecedens. Secundò dico, hoc argumentum si quid probet, probare requiri accidens per quod formam recipiat, sicut substantia requirit accidens tanquam instrumentum per quod agat, hoc autem fieri non potest, ut suprà ostensum est. Deinde, diversa ratio est de causâ materiali & efficienti, cùm causa materialis petat ut cum formâ quam recipit, faciat unum per se, & compositum substantiale, non sic causa efficiens. Cùm ergo accidens non juvet ad faciendum unum per se, imò obstet potiùs, non est cur in materiâ hujusmodi accidens statuatur.

VIII. *Esto Materia requireret accidens ad recipiendas Formas accidentales, non tamen ad substantiales.*

Dices secundò; materia ut recipiat alia accidentia, requirit quantitatem, ergo ut recipiat formas substantiales, requirit etiam formam aliquam substantialem. Resp. primò, antecedens non esse certum, multi enim dicunt albedinem & cætera accidentia recipi immediatè in materiâ, & non in quantitate. Secundò, quidquid sit de hoc, Resp. negando consequentiam, ob rationes suprà positas de definitione physicâ hominis & aliorum compositorum substantialium quorum definitionem, seu conceptum essentialem non ingreditur nisi materia, forma, & unio. Deinde, quia non immediatè denominarent formæ materiam, sed solùm remotè, & mediatè, remota autem & mediata causa non est propriè causa.

IX. Dices tertiò; saltem ad sustentandum & influendum materialiter in formas, materia requirit potentiam aliquam distinctam, sicut efficiens. Negatur tamen antecedens, dicendum enim esset materiam requirere accidens ad recipiendam formam substantialem, sicut efficiens requirit accidens ad agendum, accidens autem cùm recipere formam substantialem non possit, nec potest eam sustentare, semper enim subjectum sustentationis est pariter subjectum informationis. *Nec ad influendum in Formas requirit Materia accidens.*

Dices quartò; Ratio potentiæ variatur in materiâ, & accedit ac recedit, ergo esse potentiam non est illius entitas, quippe quæ nunquam minuitur. Antecedens probatur, materia siquidem jam est potentia ad formam ignis existentem, postea tamen ubi corrupta fuerit illa forma, non est amplius potentia ad illam, cùm naturaliter reproduci non possit, potentia autem naturalis ad rem naturaliter impossibilem dari nequit, ergo ratio potentiæ est aliquid potentiæ superadditum, & ab ipsâ distinctum, non illius entitas. X. *Dices. potentia Materiæ accedit & recedit, ergo distinguitur.*

Contrà, idem argumentum fieri potest de hac ipsa potentiâ accidentali: vel enim hæc perit pereunte formâ, vel non: si non pereat, ergo hæc respectu formæ jam destructæ esse debet potentia per aliquid superadditum, cùm eam denuò recipere non possit; sin verò pereat, ergo materia respectu illius constitui in ratione potentiæ debet per aliquid superadditum, sicque ibitur in infinitum. Idem est in causâ quavis efficiente, quæ effectus semel destructos reproducere denuò non potest. Resp. itaque vel posse materiam ex se formas destructas iterum recipere, vel naturam ejus esse ut semel tantùm eandem formam recipiat, sicque eadem semper in eâ præstat potentia, sed de hac re plura postea. XI. *Contrà: idem argumentum fieri posset de formâ accidentali Materiæ superadditâ.*

SECTIO V.

An materia sit potentia respectu formarum, ut omnem excludat actum. Seu, an sit pura potentia.

COmmune antiquorum effatum est, ac veluti oraculum Philosophicum, *materiam esse puram potentiam*: quod pronuntiatum ita sanctè nonnulli severèque servari volunt, & materiam ita puram potentiam esse asserunt; ut eam omnem omninò actum excludere affirment. I.

Ut res intelligatur, Nontandum, triplicem esse potentiam quoad præsens, *Objectivam, Activam, & Passivam*: *Objectiva*, quæ & *Logica* dicitur, est non repugnantia ad existendum, ut sol ante productionem non involvebat in concepto suo objectivo ullam repugnantiam ad existendum, seu prædicata contradictoria, ratione quorum non posset physicè & realiter existere, sicut involvit Chimæra. *Potentia activa* est virtus aliquid producendi, seu quæ effectum aliquem præcontinet, ut sol respectu lucis, ignis respectu caloris. *Passiva* demum est aptitudo ad formam aliquam recipiendam, & denominationem ab eâ desumendam. Suus cuique potentiæ respondet actus, objectivæ existentiæ, activæ effectus, passivæ forma. II. *Potentia triplex: Objectiva, Activa, & Passiva.*

Notandum secundò, aliud esse, rem aliquam esse *potentiam*, aliud esse *in potentiâ*, solem enim vel Angelum esse in potentiâ logicâ, seu objectivâ, idem sonat atque non esse eos productos, nec extra causas positos, & hoc sensu certum est materiam primam jam existentem, licèt dici possit pura potentia, ut postea videbimus, non tamen esse in purâ potentiâ, seu objectivâ, & logicâ, tunc enim non existeret. Nec etiam dici potest materia esse in purâ potentiâ passivâ, III. *Aliud est esse Potentiam, aliud in potentiâ.*

ſivâ, hoc enim ſonat, materiam nullam actu habere formam, ſicut eſſe in potentiâ logicâ eſt nullam habere exiſtentiam.

IV. *Materia prima non excludit omnem actum.* Dico primò: materia prima non ita eſt pura potentia, ut omnem excludat actum. Probatur, eſt entitas aliqua, ſeu quiddam phyſicè & realiter ab entitate formæ diſtinctum, ergo habet actum entitativum, qui entibus omnibus, eo ipſo quòd entia ſint, eſt communis. Conf. primò, materia conſtat ex genere & differentiâ cùm definiri poſſit, ut vidimus ex Ariſtotele eam definiente, quòd ſit *primum ſubjectum ex quo ſit aliquid, ita ut inſit*, ergo ſaltem habet actum metaphyſicum, differentiam ſcilicet, quâ ab omni aliâ re diſtinguitur. Conf. ſecundò, materia habet propriam exiſtentiam, ut poſtea videbimus, ergo habet actum exiſtendi.

V. *Habere debet actum entitativum* Conf. tertiò, eſto enim concederemus materiam exiſtere per exiſtentiam formarum, adhuc neceſſariò eſſe per ſe deberet entitas aliqua, ſicque habere actum entitativum, nam pereuntibus variis formis, quibus ſucceſſivè ſubeſt materia, manet perpetuò eadem entitas materiæ, ergo habet actum entitativũ, ſeu entitatem aliquam à formis diſtinctum.

VI. *Materia prima eſt pura potentia phyſica.* Dico ſecundò: materia prima eſt pura potentia phyſica, excludens ab entitate ſuâ omnem actum phyſicum, ac dicens repugnantiam ut ſit actus phyſicus ſeu forma, multò magis ut ſit totum compoſitum, ut quidam volebant ex antiquis, quos impugnat Ariſtoteles, dum ait materiam eſſe puram potentiam, & hoc ſolùm ſenſu ab ipſo & S. Thoma vocatur pura potentia. Probatur concluſio, materia eſt primum ſubjectum, ergo non poteſt eſſe forma, primum enim ſubjectum illud eſt quod non habet aliud prius ſe, ſi autem materia prima eſſet forma, deberet ineſſe alteri ſubjecto, & conſequenter non eſſet primum, ut ſuprà oſtendimus. d. 3. ſ. 1.

VII. *Materia eſt purus actus ſubſiſtens incompletus.* Dices, ergo materia eſt purus actus ſubſiſtens. Diſtinguo conſequens, eſt purus actus ſubſiſtens incompletus, concedo conſequentiam; completus, nego: actus enim completus ut Angelus, non ordinatur ad complendum aliud, ſed eſt ens per ſe completum, & omnibus quaſi numeris in hoc genere abſolutum: Actus autem incompletus ille eſt, qui ad aliud complendum ordinatur, ut anima rationalis. Materia autem eſt actus incompletus, non quicunque, ſed entitativus, non verò phyſicus, hoc enim competit ſoli formæ, ut diximus.

VIII. *An Forma dici poſſit actus purus phyſicus.* Licèt autem, ſicut materia vocatur *pura potentia phyſica*, ita forma in rigore appellari poſſet actus purus phyſicus, non tamen ita loquendum, niſi addatur informans vel informativus, quia per actum purum communiter intelligunt auctores Deum, qui eſt actus purus perfectè & completè ſubſiſtens, omnem omnino rationem potentiæ paſſivæ eſſentialiter excludens.

DISPUTATIO VIII.

De appetitu materiæ ad formas.

NIhil apud Ariſtotelem frequentius, nihil uſitatius in Scholis, quàm materiam formas appetere. Hîc ergo quid tam celebris iſte materiæ appetitus ſit, inveſtigandum. Cui quæſtioni miror nonnullos tamdiu inſiſtere, eamque tam operosè diſcutere, cùm nullibi acriùs diſceptetur de nomine.

SECTIO PRIMA.

Quid, & qualis ſit appetitus materiæ ad formas.

I. *In quo differant appetitus à potentiâ paſſivâ.* NOtandum, appetitum aliud nihil eſſe, quàm *propenſionem alicujus rei in bonum ſuum, & perfectionem*: unde in hoc differt à potentiâ paſſivâ, quòd hæc ad id etiam aliquando detur, quod non eſt perfectio, nec bonum habentis, ut aqua potentiam habet receptivam caloris, animal doloris, & ſimilia.

II. *Appetitus duplex, elicitus, & innatus.* Appetitus duplex eſt, *elicitus* alius, alius *innatus* ſeu naturalis: appetitus elicitus *eſt actus aliquis à potentiâ appetitivâ productus, quo quis quod ſibi congruit, expetit*, quâ de causâ vocatur elicitus. Cùm ergo *opus naturæ ſit opus intelligentiæ*, ut ait S. Thomas, & Ariſtoteles, ſicut animalia bonum quod per cognitionem præviam repræſentant, appetunt per appetitum elicitum; ita res omnes naturales per ſuas entitates in ſuum bonum & perfectionem propendent, quæ inclinatio & propenſio vocatur *appetitus innatus*, ſeu *naturalis*, non elicitus, quia eſt ſola entitas ipſa rerum, & non actus quiſpiam vitalis, & ſenſibilis à potentiâ aliquâ procedens, ut in rebus cognoſcitivis contingit. Sic lapis appetitum naturalem habere dicitur ad centrum, ignis ad ſuam ſphæram, & materia prima ad formas, quibus, cùm ex ſe ſit quid incompletum, perficitur, ac proinde formæ hoc ſenſu ſunt bonum materiæ, & illius perfectio.

III. *Res per appetitum innatum quædam fugiit, & averſantur.* Sicut verò omnis actus elicitus rei per cognitionem operantis non eſt appetitus, ſeu proſecutio, ſed odium aliquando & fuga, nempe reſpectu mali; ita res etiam naturales appetitu innato averſantur veluti ac fugiunt quædam, ea nimirum quæ ipſis mala ſunt & diſconvenientia. Sic animal appetitu vel actu elicito dolet de malo aliquo præſente, & homo actus erroris elicit, ad quæ tamen appetitum innatum non habent, ſicut nec aqua ad calorem, ſed illium averſatur potiùs ac fugit.

IV. *Deſiderium, Gaudium, & Amor.* Secundò notandum, ſicut appetitus ſeu actus elicitus triplex conſtitui ſolet, *deſiderium*, quod eſt de bono abſente, *Gaudium* ſeu fruitio & quies de bono præſenti, & illius poſſeſſio, & *amor*, qui abſoluto quodam modo in bonum fertur ſecundùm ſe, abſtrahendo à præſentiâ ejus vel abſentiâ; ſic ſuo etiam modo philoſophari poſſumus de appetitu innato. Si ergo bonum & perfectio rei debita abſit, dicitur reſpectu illius, *deſiderium*: ſi adſit, *gaudium* de illo dicitur, vel fruitio: ſi verò ſecundùm ſe ſumatur, & reſpectu merè tranſcendentali, dicitur *amor*.

V. *Actus appetitûs, aly abſoluti, aly conditionati.* Notandum tertiò, ſicut actus ſeu appetitus eliciti alij abſoluti ſunt, alij conditionati & inefficaces ita & in appetitu innato hujuſmodi aliquid reperitur. Ultimò verò, & præcipuè notandum, cùm appetitus innatus per metaphoram tantùm dicatur appetitus, & impropriè, ſimilitudine ab appetitu elicito deductâ, non ita exactè conferri cum appetitu elicito debere, ut quidquid in hoc reperitur, aſcribatur ſtatim alteri, eique ad amuſſim quadret, ſed ſufficit ſi in unâ vel alterâ proportione cum illo conveniat.

Prima

VI. *Materia appetitu innato appetit omnes Formas.*

Prima conclusio: materia respectu transcendentali, seu appetitu innato formas omnes appetit. Probatur, Appetitus hic nihil aliud est quàm *propensio & inclinatio naturalis in bonum proprium & perfectionem*, sed formæ omnes sunt bonum & perfectio materiæ, per eas enim tanquam per compartes juxta naturalem, quam habet, inclinationem perficitur, ergo.

VII. *Magis appetit Formas perfectiores*

Secunda conclusio: Materia appetitu innato magis formas perfectas appetit quàm imperfectas, & consequenter omnium maximè appetit animam rationalem. Est contra P. Arriagam d. 2. Phys. §. 4. n. 42. Hæc conclusio exinde probatur, quòd cùm appetitus innatus, ut diximus, sit propensio cujusque rei in bonum suum, quò res quæpiam est illi melior, eò illam magis appetit, cùm ergo maximè perficiatur materia ab animâ rationali, utpote forma omnium nobilissimâ, maximè illam appetet.

VIII. *Propensio indivisibilis materiæ est tota magis respectu unius formæ, quàm alterius.*

Dices; propensio materiæ est ipsa ejus entitas, sed entitas materiæ est indivisibilis, ergo & propensio, ergo non est major vel minor propensio respectu unius quàm alterius. Resp. negando ultimam consequentiam, licèt enim entitas materiæ, & consequenter respectus ejusdem transcendentalis & propensio sit indivisibilis, hinc tamen non arguitur, non magis propendere materiam ad unam formam quàm ad aliam, non quòd entitas illius & propensio dividatur, & pars hanc formam respiciat, pars illam, sed tota materiæ entitas magis propendet ad unam formam, quàm ad aliam, juxta formarum in perfectione diversitatem.

IX. *In appetitu etiam elicito duo eodem actu amantur inæqualiter.*

Nec hoc mirum cuipiam videri debet, cum idem in appetitu elicito contingat, & aliis rebus: primò enim possunt duo eodem indivisibili actu amari & appeti inæqualiter, ut cùm quis creaturas propter Deum amat, & medicinam propter sanitatem, quod etiam contingit cùm duo vel plura objecta disparata amantur eodem actu inæqualiter. Idem in intellectu cernitur, ut dum per visionem beatam videtur Deus clarè & intuitivè, creaturæ autem solùm abstractivè. Sic eadem visio materialis duos colores, quorum unus alio est obscurior, vel remotior, repræsentat, sicque totus actus respectu unius est clarior quàm respectu alterius.

X. *Maximè appetit animam rationalem.*

Omnium ergo formarum maximè appetit materia animam rationalem, utpote maximam suam perfectionem: si enim materia appeteret per cognitionem præviam, maximè eam appeteret, ergo jam idem præstabit, licèt non cognoscat, cùm *opus naturæ*, ut dictum est, *sit opus intelligentiæ*.

XI. *Nec obstat quòd ignis æqualiter appetat quamcunque suprematn partem suæ sphæræ.*

Dices secundò; ignis æqualiter appetit quamcunque saltem ex supremis partibus suæ sphæræ, ergo & materia æqualiter appetit quamcunque formam. Nego consequentiam, nam sphæra ignis est ex partibus homogeneis, nec una pars excedit in perfectione aliam: at sphæra, ut ita dicam, materiæ, nempe formæ omnes, est heterogenea, constans ex variis partibus dissimilibus, formis scilicet in perfectione inæqualibus. Instabis, ergo materia est in statu violento quando est sub alia formâ, quàm sub animâ rationali. Nego consequentiam, non enim cum aliquid non est in perfectione suâ maximâ, sequitur esse in statu violento, sicut nec intellectus est in statu violento cùm non habet actum omnium perfectissimum, quem ex naturâ suâ aptus est elicere. Cùm ergo quælibet forma sit beatitudo quasi naturalis ipsius, eamque instar compartis compleat, materia sub quavis bene & sufficienter se habet, estque suâ sorte contenta, sicque non est in statu violento, licèt meliore loco esset si informaretur ab animâ rationali. Deinde materia ut pars universi appetit varietatem, ut postea dicetur.

XII. *Appetitus Materiæ ad Formas est instar amoris.*

Tertia conclusio: si spectetur appetitus materiæ ad formas merè secundùm ordinem illius transcendentalem ad easdem, est potiùs instar *amoris* propriè dicti, quàm *desiderij*, vel *gaudij*. Ratio est, quia id solùm spectat ad ordinem transcendentalem quod relucet in entitate materiæ per se consideratæ, sed in entitate materiæ per se consideratæ, nec relucet actualis possessio formæ, nec negatio actualis possessionis illius, id est, nec præsentia actualis seu unio formæ, nec absentia, sed solùm prædicata essentialia formarum, ergo ordo & appetitus transcendentalis materiæ nec est per modum *gaudij*, nec *desiderij*, cùm hoc essentialiter includat vel præsupponat absentiam rei, illud præsentiam; ergo est potiùs instar *amoris* propriè dicti seu complacentiæ cujusdam, quæ abstrahit & à præsentiâ & absentiâ rei amatæ.

XIII. *In appetitu Materiæ ad Formas involvitur negatio præsentiæ Formarum.*

Dices; materia respectu transcendentali appetit ut habeat formas, ergo involvitur ibi negatio præsentiæ formarum, nihil enim appetit quod habet, ergo. Resp. negando primam consequentiam. Ad probationem distinguo antecedens, nihil appetit quod habet, appetitu *desiderij*, concedo antecedens; appetitu *amoris & complacentiæ*, nego: Amor enim hic materiæ metaphoricus imitatur amorem verum, qui in rem nec ut absentem fertur, nec ut præsentem, sed in eam merè secundùm se. Qui affectus manet, etiam dum formæ sunt præsentes, & unitæ materiæ.

XIV. *Quo sensu Materia appetit ut habeat Formas.*

Cùm ergo dicitur, materia appetit ut habeat formas, distinguenda est illa propositio, appetit ut habeat, id est, appetit formas, seu propendet in eas, concedo; appetit ut habeat prout hæc verba sonant, nego, verba enim sonant carentiam formarum, seu materiam non solum esse potentiam, sed esse in potentiâ ad formas, quæ tamen carentia in conceptu intrinseco ordinis transcendentalis non includitur, sic lapis, etiam dum est in centro, dicitur appetere centrum, seu in illud propensionem habere, non tamen appetere, ut habeat, vel ut acquirat centrum, hoc enim sonat necdum eum ad centrum pervenisse.

XV. *Materia sine Formâ desideraret omnes.*

Quarta conclusio: si materia existeret sine omni forma, posset dici desiderare omnes. Probatur, nam omnes in eo casu abessent, ergo omnes desideraret.

XVI. *Formæ omnes tunc appeterent Materiam. ergo & Materia Formas.*

Conf. primò, si materia esset sine omni formâ, & Deus crearet decem formas materiales diversæ speciei extra materiam diversis in locis, illæ decem formæ omnes simul & eodem instante appeterent illam materiam, ergo & eodem modo materia appetet & desiderabit illas, cùm non minùs omnia requisita ad appetitum & desiderium ponantur ex parte materiæ quàm formarum, ergo similiter omnes formas possibiles appeteret. Conf. secundò, forma leonis v.g. conservata sine omni materiâ, non unam aliquam solùm materiam desideraret, sed omnes quæ ipsius sunt capaces, non enim est major ratio cur unam appetat quàm aliam, ergo &c.

XVII. *Explicatur exemplo ignis in centro terræ.*

Conf. tertiò, ponamus aliquem ignem esse in centro terræ, in puncto scilicet à sua sphæra remotissimo, vel in minimo aliquo loco ibidem, & auferantur omnia impedientia intermedia, adhuc non ascendet, quia scilicet appetit & desiderat omnes partes suæ sphæræ, cum ergo determinare se nequeat, manebit in centro.

XVIII. *Sphæra ignis aqualis materia inæqualis.*

Dices; latam esse hîc disparitatem inter materiam & ignem, sphæra enim ignis constat ex partibus homogeneis, ut diximus, sphæra autem, ut ita dicam, materiæ ex heterogeneis, cùm formæ sint in perfectione inæquales. Resp. sphæram quidem materiæ esse inæqualem, & in hoc fateor, est diversitas inter ignem & materiam, sed hoc non arguit quin materia appetat omnes sphæras suæ partes, seu omnes

formas, licèt non æqualiter. Sicut siquis frigeat vel esuriat, licèt maximè appetat & desideret optimas vestes vel cibos, non tamen sequitur non desiderare & appetere minùs præstantes.

XIX. *Materia existens sub una forma appetit alias pro alio tempore.* Quinta conclusio: Materia, etiam dum est sub unâ formâ, licèt sit perfectissima, anima rationalis ex. g. appetit & desiderat alias omnes sibi possibiles, non quidem pro eo tempore quo habet hanc, sed pro alio, seu *nunc*, ut loquuntur Dialectici, *pro tunc*. Probatur & explicatur conclusio, nam licèt quis æstate indutus veste byssinâ non appetat villosam, aut sagum pro eo tempore, appetere tamen tunc eas vestes potest pro hyeme, vel pro tempore belli: sicut & ignem mediâ æstate potest quis appetere pro tempore hyberno.

XX. *Nec tamen propterea desiderat absentiam formæ præsentis.* Non ergo hinc inferas, si desiderat præsentiam alterius formæ, desiderare etiam absentiam & destructionem illius quam habet, nam non desiderat illam quam non habet omninò absolutè, sed aliquo modo conditionatè ex parte objecti, casu scilicet quo hanc amittat.

XXI. *Gaudet materia de formâ præsente, desiderat absentes.* Gaudet ergo materia de formâ præsente, desiderat absentes, gaudio & desiderio non transcendentali, sed prædicamentali, id est, quod non consistat adæquatè in solâ entitate materiæ, sed sit denominatio partim intrinseca, partim extrinseca, includit nempe unionem, vel negationem unionis formæ.

XXII. *Natura humana Christi appetit propriam subsistentiam conditionatè.* Dices; natura humana id Christo subsistens subsistentiâ Divinâ, non appetit propriam, quia Divina est perfectior, ergo nec materia, dum est sub animâ rationali, appetet alias formas imperfectiores. Resp. primò, verum quidem esse naturam humanam non ita propriam appetere subsistentiam dum subsistit Divinâ, quasi sub hac esset in statu violento, sicut est in statu violento lapis, & appetit centrum, dum pensilis detinetur in aëre; verè tamen etiam tunc propriam appetit, saltem conditionatè.

XXIII. *Dicunt aliqui non omnino eam appetere.* Secundò dico, si natura illa non appetat propriam subsistentiam, non est ob majorem perfectionem Divinæ subsistentiæ præcisè, sed quia Divina eminenter continet propriam subsistentiam naturæ humanæ, sicque dum Divinam habet, habet eminenter suam, quam solam desiderare potest: anima autem rationalis non continet eminenter omnes formas, quas appetit materia, ut formam ligni, lapidis, leonis, equi, terræ &c.

XXIV. *Duplex in materiâ ad Formas propensio.* Dici etiam posset, quod suprà insinuavi, centrum veluti, & scopum materiæ esse pulchritudinem universi, quæ in rerum varietate consistit. Materia ergo ut pars universi, vicissitudini rerum, & universi pulchritudini subservit. Secundùm tamen propriam suam & privatam inclinationem, maximè in animam rationalem propendet, utpote formam formarum omnium perfectissimam. Quare si in circumferentiâ sphæræ alicujus, qualis est sphæra ignis, collocarentur formæ omnes sigillatim, quarum est susceptiva materia, & materia collocaretur in centro, habetetque vim ascendendi instar ignis, cæteris relictis, rectà ascenderet ad animam rationalem.

XXV. Quod de formis substantialibus diximus, intelligi etiam debet de accidentalibus, quas non minùs respicit materia, quàm substantiales; de utrisque etiam respectu materiæ, quam vicissim respiciunt.

SECTIO II.

Utrùm materia habeat appetitum ad formas corruptas.

I. *Status difficultatis.* RAtio dubitandi est, quia formæ corruptæ reproduci naturaliter non possunt, sicque nec naturaliter informare materiam, ergo nec è contrà materia poterit naturaliter eas recipere, ergo non est potentia naturalis respectu illarum, ergo postquam semel destructæ sunt, materia eas ampliùs nec respicit, nec appetit.

II. *1. sent. ait materiam appetere formas corruptas. Secunda negat.* Prima sententia affirmat universim materiam formas corruptas appetere. Ita P. Hurt. d. 2. Phys. s. 3. n. 36. P. Oviedo c. 2. Phys. p. 4 n. 19. & multi ex recentioribus. Secunda sententia est aliorum qui negant materiam appetere formas corruptas, quàm etiam sequitur P. Arriaga. d. 2. Phys. s. 4. n. 44.

III. *Duplex in materiâ appetitus, remotus & proximus.* Notandum quod suprà explicavi, materiam duplicem dicere appetitum seu potentiam ad formas, transcendentalem seu remotam, & prædicamentalem seu proximam. Appetitus transcendentalis est sola & nuda entitas materiæ, prædicata nimirum illius essentialia, seu aptitudo & ordo transcendentalis ad formas. Appetitus verò prædicamentalis seu proximus alia multa connotat, nempe dispositiones, & alias circumstantias, ablationem etiam impedimentorum, & ut potentia materiæ sit planè ad receptionem formarum expedita.

IV. *Materia appetitu remoto appetit formas corruptas.* Prima conclusio: materia appetitu transcendentali & remoto respicit formas corruptas, idque sive eæ naturaliter reproduci possint, sive non. Probatur, potentia remota materiæ aliud nihil est, quàm ipsa entitas illius, sed hæc eadem est quantumvis formæ corrumpantur, ergo remanet in materiâ potentia remota ad formas, etiam ipsis corruptis. Conf. ad potentiam hanc remotam aliud non requiritur, quàm talis proportio inter prædicata intrinseca illius quod est potentia, & terminum ad quem est potentia, seu inter actum & potentiam, ut loquuntur Philosophi, sed eadem est proportio prædicatorum inter materiam & formam corruptam, quæ erat antequam corrumperetur, ergo.

V. *Si forma corrupta reproducatur, materia eam naturaliter recipiet.* Secunda conclusio: si forma corrupta iterum reproducatur, non minùs illam naturaliter recipiet materia per novam unionem, quàm eam primò recepit, nec minùs naturaliter compositum cum eâ naturale constituet. Unde Angelus compositum illud jam constitutum intuens, nihil in eo videbit præternaturale, nec sciet utrùm sit ex formâ reproductâ constitutum, an ex formâ tunc primò productâ. Ratio est, quia ad compositum constituendum parum refert quâ actione, vel quo modo forma producatur, naturaliter scilicet, an supernaturaliter, sed sola spectatur proportio inter actum & potentiam receptivam, seu prædicata eorum essentialia, quæ cùm eadem sint quæ in primâ formæ productione, eodem modo concurrent ad compositum constituendum.

VI. *Color reproductus videretur naturaliter.* Conf. si color aliquis destructus reproducatur, esto in illius reproductione aliquid interveniat præternaturale, postquam tamen est reproductus, non minùs naturaliter eum videbit oculus, quàm antequam destrueretur.

VII. *Materia naturaliter respicit animam rationalem sibi ex parte deunitam.* Tertia conclusio: materia habet potentiam & appetitum naturalem, non transcendentalem tantùm, sed etiam prædicamentalem respectu animæ rationalis, cui semel unita, ab eâ postea fuit deunita. Ratio est clara, illa siquidem est potentia naturalis, non transcendentalis tantùm & remota (de quâ in præcedentibus duabus conclusionibus) sed prædicamentalis etiam & proxima, ad quam, ut ad actum reducatur, non est necessarium ut aliquid interveniat supernaturale, nec quoad rem, nec quoad modum, sed ut materia deunita ab animâ rationali, illi iterum in quibusdam casibus uniatur, non est opus ut quidquam vel supra vel præter naturam interveniat, ergo. Probatur minor, siquis præcisam sibi brachij v.g. partem comederet, non minùs illâ nutriretur, & in suam eam substantiam converteret, quàm

quàm si esset pars alterius cujuspiam animalis, ergo materia illa per novam partem unionis rursum naturaliter uniretur animæ, à qua semel fuit deunita, ergo quando est deunita, appetit eam naturaliter. Idem in sententia S. Augustini, S. Thomæ, & Aristotelis est de forma cujuscunque animalis perfectiq; equi, leonis &c. quam ipsi affirmant esse indivisibilem. De quo in libris de Anima, d. 8.

VIII. *Aliud est de Anima plenè deunita.*

Quarta Conclusio: anima rationalis integrè semel à corpore separata, nec unquam materiæ naturaliter reunitur, nec reuniri naturaliter potest: unde neque materia eam hoc modo deunitam appetitu prædicamentali respicit.

IX.

Prima Conclusionis pars est certa, alioquin in Pythagoræ metempsychosin incideremus, qui animas de corporibus in corpora transmigratione quotidianâ transire somniabat. Secunda etiam pars probatur, animæ enim, postquam à corporibus, quibus priùs unitæ erant, sunt semel separatæ, sunt in termino merendi, unde naturali viâ & modo uniri denuò corporibus, & in hanc vitam & agonis locum redire naturaliter non possunt. Ex quibus constat tertia conclusionis pars, si enim animæ naturaliter materiæ rursus uniri, & eam informare nequeant, materia eas appetitu prædicamentali naturaliter appetere non potest, appetitus siquidem completè naturalis, terminum postulat naturaliter possibilem.

Cur anima naturaliter reuniri nequeat corpori.

X. *Resurrectio mortuorum est miraculosa.*

Hinc constat resurrectionem mortuorum esse quoad modum supernaturalem, ac miraculosam, tum quia non naturali viâ tunc homines reproducuntur, tum quia tot corpora quorum materia sub alijs formis immediatè antè extiterat, elementis scilicet, plantis, & animalibus, subitò in ictu oculi compinguntur, disponuntur, & animabus informantur, sicque multis nominibus naturæ legis infringuntur.

XI.

Utrùm verò materia prima alias formas tum substantiales, tum accidentales semel destructas appetitu prædicamentali connaturali respiciat, ab eâ quæstione pendet, an scilicet formæ, & res aliæ semel destructæ, possint naturaliter reproduci. De quo sec. sequente.

SECTIO III.

An formæ destructæ possint naturaliter reproduci.

I. *Status controversiæ.*

QUæstio hæc non deformis tantùm, sive eæ substantiales sint, sive accidentales, procedit, sed de omni omnino effectu, de quo proinde universim inquirimus, an, ubi semel res aliqua defierit, redire naturaliter possit.

II. *1. sent. est posse rem destructam reproduci naturaliter.*

Affirmat Greg. Ariminen. in 1. d. 17. qu. 4. art. 2 Hurt. d. 2. Phys. sect. 3. & d. 10. s. 4. Oviedo Cont. 12. p. 5. quam hodie sententiam passim sequuntur recentiores. Hanc opinionem à fortiori sequitur Scotus in 4. d. 43. q. 1. & Richardus ibid. q. 1. ar. 3. qui de facto id semper contingere asserunt, ubi idem agens idem denuò passo applicatur.

III. *Secunda sententia negat.*

Secunda sententia ait eundem numero effectum naturaliter iterum reproduci non posse. Hoc insinuat Suar. d. 5. Met. s. 9. nu. 10. & To. 2. in 3. p. dist. 44. s. 6. *§. Dico tertiò* sine. tenet Vasq. T. 1. in 3. p. d. 74. cap. 7. nu. 47. & deinceps Arriaga d. 2. Phys. s. 4. nu. 44. & multi ex recentioribus. Imò eousque quamvis malè procedunt Durandus & Marsilius apud Suar. d. illa 5. sect. 9 nu. 2. ut idem numero accidens in eodem denuò subjecto recipi, nec divinitùs posse affirment.

IV.

Hæc secunda sententia mihi videtur probabilior, in quâ tamen probandâ auctores non parum laborare video, res enim hæc nec in unam partem, nec alteram ita est explorata, ut animus planè acquiescat. Probant aliqui ex illo Aristotelis, c. de Oppos. post medium, *à privatione* scilicet *ad habitum non datur regressus*, ergo secundùm ipsum, idem numero effectus redire ac reproduci nequit. At longè alia est mens Philosophi, ut locum illum intuenti constabit, discrimen enim illic assignat inter contraria & privativa, & in illis ait dari regressum, nam aqua ex frigidâ fit calida, & è contrà, non tamen (inquit) datur regressus in privativis, ut in *cæco, calvo, & edentulo*. Loquitur ergo non de regressu ad eundem numero effectum, sed ad eundem specie: primò, quia exempla illa proximè allata id ostendunt, *nec enim*, inquit, *cæcus visum unquam recuperavit, nec calvus comam, nec edentulus ullus dentes emisit*, ubi clarum est, non loqui de eodem numero visu, comâ, & dentibus, sed specie, seu quòd nullum omnino visum cæcus quispiam recuperaverit. Secundò, quia id dicit fieri in contrarijs, quod negat in privativis, sed in contrarijs non datur regressus ad eamdem numero qualitatem, sed solùm ad eandem specie, seu ad similem, ergo in privativis intentio ipsius non est negare hanc numero comam, vel visionem redire, sed vult nullam omnino redire.

Secunda sententia est probabilior.

A privatione ad habitum non datur regressus.

Mihi hoc modo præcipuè suaderi videtur: In communi sententiâ non potest res ulla moveri naturaliter motu discreto, ita nimirum ut ab angulo orientali scholæ moveatur ad occidentalem, non transeundo per spatium intermedium, sed successivè tantùm, seu priùs occupando unam partem spatij, deinde aliam, donec ad terminum illum seu angulum perveniat, ergo nec durare res ulla naturaliter poterit duratione discretâ, ita scilicet ut hodie seu instante A existat, & cras, vel in instante B, destruatur, & post dies tres vel annos, aut in instante D reproducatur, sed ut ad instans D naturaliter perveniat, durare debet in instantibus, seu tempore intermedio.

V. *Præcipua ratio cur res destructa non possit naturaliter reproduci.*

Probatur secundò, communis enim fermè omnium conceptus est eundem numero effectum de facto nunquam redire, ergo verisimile est fundamentum aliquod reperiri in naturâ cur non redeat, & hoc non merè contingere per accidens. Probatur tertiò, probabiliter dici potest id naturam seu universum exigere ob majorem suam pulchritudinem, quæ in varietate & vicissitudine rerum maximè consistit. Quartò, refundi hoc potest in fœcunditatem causæ, quæ requirere videtur ut novos semper & novos effectus producat, sicque magis virtutem suam exerat. Quintò in limitationem effectûs, qui ubi semel extitit, satis jam illius appetitui hac in parte est factum, nec aliam existentiam desiderat.

VI. *Universi pulchritudo exigere videtur, ut eadem res non redeat naturaliter.*

Probatur sextò, si res destructæ possint naturaliter redire, unde scimus de facto non redijsse, & lucem hodiernam non esse eam quæ antè centum annos extitit, vel equum aliquem generosum jam viventem non esse Bucephalum, aut Rhœbum, vel unum aliquem ex equis, qui in bello Trojano perierunt, & sic de alijs.

VII. *Si possint, unde constat non redire de facto.*

Dices; decrevisse Deum ut nunquam idem effectus destructus redeat. Sed contra, unde constat Deum habere ejusmodi decretum. Dices, id eum habere ad ostendendam suam munificentiam. Contra, quo fundamento dicitur Deum hoc modo ostendere vel suam munificentiam? Dices, bonum universi hoc exigit. Contrà, ergo bonum universi exigit ut nunquam idem effectus secundò redeat, sicque stante hac exigentiâ universi, eadem res naturaliter produci denuò non potest, quæ est una ratio nostræ conclusionis.

VIII. *Gratis dicitur statuisse Deum ut non redeant si possint.*

SECTIO IV.

Solvuntur objectiones, & quædam inferuntur circa appetitum materiæ ad formas corruptas.

I. *Obji: forma destructa potest redire intra tempus suæ durationis*

OBjicitur primò; ponamus formam aliquam durare naturaliter posse per tres horas, si ergo secundâ horâ destruatur, quid obstat quo minùs in tertiâ illâ horâ, quæ est intra sphæram naturalis ejus durationis, denuò producatur? præsertim si idem agens & passum, à quibus primò producta illa forma fuerat, iterum sibi invicem applicentur; *idem* enim juxta Aristotelem 3. phys. c. 6. *manens idem, semper aptum natum est facere idem.*

II. *Exemplo motus localis ostenditur formam illam redire non posse.*

Sed contrà, hîc iterum urgeo primum argumentum quod suprà ad probandam conclusionem adduxi, & existimo esse omnium efficacissimum. Petrus in angulo A existens potest intra quatuor instantia, ut suppono, locare se in angulo D. hæreat per tria instantia in angulo A, quare in quarto collocare se nequit in angulo D? cùm sit intra tempus quo se illic naturaliter collocare potuisset. Dices; causam esse, quia non produxit ubicationes angulo illi proximas. Contrà, idem dico ego de durationeformæ in horâ tertiâ, ideo nimirum illam naturaliter habere eam jam non posse, quia non habuit durationes illi proximas, & sicut adversarij conditiones illas requirunt in ubicatione naturaliter acquirendâ, ita easdem æquali jure requiro ego in duratione.

III. *Ut causa possit producere effectum, supponit eum priùs non extitisse.*

Objicitur secundò; ignis A jam existens habuit potentiam ad producendum ignem B. destructum, & ignis B. aptitudinem ad existendum, ergo etiamnum has retinent, cùm eadem adhuc retineant prædicata, & eandem naturam. Resp. licèt eandem habeant naturam quam antea, illa tamen, ut in actum prodeat, varias requirit conditiones, & una ex jis in præsenti est, effectum illum priùs extitisse, & jam esse destructum.

IV. *Virtutem physicam à conditionibus extrinsecis pendere, nullus ferme negat.*

Dices; non potest virtus operativa physica pendere à conditionibus merè extrinsecis, alioqui dicere quis posset dari posse conditionem merè extrinsecam, quâ positâ ignis aliquis comburere tantùm possit diebus Dominicis. Sed contrà, aliquas dari conditiones extrinsecas, quibus positis, virtus physica operari possit, aut non possit, nullus fermè Philosophorum negat; sic enim æternitatem à parte ante esse præteritam est conditio, secundùm multos, ut virtus physica omnipotentiæ Divinæ exerere se possit, & creaturam producere ad extra; causam univocam non adesse est conditio, ut causa æquivoca operetur; item formam ignis A non esse alibi est conditio ut producatur hic, & alia hujusmodi, quæ suprà in hanc rem attuli d. 5. sect. 2. Nec tamen ex eo quòd quis conditiones quasdam extrinsecas admittat, quæ cum re aliquâ peculiarem habent connexionem, sequitur quascumque disparates esse admittendas: neque enim ex eo, quòd formam ignis A non esse alibi, sit conditio ut producatur hic, sequitur dari posse conditionem, quâ positâ, Turca saltet semper ad numeros, & galli omnes gallinacei stent altero pede, ut eos semel singulis diebus stare fabulantur in suo Talmud Judæi, ut refert Sixtus Senensis lib. 2. Bib. sanc. lit. T. fine. *Non tamen quævis conditiones admittendæ.*

V. *Idem semà per manet in materia appetitus.*

Objicitur tertiò, appetitus materiæ nihil aliud est quàm ipsa materia, ergo si materia semel habuit, vel potiùs fuit potentia ad formam destructam, semper est. Resp. semper esse eo modo quo fuit, nempe casu quo non fuisset destructa.

VI. *Quomodo sit in materia privatio formæ corruptæ.*

Objicitur quartò; est adhuc in materiâ privatio formæ corruptæ, ergo est subjectum aptum, ad illam habendam, sicque illam appetet. Contrà, etiam est in materiâ hodie privatio durationis hesternæ. Resp. itaque privationem transcendentalem seu remotam, id est carentiam formæ pro aliquâ differentiâ temporis aptæ inesse subjecto, esse in materiâ illâ, non verò privationem quam vocant prædicamentalem, seu proximam, quippe quæ multa alia involvit. Videantur dicta d. 18. Log. s. 10 nu. 4. ubi harum privationum discrimen latè exposui.

VII. *Materia proximè formas corruptas non appetit.*

Hinc infero, materiam formas corruptas appetitu prædicamentali non appetere. Existimo tamen, ut sec. præcedente insinuavi, si Deus formam aliquam materialem reproduceret, materiam denuò eam appetituram: sicut quamvis appetitu elicito nullus prudenter appeteret cibum aliquem quem novit esse destructum, fructus ex. g. anni superioris, si tamen Deus hoc anno eosdem rursus reproduceret in arboribus, prudenter posset quis eos appetere.

VIII. *Forma reproducta appeteret naturaliter materiam.*

Conf. forma illa, si à materiâ separata produceretur, appeteret naturaliter materiam, cùm naturaliter sine eâ existere non possit. Quod magis urget in unione, aut alio modo reproducto, utpote qui nec divinitùs esse possit, nisi affixus rei cujus est modus.

IX. *Ignis reproductus comburet naturaliter, lapis caderet, &c.*

Conf. secundò, licèt miraculosè aliquid vel producatur primò, vel reproducatur, positâ tamen reproductione miraculosa, multa petit naturaliter: sic enim ignis reproductus peteret calorem, & comburet naturaliter, aqua peteret frigus, lux aërem, vel aliud subjectum, homo sensus omnes, & naturaliter incederet, videret, audiret, loqueretur: nec enim putandum est, quot Lazarus post resuscitationem protulit verba, tot fuisse miracula.

DISPUTATIO IX.

De existentia materiæ.

SECTIO PRIMA.

An materia habeat propriam existentiam, vel existat per existentiam formæ.

I. *1. sent. ait materiam non habere propriam existentiam.*

CElebris hac in parte est Thomistarum quorundam opinio, qui materiam ita puram esse volunt potentiam, ut nullum omninò, ne existendi quidem illi actum concedant, sed existentiam à formâ emendicare eam asserunt. Ita Cai. tr. de Ente & Essentiâ c. 5. q. 8. ubi huic sententiæ ita mordicùs adhæret, ut oppositum errorem vocet intolerabilem. Ferrar. 2. cont. Gentes, c. 68. & alij apud Suarium citandum.

II. *2. sent. docet materiâ habere propriam existentiam.*

Secunda sententia ait materiam habere propriam existentiam distinctam ab existentiâ formæ, incompletam tamen & materiæ proportionatam, per quâ est ens actu, & extra causas. Dicit ergo hæc sententia, in composito duas esse entitates incompletas, ex quibus entitas una totalis conflatur, seu unum compositum, & unamquamque entitatem incompletam suam

suam sibi habere partialem, & incompletam existentiam, & ex utrâque unam coalescere existentiam completam compositi. Ita Doctor subtilis cum suis in 1. dist. 12. q. 1. & 2. Gregor. Gabriel, & reliqui Nominales ibidem, & alij. Suar. d. 13. Met. sect. 3. nu. 13. Molina, 1. p. quæst. 3. ar. 4. d. 2. Hurt. d. 2. Phys. sect. 6. Arria. dist. 2. Phys. sect. 5. Oviedo. c. 2. Phys. p. 5. nu. 2. & alij passim.

III. *Disputationis gratiâ admittitur essentiam distingui ab existentiâ.*

Notandum, rationem formalem per quam res aliqua est, esse existentiam, res enim solùm possibilis, simpliciter non est, nec dici potest ens actu: unde essentia actualis non distinguitur realiter ab existentiâ actuali, cùm id per quod res actu est, sit existentia. Hoc tamen si supponeremus, nempe existentiam non distingui realiter ab essentiâ, nullus esset disputationi huic locus, cùm concedant adversarij materiam habere essentiam distinctam ab essentiâ formæ, ergo si existentia non distinguitur realiter ab essentiâ, habebit etiam necessariò existentiam distinctam ab existentiâ formæ. Admittimus ergo pro præsenti, disputationis gratiâ, existentiam realiter, vel ex naturâ rei distingui ab essentiâ.

IV. *Materia habet propriam existentiam.*

Conclusio: materia prima habet propriam partialem existentiam distinctam ab existentiâ formæ, per quam partialem & incompletam existentiam ponitur formaliter extra causas, & partialiter concurrit ad constituendam unam totalem existentiam compositi.

V. *Priùs naturâ existit materia, quàm forma materialis, ergo existere nequit materia per illius existentiam.*

Omissis varijs rationibus quibus probari solet hæc conclusio, sic eam probo: priùs naturâ existere debet materia quàm forma, saltem materialis, ergo non potest existere materia per existentiam formæ. Consequentia est evidens, nam si priùs naturâ existat materia quàm forma, ergo priùs habet existentiam quàm existat forma, sed pro nullo priori est existentiæ formæ antequam existat forma, ergo existentia quam in illo priori habet materia, non est existentia formæ. Antecedens itaque probatur, materia est verum subjectum & causa formæ materialis verè in illam influens, ergo est naturâ prior illâ, cùm omnis causa essentialiter sit naturâ prior effectu. Deinde concursus materialis est influxus, & aliquo modo operatio, prius autem est esse seu existere, quâ operari vel causare, ergo in illo priori quo materia concurrit ad productionem formæ materialis, est seu existit materia, & non existit forma, ergo pro illo priori non existit materia per existentiâ formæ, cùm pro illo priori non sit existentia formæ, sic enim priùs existeret quàm habeat existentiam.

VI. *Nec potest tunc materia existere per existentiam formæ ligni.*

Dices primò; quando educitur forma, ignis v. g. è potentiâ materiæ ligni, non existere materiam pro eo instante per formam ignis jam productam, illâ enim materia est naturâ prior, ut probat argumentum, sed existit per formam ligni, sicque semper existit per formam, non quæ tunc educitur, sed quæ præcessit, prima autem omnium forma non fuit educta è potentiâ materiæ, sed concreata simul cum illâ. Contrà, æquè, imò magis impossibile est ut pro illo instante quo forma ignis educitur, existat materia per existentiam formæ ligni, quàm per existentiam formæ ignis, nam eodem instante quo producitur vel educitur è potentiâ materiæ forma ignis, perit forma ligni, quippe quæ expellitur per formâ ignis jam productam, ergo illo instante non est existentia formæ ligni, ergo non potest illo instante materia per illam existere, magis quàm potest paries esse albus per albedinem, vel manus calida per calorem eo instante quo perit albedo illa & calor.

VII. *Mutua causalitas hîc non efficax, ut materia existat per existentiam formæ.*

Dices secundò; materiam & formam esse sibi invicem causas, & formam verè pendere à materiâ, & materiam vicissim à formâ, ergo eodem modo se res habebit inter materiam & existentiam formæ, erunt nimirum sibi invicem causæ. Contrà primò antecedens enim communiùs negatur quàm conceditur à Philosophis, de quo postea. Contrà secundò, in quocunque genere causæ dicatur causa esse prior, præintelligi debet cum suâ existentia, cùm existentia sit conditio essentialiter antecedens ad causandum & operandum: si autem accipiat suam existentiam à formâ, intelligi nequit priùs existere quam existat forma, sic enim existeret priùs suâ existentiâ.

VIII. *Si existentia distinguatur debet creari.*

P. Arriaga sect. 5. nu. 76. ait, admissa distinctione inter essentiam & existentiam, hoc argumentum nihil concludere, materia enim, inquit, in hac sententia sustentare debet suam existentiam, ad quam tamen intelligi nequit præexistens. Resp. negando antecedens. Ad probationem dico, si existentia ponatur distincta ab essentia, debere existentiam illam creari, & non sustentari in materia, sed tantùm eam tanquam purum terminum afficere.

IX. *Existentia verò formæ educeretur ex materia.*

Urgebis cum eodem, existentia formæ non creatur, sed generatur, alioqui agentia naturalia quoties novam formam producunt, crearent, ergo educitur ex essentia formæ, ad quam tamen forma non intelligitur præexistens. Concessis reliquis, negatur ultima consequentia, existentia enim formæ educeretur non ex essentia formæ, sed ex materia per existentiam creatam jam pro aliquo priori existentem: imò non alio modo materia causare formam potest, quàm causando ejus existentiam.

X. *Si materia existat per existentiam formæ, res naturales producunt materiam.*

Secundò probatur conclusio, causa quæ producit existentiam ut unitam rei, verè producit rem illam, nam producere aliquid nihil aliud est, quàm ponere extra causas, & tribuere illi existentiam, seu facere ut de possibili transeat ad esse actuale, ergo causæ producentes existentiam ut unitam materiæ, producunt materiam, sed causæ secundæ, ignis v. g. terra, plantæ &c. juxta adversarios producunt existentiam materiæ ut illi unitam, producunt siquidem formas, & illas simul cum illarum existentijs uniunt materiæ, ergo producunt materiam, quod Philosophorum nullus concedit. Conf. hinc sequeretur, materiam generari, & non produci per creationem. Patet, nam ponitur à parte rei, & producitur per generationem, per eandem scilicet actionem, per quam producitur forma, producì enim rem, ut diximus, aliud nihil est, quàm poni eam extra causas, & accipere existentiam, sicut enim albedo denominat subjectum album, ita existentia denominat rem esse extra causas, seu existentem.

XI. *Si rei alicujus existentia generetur, censetur res ipsa generari.*

Dices; licèt existentia materiæ generetur, non tamen essentia, illa enim generari non potest, sicque ratione illius dicitur materia ingenerabilis. Contrà primo, nam sic forma etiam substantialis materialis, & accidentia omnia erunt ingenerabilia, cùm juxta adversarios essentiæ omnium rerum sint ingenerabiles. Contrà secundò, ratio generabilitatis alicujus rei desumitur ab existentiâ ejusdem, quæ si producatur dependenter à concursu subjecti, dicitur res generari; si independenter, creari: si ergo existentia materiæ producatur, & communicetur ei per actionem eductivam (ut necessariò comunicari debet, si sit eadem cum existentiâ formæ materialis) simpliciter dici debet materia esse generabilis æquè ac forma, imò actu generari & conservari concursu generativo, sicut illa.

XII. *Nec aliud quoad hoc est de existentiâ propriâ, & alienâ.*

Nec difficultatem solvit communis adversariorũ distinctio de existentiâ propriâ & alienâ: concedunt enim argumentum concludere de propriâ existentiâ, non tamen de alienâ, nam quando aliquid, inquiunt, existit existentia alienâ, non producitur eâdem actione essentia & illa aliena existentia, sed essentia & unio cum alienâ existentia, per quam applicatur

& unitur aliena existentia illi essentiæ. Contrà, nam saltem producitur nova unio, ergo idem argumentum confici potest de essentiâ materiæ & illâ novâ unione, ac de essentiâ materiæ & existentiâ formæ materialis, vel enim creatur illa unio, vel generatur: non primum, quia tunc agentia naturalia crearent, unionem enim illam producunt; nec secundum, sic enim materia generaretur, cùm generetur unio. Imò confici posset idem omnino argumentum de essentiâ & existentiâ hujus unionis.

SECTIO II.

Solvuntur argumenta contendentia materiam existere per existentiam formæ.

I. *Obij: esse actu prævenit à formâ.*

OBjicies primò; existere seu esse actu est quid formaliter proveniens à formâ, ergo materia non potest hoc habere ex se cùm sit pura potentia. Antecedens probatur, nam existentia est ultimus actus, supponens vel faciens rem esse completam, sed materia non est completa nisi per formam, ergo existit & fit cõpleta per illam. Multis peccat hoc argumentum, primò enim existentia non est ultimus actus, cùm subsistentia sit ulterior actus rei, quæ proinde vocatur ultimus terminus naturæ. Deinde materia non est ita pura potentia ut omnem excludat actum, nempe entitativum, ut suprà ostendimus. *Resp. formam facere rem completam in tali specie, non in existentiâ.* Resp. ergo negando antecedens. Ad probationem, distinguo minorem, forma est faciens rem esse completam in tali vel tali specie substantiali completâ, concedo minorem, esse completam quoad prædicata rei intrinseca, & existentiam, nego.

II. *Modus quivis in suo esse est tam completus, ac Angelus in suo.*

Addo ulteriùs, materiam & modum quëcunque in suo, ut ita dicam, tenutre, seu in esse suo imperfecto, esse æquè completam, & perfectam ac Angelum vel rem aliam quamcunque perfectissimam in suo, cùm non magis quidquam materiæ, vel modo cuilibet desit entitativè ad suum esse incompletum, quàm Angelo ad suum completum, & in hoc solùm discrepant, quòd materia & modi ordinentur ulteriùs, sicque sint quid essentialiter incompletum; Angelus verò sibi quasi existit, nec ad alterius constitutionem refertur. Sic apprehensio in suo genere est æquè perfecta ac judicium in suo. Etin artefactis mensa aut scamnum in suo genere æquè perfectum est & completum, atque horologium, aut res alia maximè affabrè facta in suo. Materia ergo non indiget formâ ut existat, sed ut completa, & cum omni perfectione sibi debitâ existat.

III. *Quo sensu species desumatur à forma.*

Hoc sensu sumendum est, quo nihil frequentius apud S. Thomam, semper *speciem desumi a formâ*, nempe speciem completam, forma enim determinat & quasi limitat materiam ad hanc vel illam speciem compositi substantialis in physicis, sicut differentia limitat genus in metaphysicis. Quando ergo Aristoteles dicit materiam esse actu per formam, intelligit nunquam esse actu sine formâ, cùm semper habeat formam, vel non esse actu completam & perfectam nisi per formam.

IV. *Esse speciei completæ est propter operari, non speciei incompletæ.*

Objicies secundò; *esse est propter operari*, sed materia nullam habet operationem, ergo nec existentiã. Resp primò, distinguendo majorem, esse speeici completę est propter operari, concedo majorem; esse speciei incompletæ, nego: species enim incompleta magis est propter recipere vel constituere compositum, quàm propter operari, vel efficere. Deinde relatio, & alij aliqui modi juxta adversarios non operantur, & tamen existunt. Secundò Resp. negando minorem, materia enim juxta multos per emanationem producit suas proprietates, quantitatem, ubicationem, & hujusmodi.

V. *Ex duobus entibus in esse completo non fit unum per se.*

Objicies tertiò; *ex duobus entibus in actu non fit unum per se*, ergo materia non debet ex se esse ens in actu. Resp. distinguendo antecedens, ex duobus entibus in actu, quorum utrumque vel alterum est in actu completo, non fit unum per se, concedo antecedens; quorum utrumque est in actu completo, nego: ipso facto enim quòd sint in actu incompleto, ordinantur essentialiter ad completionem, suntque entia partialia.

VI. *Quo sensu res composita sit partim actu antequam producatur.*

Objicies quartò; si materia habeat propriam existentiam, & sit in actu, ergo res quævis composita, ignis v.g. cras producendus, est jam partim in actu antequam producatur, cùm jam actu existat materia, quæ est pars illius. Contrà, idem argumentum fieri posset de formâ, animâ rationali, verbi causâ, quam Deus crearet non unitam materiæ, tunc enim homo, cujus pars est illa anima, eodem modo esset in actu partialiter antequam producatur. Resp. ergo, non esse partim actu antequam producatur, nam antequam materia uniatur formæ, & forma materiæ, nec una nec altera est pars actu illius compositi, cùm primò sint partes actu per unionem. Si tamen per esse rem partim actu, velint solùm actu esse illud, quod postea erit pars illius, quid inde incommodi?

VII. *Licèt materia habeat propriam existentiam, non potest esse sine omni forma.*

Objicies quintò; nisi materia existat per existentiam formæ, intellig. nequit quâ ratione ita pendeat à formâ, ut naturaliter non possit, saltem per accidens, esse sine omni formâ, cum nimirum agens aliquod destruit dispositiones ad formam priorem conservandam requisitas, non tamen inducit sufficientes ad inducendam novam. Resp. pro præsente negando antecedens, ignis enim in conservatione naturaliter pendet à colore, & varia composita substantialia naturaliter pendent à dispositionibus suis accidentalibus, per quarum tamen existentiam non existunt, etiam juxta adversarios. Item forma materialis pendet à materiâ, à qua tamen juxta adversarios non accipit existentiam.

VIII. *Licèt existentia formæ recipiatur in materia, non tamen denominat eam existentem.*

Objicies sextò; secundùm nos existentia formæ materialis recipitur in materiâ, ergo tribuet illi effectum suum formalem. Hoc argumentum probat existentiam non distingui ab essentiâ: hac tamen distinctione admissâ, contrà est, sequeretur namque materiam existere etiam per existentias accidentium, cùm illæ similiter insint materiæ. Resp. itaque negando consequentiam: nam materia per propriam existentiam, ut ostendimus, existere priùs debet, quam formam, vel existentiam formæ in se recipiat, ergo hanc denominationem accipere non potest ab existentiâ formæ, cùm essentialiter præsupponatur habere existentiam. Sicut quando forma ignis educitur ex materia, actio illius eductiva subjectatur, non in termino producto, sed in subjecto, & tamen terminum solum, non subjectum denominat productum. Non ergo quicquid est capax formæ, est capax omnis denominationis, seu effectûs illius formalis: sic species in aëre receptæ aërem non denominant visivum, nec gratia lapidem denominaret gratum.

IX. *Quo sensu existentia materiæ sit de essentia compositi.*

Objicies septimò; ergo existentia materiæ erit de essentia compositi. Contrà, non magis quàm existentia formæ. Dico ergo, de essentia compositi ut existentis esse existentiam tam materiæ quàm formæ, non tamen de essentia illius prout abstrahit ab existentia, hoc enim modo concipitur in esse tantùm possibili.

X.

Non tamen est necessarium, licèt admitteremus essentiam distingui ab existentia, dicere existentias illas inter se unirì per modum actûs & potentiæ,

sed

An exiſtentia materiæ & formæ inter ſe uniantur.

ſed vel non uniri omninò; ſed facere unam aggregatione exiſtentiam totius, ut philoſophantur aliqui de duplici unione in compoſito naturali, vel aliquo modo inter ſe uniri per exiſtentiam unionis, ut alij ſubſiſtentias partiales materiæ & formæ uniri dicunt per ſubſiſtentiam unionis.

SECTIO III.

An materia, ſaltem divinitùs, exiſtere poſſit per exiſtentiam formæ, aut ſine formâ.

I. *Poſſunt materia & forma exiſtere eâdem exiſtentiâ.*

DIco primò: ſi exiſtentia diſtingui ſupponatur ab eſſentia, poterunt materia & forma exiſtere eâdem exiſtentiâ, quæ ſit modus communis utriſque, modò eadem numero actio terminetur tam ad materiam, quàm formam & exiſtentiam formæ, & omnia tria creëntur. Ratio eſt, nam ſi producantur omnia eâdem actione, & ea ſit creatio, nullum ex argumentis ſuprà allatis urget contra hoc quod jam aſſerimus, utpote quæ fermè omnia procedunt contra exiſtentiam formæ materialis eductæ è potentiâ materiæ. Unde ſi Deus totum hominem jam crearet, non apparet implicatio cur non poſſet eſſe una exiſtentia communis tam materiæ, quàm animæ rationali: & idem videtur quando anima ſola de novo creatur, & corpori infunditur, tunc enim ceſſerat prior exiſtentia materiæ, & nova utrique communis ſuccederet.

II. *Si exiſtentia formæ non ſit modus, poteſt materia per eam exiſtere.*

Dico ſecundò: ſi exiſtentia formæ non ponatur eſſe modus, ſed forma abſoluta, poterit materia divinitùs per illam exiſtere. Explicatur & probatur concluſio, ſi exiſtentia non ſit modus, non alligatur eſſentialiter uni alicui ſubjecto, ſed poterit alteri, ſaltem ſupernaturaliter, communicari, ut de calore & primis qualitatibus, de colore item, luce, & ſimilibus communiter concedi ſolet. Imò idem dicunt aliqui de ſubſiſtentiâ creatâ, aſſerunt enim poſſe unum Angelum divinitùs ſubſiſtere per ſubſiſtentiam alterius. Addo, dici poſſe ſecundùm hunc modum philoſophandi, & diſtinguendi exiſtentiam ab eſſentiâ, non repugnare ut deſtructâ formâ, materia exiſtat per illius exiſtentiam: ſi etiam ſeparetur forma à materiâ, modò exiſtentia illius ponatur in duobus locis, poterit materia ligni vel lapidis hîc exiſtere per exiſtentiam formæ Romæ exiſtentis, aut in Indiis.

III. *An aliquid quid creatum exiſtere poſſit per exiſtentiam Dei.*

Dico tertiò: poſitâ diſtinctione exiſtentiæ ab eſſentiâ, poſſet materia divinitùs exiſtere per exiſtentiam increatam, ſeu Dei. Probatur, ſi enim ſemel admittatur poſſe aliquid exiſtere per exiſtentiam alterius, non videtur cur magis repugnet materiam, vel humanitatem exiſtere per exiſtentiam increatam, quàm ſubſiſtere per ſubſiſtentiam increatam, ſed de facto ſubſiſtit humanitas Chriſti per ſubſiſtentiam increatam Verbi, ergo & exiſtere poterit per ejuſdē exiſtentiam, modò uniatur illi per unionem diſtinctam, ſicut unitur Divinæ ſubſiſtentiæ.

IV.

Quoad ſecundam partem tituli dico quartò: poteſt materia exiſtere divinitùs ſine omni formâ. Probatur, nam non eſt ulla ratio aſſerendi contrarium, cùm materia non exiſtat per exiſtentiam formæ, ſed per ſuam. Imò licèt exiſtere per exiſtentiam formæ, adhuc poſſet divinitùs exiſtere ſine ullâ formâ, ſi dicatur exiſtentia formæ eſſe quid abſolutum, & non modus, quod in hac ſententiâ dici poſſet. Conf. poſſunt accidentia exiſtere divinitùs ſine ſubjecto, ergo materia ſine formâ: major enim eſt connexio inter accidentia & ſubjectum, quàm inter materiam & formam, videmus namque accidentia naturaliter non poſſe adhærere ſucceſſivè diverſis ſubjectis, cum tamen materia poſſit naturaliter ſubeſſe ſucceſſivè variis formis. *Materia poteſt exiſtere ſine omni formâ.*

V. *Materia non habet eſſentialem connexionē cum ullâ formâ.*

Dices; materiam habere eſſentialem connexionē actualem cum aliquâ formâ, ergo non poteſt eſſe ſine omni. Sed contra, nulla enim apparet ratio cur majorem habeat connexionem materia noſtra cum aliquâ formâ, quàm quantitas vel alia accidentia cum aliquâ materiâ ſub ſubjecto, ſed quantitas & alia accidentia poſſunt conſervari divinitùs ſine omni ſubjecto, ut videmus in quantitate & reliquis accidentibus panis & vini in ſanctiſſimo Sacramento, ergo & poterit per divinam potentiam materia conſervari ſine omni formâ.

VI.

Præterea quidni æquè poterit materia conſervari divinitùs ſine omni formâ, ac agens vel cauſa effectiva impediri ab omni actione, quando naturaliter agere debet, ignis v.g. à comburendo lignum, vel aliam materiam debitè applicatam, ſed ignis divinitùs poteſt non comburere manum ſibi debitè applicatam, ut in fornace Babylonicâ, & variis martyribus vidimus contigiſſe, ergo & materia conſervari divinitùs poterit ſine omni formâ.

VII. *Eſt peculiaris ratio de modis, quæ non reperitur in materiâ.*

Dices ſecundò; modi eſſentialiter dependent à ſubjecto, quidni ergo & materia à formâ? Contrà, modus pendet à determinato ſubjecto, ergo & materia dependere deberet ab aliquâ formâ determinatâ. Reſp. ergo modos eſſe actuales determinationes, ſicque nil mirum quod exiſtere nequeant ſine ſubjectis, ſeu niſi actu determinent, materia autem eſt quid, in ratione conſtituendi compoſitum, indeterminatum.

VIII. *Omne accidens eſt eſſentialiter forma.*

Dices tertiò; dari divinitùs nequit eſſe accidentale ſine formâ accidentali, ergo nec eſſe ſubſtantiale ſine formâ ſubſtantiali. Nego conſequentiam, omne enim accidens eſſentialiter eſt forma, *accidentis* enim *eſſe eſt ineſſe*: At verò datur ſubſtantia, tum completa, ut Angelus, tum incompleta, ut materia, quæ non ſit forma.

IX. *Materia eſſentialiter eſt tantùm compars aptitudinalis.*

Dices quartò; materia eſſentialiter eſt compars, ergo neceſſariò debet habere formam, illam enim eſſentialiter reſpicit ut compartem. Contrà, forma eſſentialiter eſt compars, ergo neceſſariò debet ineſſe materiæ, illam enim eſſentialiter reſpicit ut compartem, & tamen videmus animam rationalem poſſe, etiam naturaliter exiſtere ſine materiâ. Reſp. ergo diſtinguendo antecedens, materia eſſentialiter eſt compars actualis, nego antecedens; aptitudinalis, concedo: non eſt enim eſſentia materiæ actu ſuſcipere formam, ſed eſſe illius ſuſceptivam.

DISPU-

DISPUTATIO X.

De dependentiâ materiæ à formâ.

SECTIO PRIMA.

An materia fuerit unquam, aut naturaliter esse possit sine omni formâ.

I. *Terra de facto nunquam fuit sine omni forma.*

PRima conclusio: materia de facto nunquam extitit sine omni formâ. Est contra Gabrielem in 3.d.21.qu.un.art.3. Marsilium in 3.quæst. 13.art.1. & alios nonnullos asserentes bis materiam extitisse sine omni formâ, primò, in primâ mundi conditione, ob illud Gen. 1. *Terra autem erat inanis & vacua.* Secundò, in triduo mortis Christi. At sanè primum non urget, nam dum dicitur terra fuisse inanis & vacua, ergo fuit terra, ergo materia habuit tunc formam substantialem terræ, imò antea dicitur, *In principio creavit Deus cœlum, & terram*, ergo ab ipso principio rerum omnium materia habuit formam terræ, ergo nunquam fuit sine omni formâ. *Qua ratione initio mundi terra fuerit vacua.* Dicitur ergo terra fuisse vacua, id est, inornata, quòd scilicet tunc non habuerit diversitatem illam & varietatem florum, arborum, plantarum, & animalium, quibus postea fuit instructa. Unde S. Basilius Hom. 2. Hexam. vocat eos *scripturæ depravatores qui per terram inanem & vacuam, materiam intelligunt informem.* Et S. Augu. licèt huic sententiæ nonnihil favere videatur, 12. tamen Confess. cap. 8. eam sententiam multis displicuisse asserit; unde cap. 29. aliam hujus loci explicationem assignat, nempe ut materia omnes formas naturâ præcesserit, non tempore. Quæ explicatio conformior videtur doctrinæ S. Augustini distinguentis sex illos dies per diversas tantùm cognitiones, per matutinam scilicet cognitionem, & vespertinam. Et hoc etiam modo, nempe de anteccssione naturæ intelligendi sunt aliqui Patres, si quando affirmare videantur materiam fuisse sine omni formâ, scilicet in aliquo priori naturæ, non temporis, seu præcisivè fuisse terram sine formâ, non negativè.

II. *An in triduo mortis Christi materia fuerit sine formâ.*

Secundò itaque fuisse materiam sine omni formâ asserunt in triduo mortis Christi, si enim aliâ tunc informata fuisset formâ materia illa corporis Christi, ergo Verbum assumpsisset aliam naturam præter humanam, quod est falsum, nam *quod semel assumpsit, numquam dimisit*, illam autem naturam seu formam, siquam tunc assumpsit, certum est eum in Resurrectione postmodum dimisisse.

III. *Materia illa in triduo nõ fuit sine formâ substantiali.*

Ad hoc tamen respondetur cum Suarez to. 2. in 3.p. d.38. sect.3. fine, sicut cùm verbum assumpsit corpus nutribile, assumere consequenter debuit partes quæ in nutritione de novo acquiruntur, ita cùm assumpsisset corpus mortale, assumere consequenter debuit formam cadaveris, quæ naturali sequelâ succedit animæ in materiâ. Quod ergo primò assumpsit, nunquam dimisit, sic tamen quod consecutivè solùm & secundariò. Aliqui etiam negant fuisse omnino assumptam formam cadaveris, licèt unita fuerit materiæ in triduo. Secundò Resp. esto in illo triduo fuisset materia sine omni formâ, non tamen sequitur hoc contigisse naturaliter, sed miraculosè, nulla enim ratio naturalis assignari potest cur non æquè succederet forma cadaveris in materiam Humanitatis Christi, quàm aliorum hominum defunctorum.

IV. *Materia naturaliter petit aliquâ formam.*

Secunda conclusio: materia naturaliter seu connaturaliter esse nequit sine omni formâ. Patet, nam existere naturaliter hoc sensu materiam, est esse eam cum omni perfectione connaturaliter ei debitâ; materia autem omni formâ orbata, careret maximâ suâ perfectione, & complemento intrinseco, ergo æquè non esset in statu sibi connaturali ac aqua sine frigore, aut ignis sine calore, vel homo quispiam existens sine potentiâ visivâ.

V. *Materia vi agentium naturalium non potest spoliari omni formâ.*

Tertia conclusio: materia vi agentium naturalium non potest denudari ab omni formâ, & hoc sensu esse nequit sine omni formâ naturaliter. Probatur, quia nullum habemus fundamentum asserendi agentia naturalia habere hanc vim, cùm nunquam sciamus hoc contigisse, nec vi agentium naturalium fuisse unquam materiam omni formâ spolitam: sicut quia nunquam videmus albedinem producere lucem, aut equum rugire, nullum habemus fundamentum asserendi vel illam, virtutem habere producendi lucem, vel hunc potentiam rugiendi. Conf. primò, nullum agens naturale intendens ad malum operatur, id est, non destruit ut destruat, sed ut inde aliquid producat, sed si expelleret formam præcedentem non inducendo novam, operaretur intendens malum, ergo. Conf. secundò, non potest ab agentibus naturalibus expelli forma aliqua ex materiâ nisi inducendo qualitates disponentes ad aliam formam, & illam exigentes. sed quandocunque sunt dispositiones sufficientes ad formam, potest forma illa induci, ergo nunquam esse potest materia naturaliter sine formâ.

VI. *Dices, posse per accidens materiam privari omni formâ.*

Dices; agens naturale non intendere malum, sed bonum, nempe inductionem suæ formæ, per accidens tamen posset destruere priorem formam, & non inducere novam, producendo scilicet dispositiones sufficientes ad destructionem formæ præcedentis, non tamen ad inductionem novæ: sicut si ad inducendam formam ignis in materiam aquæ requiratur calor ut octo, & forma aquæ stare non possit cum calore ut quinque, inducto calore ut quinque peribit forma aquæ, non tamen sequetur forma ignis, cùm materia ad illam non sit sufficienter disposita.

VII. *Resp. nec fieri posse per accidens.*

Resp. primò, in eo casu, si nec sint dispositiones sufficientes ad inducendam formam ignis, nec ad conservandam formam aquæ, productum iri tertiam aliquam formam, vaporis v.g. fumi, exhalationis &c. ad quam dispositiones illæ sufficient, quæ tunc inducetur à causis universalibus & æquivocis, si univoca ad hoc sufficiens non adsit: sicut in productione hominis, quando materia non est perfectè disposito ad animam rationalem, inducitur forma embryonis.

VIII. *Viâ corruptionis conservatur forma cum valde tenuibus dispositionibus.*

Resp. secundò, quotidianâ experientiâ compertum esse, viâ corruptionis formam sæpè conservari cum valde tenuibus dispositionibus, ut patet in animalibus, in quibus morti proximis nullus ferè viget nativus calor, & tamen perstat adhuc in iis vita, ergo à fortiori in non viventibus, quæ minùs perfectas requirunt dispositiones, poterit viâ corruptionis forma stare cum valde tenuibus dispositionibus propriis, vel etiam cum validis contrariis. Unde licèt forsan non possit primò induci forma aquæ in materiam

etiam dispositam cum calore ut quinque, poterit tamen cum eo conservari.

IX. *Per accidens induci potest forma sine dispositionibus.* Deinde, esto omnino connaturaliter non possit forma aquæ stare, vel forma ignis induci cum calore ut quinque, adhuc sicut videmus, attracto aëre in tubo plumbeo, ascendere aquam ad evitandum vacuum, ita hîc etiam ad evitandum hoc vacuum in materiâ (quod etiam abhorret natura, quia ad nihil utile) vel inducetur forma ignis sine dispositionibus omnino requisitis, vel forma aquæ sine iis quas naturaliter postulat, conservabitur. Sicut etiam non potest naturaliter existere materia in mixtis sine quatuor gradibus primarum qualitatum, quia ibi etiam daretur aliquod vacuum accidentale, ut latiùs dixi disput. præcedente s.4. n.nono.

SECTIO II.

An materia dependeat à formâ à priori, vel à posteriori.

I. *Status difficultatis.* DIsp.nona, s.3.n.4. dixi non ita essentialiter dependere materiam à formâ, quin sine omni formâ existere divinitùs possit. Nunc ergo ulteriùs inquiro, an materia à formâ vel à priori, id est, tanquam à causâ efficiente vel materiali, aut à posteriori, nempe tanquam ab effectu dependeat.

II. *Materia non pendet à formâ à priori.* Prima conclusio, materia non dependet à formâ à priori, seu tanquam à causâ. Ita P.Hurt. d.2.Phy. s.8 n.37. P.Arria. d.2. Phy.s.6.n.88. & alij. Ratio est, quia, ut proximè dixi, dependentia à priori vel debet esse tanquam à subjecto, vel tanquam à causâ efficiente, sed materia non dependet à formâ tanquam à subjecto, ut est manifestum, materia siquidem est subjectum formæ. Conf. jam enim materia non esset primum subjectum. Conf. secundò, sic enim daretur mutua causalitas, quam suo loco ostendam implicare.

III. *Nec ab animâ rationali pendet materia à priori.* Quòd verò nec etiam dependeat materia à formâ tanquam ab efficiente, probatur primò, quia materia creatur, nullum autem agens naturale potest vel partialiter creare. Secundò, quia materia non solùm est prior naturâ formâ, sed etiam dispositionibus ad formam, quæ sunt introductione formæ priores. Hæ duæ rationes probant materiam non dependere à priori etiam ab animâ rationali, cùm nec illa creare possit, nec sine dispositionibus naturaliter in materiam induci.

IV. *Dependentia à priori in genere causæ formalis est inintelligibilis.* Dependentia verò illa à priori quam aliqui assignant materiæ respectu formæ, dicentes dependere illam à priori à formâ in genere causæ formalis, hæc, inquam, dependentia & inintelligibilis est, & argumentis contra dependentiam materiæ à formâ in genere causæ materialis & efficientis facilè impugnatur. Dices; dependet materia à causâ finali, quæ dependentia non obstat creationi, ergo nec obstabit dependentia ab aliis causis. Nego consequentiam, influxus enim causæ finalis metaphoricus tantùm est, & intentionalis ac remotus, non immediatus & physicus, sicque non repugnat creationi.

V. *Nec etiam à posteriori pendet materia à formâ.* Secunda conclusio: non ita à posteriori dependet materia à formâ, ut si denudaretur ab omni formâ, teneretur Deus ut auctor naturæ, illam destruere; sicque hoc sensu potest naturaliter sine omni formâ persistere. Ratio est, quia non apparet cur Deus tunc ut auctor naturæ suspendere deberet concursum materiæ conservativum, eamque destruere, hoc autem non meliùs ostendetur quàm respondendo ad rationes ab adversariis allatas.

VI. Dices; cessante fine cessat res, sed finis materiæ est susceptio formæ, ergo si separentur omnes formæ, necessariò cessabit materia. Distinguo majorem, cessante fine adæquato, cessat res, transeat major; cessante fine inadæquato, nego. Sic in mente captis non perit intellectus, & voluntas, vel anima, licèt nobilissimos actus, & ad quos præcipuè ordinantur, liberos nimirum, exercere non possint. Sic in Beatis in cœlo post diem Iudicij manebunt potentiæ vegetativæ & nutritivæ, licèt ibi corpora nec vegetabunt unquam, nec nutrientur. Licèt ergo præcipuum munus materiæ sit susceptio formæ, & constitutio compositi substantialis, alia tamen etiam habet officia, nempe impedire vacuum, sustentare accidentia, recipere cœli influentias, & in alia eas corpora transfundere, & alia. *Non quovis fine cessante cessat res.*

VII. *Non est tanta dependentia materiæ à formâ, ac corporis ab ubicatione.* Dices secundò; multa pendent à posteriori ab aliquibus rebus sine quibus esse non possunt, ut corpus ab aliquâ ubicatione & duratione, & alia hujusmodi, ergo & materia naturaliter pendebit à formâ. Resp. hoc nimium probare, hinc enim sequeretur, materiam nec per Divinam potentiam posse esse sine omni formâ, dici enim solet communiter, corpus per nullam potentiam esse posse sine ubicatione aliquâ, & duratione. De quo suo loco. Nulla verò est ratio cur talis dependentia ponatur materiæ à formâ, ut hac destructâ, pereat materia.

VIII. *An materia, ablatâ quantitate, periret.* Dices tertiò; si auferretur ab eâ quantitas, deberet naturaliter destrui, cui enim bono conservaretur? cùm nullis universi usibus deserviret, ergo nec conservari poterit sine formâ. Resp. si ablatâ quantitate, non conflueret ad punctum, adhuc deserviret ad impediendum vacuum, & sic permaneret aliquis saltem ejus finis, sicque naturaliter non deberet magis perire, quàm oculus destructo omni colore. Si autem naturaliter conflueret ad punctum, quod aliqui dicunt, tunc si nec habeat formam substantialem, nec impediret vacuum, nec aliud munus exerceret, esto, naturaliter pereat, jam enim nulli prorsus usui foret, sicque non est finis in naturâ cur permaneat: ac proinde Deus, ut auctor naturæ eam conservare amplius non poterit.

Hic solùm addendum, non mihi efficacem videri rationem illam quæ à nonnullis efficacissima putatur ad ostendendum posse naturaliter conservari materiam, licèt omnis forma destruatur. Arguunt itaque, destructio formæ materialis est corruptio, non annihilatio, ergo petit existentiam materiæ pro aliquo priori naturæ in eo instante in quo corrumpitur forma, ergo toto illo instante reali existit necessariò materia, quod enim requiritur ad constituendam prioritatem naturæ in aliquo instante, existere necessariò debet toto illo instante reali, cùm omne instans realiter sit indivisibile, ergo pro nullo posteriori naturæ in illo instante perire potest materia ad destructionem formæ, ergo naturaliter manere debet materia vno saltem instante sine omni formâ. Quòd verò existere in illo instante debeat, probatur, nam si non sit materia illo instante quo perit forma, saltem pro aliquo priori, ergo forma desinit in nihilum, ergo annihilatur, & non corrumpitur corruptione propriè dictâ. IX. *Argumentū quorundam ad probandum posse persistere materiam, destructâ omni formâ.*

Hoc, inquam, argumentum nunquam mihi visum est efficax, & manifestam habet instantiam in eo casu, quo ex annihilatione materiæ equi v.g. vel alterius compositi naturalis destrueretur forma materialis, tunc enim pro nullo priori naturæ est materia quando non est forma, imò pro aliquo priori non est, seu desinit materia, quàm non sit forma, cùm hæc ad materiæ destructionem destruatur, ergo pro aliquo priori non est materia quàm non sit forma, & tamen forma in illo casu non annihilatur, ut omnes fatentur, sed corrumpitur, ergo non requiritur ad corruptionem propriè dictam, ut materia illo instante X. *Forma desinens ad annihilationē materia, non annihilatur.*

stante sit, quo destruitur forma. Si verò dicat quis, in eo casu annihilari formam, nullum erit inconveniens concedere annihilari etiam eam, quando vicissim ex illius destructione destruitur materia.

XI. *Ratio cur forma in eo casu non annihilaretur.* Resp. ergo in neutro casu destructionem illam fore annihilationem respectu formæ, quia annihilatio est suspensio concursus creativi, non generativi: cùm ergo forma illa materialis conservata priùs fuerit per concursum materiæ influentis in genere causæ materialis, non dicetur annihilari, nullus enim ibi fuit concursus creativus, ergo nèc potest esse illius suspensio. Est ergo hîc suspensio concursûs generativi, seu concursûs dependentis à materiâ influente, non eo tempore dependentis quo est suspensio concursûs: hoc enim implicat, sic namque simul esset concursus, & non esset; sed pro instante immediatè præcedente. Et hoc, nisi quæstio sit de nomine, est desinere, non in nihilum, sed in subjecto saltem præsuppositio. Vel si velint hoc esse desinere in nihilum, id est, quod nihil existat in quo antea fuit; & in quod hoc sensu desinat, nunc dicam non omnem desitionem in nihilum esse annihilationem, sed eam solam quæ est suspensio concursûs creativi, seu concursûs independentis à subjecto influente pro aliquo priori, licèt tunc nec influat, nec existat.

XII. Dices; materia tunc perit solùm pro aliquo posteriori naturæ, ad destructionem scilicet formæ, ergo pro aliquo priori illius instantis non perit, ergo pro illo priori est, habet enim negationem destructionis, ergo pro aliquo priori naturæ in illo instante conservatur materia, ergo tunc est, ergo etiam est toto illo instante reali, juxta superiùs dicta, cùm omne instans sit realiter indivisibile. Resp. simile argumentum confici posse in productione cujuscumque rei pro aliquo posteriori naturæ respectu causæ in quocunque instante reali quo producitur, ex. g. sol in instante A producit lucem pro posteriori naturæ, semper enim effectus est naturâ posterior causâ, ergo solùm pro posteriori naturæ producitur lux, ergo non est pro aliquo priori naturæ, ergo pro illo priori naturæ habet negationem existentiæ, ergo non est in toto illo instante reali quo producitur, cùm instans illud, non minùs quàm quodlibet aliud, sit realiter indivisibile. Hæc ergo objectio se destruit, vult enim pugnantia, ut ostensum est.

Non rectè arguitur, pro illo priori non est effectus, ergo est negatio effectûs.

XIII. *Materia pro illo priori est solum præcisivè.* Dico itaque materiam pro illo priori naturæ illius instantis, quo destruitur, non esse positivè, sed solùm præcisivè, nec affirmare de illâ potest quispiam pro illo priori, esse: sicut & effectus non est negativè pro illo priori illius instantis realis quo producitur, ita ut pro illo priori dici possit effectus non esse, sed solùm præcisivè: alioqui in eodem indivisibili instante realis durationis esset simul & non esset. Nil ergo est aliud non esse, seu desinere materiam pro aliquo posteriori naturæ in illo instante reali, quàm in eo instante habere causam suæ destructionis; & effectum produci pro aliquo posteriori nihil est aliud quàm habere illo instante causam suæ productionis: ut latiùs postea declarabitur d. 20. dum de prioritate naturæ.

SECTIO III.

An materia orbata omni formâ conservari posset eâdem actione, & an hæc esset miraculosa.

I. *Materia spoliata omni formâ posset eâdem adhuc actioni conservari.* Quoad primum dico, eâdem actione conservandam in eo casu materiam, qua ante conservabatur. Ratio est, quia forma, ut sec. præcedente ostendi, nullo modo influebat in materiam, ergo nullus hîc influxus per concursum fortiorem est à Deo supplendus. Conf. materia à posteriori tantùm pendet à formâ, idque secundùm quid, ita nimirum, ut si omni formâ spoliaretur, non peteret necessariò, ut jam probavi, sed quæ hac tantùm ratione pendent ab alio à posteriori, conservari eâdem actione possunt, quâ cum illo alio conservabantur, ergo. Minor probatur, sol, esto naturaliter esse nequeat sine omni luce quam habet, si tamen Deus ab eo partem hujus tolleret, posset illum eodem concursu conservare, quo modò. Sicut etiam, licèt paries non possit naturaliter colore omni denudari, si tamen Deus omnem ab eo colorem separaret, posset tamen eum eodem concursu conservare quo modò, dum habet colorem.

II. *Actiones miraculosa sunt in duplici genere.* Quoad secundùm, an scilicet actio, quâ materia sine omni formâ conservaretur, foret miraculosa, Notandum, actiones miraculosas (non est sermo de supernaturalibus, ut de productione gratiæ, Unionis Hypostaticæ &c.) esse in duplici genere, quoad substantiam, & quoad modum. Actiones quoad substantiam miraculosæ sunt, quæ naturaliter fieri non possunt, & Angelus solâ visâ tali actione, statim diceret non esse in naturâ vim illius effectricem, qualis est actio quâ accidens conservaretur sine subjecto.

III. *Actiones miraculosa quoad modum.* Actiones miraculosæ quoad modum sunt illæ, quæ quoad se & suam entitatem sunt possibiles, qualis est restitutio visûs cæco, quæ actio ejusdem planè rationis est cum illâ quâ visus primò fuit productus. Unde Angelus actionem illam solam intuens, non sciet an in ejus productione supernaturale quidquam intercesserit. Imò actionem unam intuens quâ visus Petro fuit restitutus, & aliam quâ in Paulo visus fuit primò productus, non discernet inter actiones illas quæ sit restatio, quæ prima productio, sicut nec inter potentias ipsas vivivas, quæ sit primò producta, quæ restituta.

IV. *Sitne miraculosa illa actio conservativa materiæ.* Utrùm ergo actio quâ materia formâ omni orbata conservaretur, miraculosa quoad modum dicenda sit, an naturalis, positis iis quæ suprà statuimus, nempe materiam omni formâ spoliatam non petere destructionem sui, deinde eodem adhuc concursu conservari eam posse, quo priùs fuerat conservata, his, inquam, positis, quæstio tantùm esse potest de modo loquendi, cui proinde ne nimiùm insistam.

V. *Actionem illam comitatur miraculum.* Dico: si per actionem miraculosam quoad modum, intelligatur actio quam miraculum aliquod comitatur, esse actionem hanc miraculosam, sicut & miraculosa esset illa quâ paries conservaretur sine omni colore, quæ nihilominus actio est in se maximè naturalis. Miraculum tamen propriè hîc non tam est in actione, quàm quòd materia omni formâ, paries colore orbetur. Si verò per actionem miraculosam intelligatur actio materiæ in his circumstantiis indebita, non est miraculosa, cùm non minùs eam peteret materia orbata formâ, quàm informata, ut suprà ostensum est. Videatur P. Arria. d. 2. Phys. s. 6. subs. 4. hæc fusiùs discutiens.

Non tamen est materia indebita.

VI. *Posteriorias naturæ in formâ non excusat hîc miraculum.* Id verò non placet, quod Recentiores quosdam affirmare video, qui ideo actionem hanc à ratione miraculi excludunt, quòd forma sit materiâ posterior, vel in se, ut forma omnis materialis, ad quam physicè concurrit materia, vel in dispositionibus, quas anima rationalis subsequitur, nihil autem, inquiunt, dependere potest ab aliquo se posteriore. At sanè licèt propriam dependentiam à posteriori, materiæ à formâ non admittam, si tamen admitterem, non existimarem obstare miraculo: disp. enim 20. s. 2. ostendam rem, non solùm naturaliter, sed nec divinitùs sine omni eo existere posse, à quo à posteriori dependet.

SECTIO

SECTIO IV.

De unitate specificâ materiæ.

I. *Materia sublunaris est una specie infima.*

DIco primò: materiam sublunarem unam esse specie infima. Ratio est, quia nullum apparet indicium in contrarium, cùm omnis materia sit susceptiva primarum qualitatum disponêtium ad formas omnes sublunares, & consequenter formarum illarum est susceptiva. Præterea fit perpetua transmutatio & vicissitudo in universo, dum manente eadem materia novæ & novæ succedunt formæ, nullaq; omnino est pars materiæ, quæ alterius non sit formæ susceptiva, præter eam quam de facto habet, atque adeò successivè omnium. Conf. alioqui ignis generatus ex combustione hominis, ligni, carbonis, terræ, &c. esset diversæ speciei. Nec valet, materia dicit essentialem ordinem ad formas, ergo specificatur ab illis, & diversificatur pro illarum diversitate, si enim hoc ultimum sequatur, tot erunt potentiæ vitivæ in homine, imò tot intellectus & voluntates, quot actus elicit specie distinctos, cùm ab actibus non minùs specificetur potentia quàm materia à formis. Specificatur ergo materia à formis collectivè sumptis, ita scilicet ut non foret eadem materia si vel una earum esset impossibilis. Illa etiam materia esset specie distincta ab aliis, quæ non respiceret unam aliquam speciem vel seriem formarum, quam respiciunt aliæ.

II. *Materia ductum compositorũ differunt sæpe specie accidentali.*

Specie tamen accidentali differt materia unius specie compositi ab alia, ob diversam scilicet complexionem accidentium, quæ in se continet. Quo sensu intelligendus Aristot. l. 4. de cœlo, c. 5. dum ait, *ad aliam formam aliam materiam esse necessariam, & in genito ac corrupto manere eandẽ materiam numero, non vero specie.* Sed hæc est materia secunda, ut aiunt, seu materia jam per dispositiones accidentales ad hanc vel illam specie formam determinata.

III. *In quo materia in compositis substantialibus differat à materia artefactorum.*

Dices: asserere Aristotelem, materiam primam se habere in genere naturæ respectu formarum substantialium, sicut se habet materia artefactorum in genere artis respectu formarum artificialium, sed hæc sæpè est specie diversa, ut aurum, æs, lignum, & similia, ergo & illa. Resp. hoc solùm sensu comparari ab Aristotele materiam primam cum materia artefactorum, quòd materia successivè diversas formas substantiales suscipiat, sicut illa artificiales, non tamen in omnibus eas inter se confert, sic enim deberet materia prima esse generabilis & corruptibilis, & substantialiter completa, cùm aurum, æs, lignum sint completa. Non ergo ad amussim inter has materias exigenda est comparatio, quælibet enim materia sublunaris formarum omnium est susceptiva, quævis tamen materia artefactorum in quamlibet formam artificialem deduci nequit; non enim ex aqua vel arena fiunt instrumenta mathematica, nec gladij ex plumbo, nec ex quolibet ligno Mercurius.

IV. *Virumque ens & leo distinguuntur specie adæquata.*

Dices 2. ergo homo & equus non distinguuntur specie totaliter & adæquatè. Resp. si per totaliter & adæquatè intelligatur non distingui secundùm utramque partem specie, concedo; si simpliciter totum non distingui specie, nego: ad hoc enim sufficit quòd forma quæ præcipuè *dat esse, & distinguit*, sit in iis specie diversa, unitas enim & convenientia ex integra causa, sicut æqualitas, distinctio & variatio ex variatione cujusque partis, sicut inæqualitas in numeris, *species* autem juxta Aristotelem *sunt sicut numeri.*

V.

Dices tertiò: hinc sequi materiam fore infinitè perfectam. Nego sequelam, sicut nec intellectus est infinitè perfectus, quòd plures & plures actus specie elicere possit in infinitum circa plura & plura objecta specie, multò tamen imperfectiùs præcontinet materia formas, quàm intellectus, etiam ut causa partialis concurrens cum specie altero comprincipio, præcontinet actus, præcontinentia enim materialis est omnium imperfectissima. Secundò Resp. non magis hîc argui infinitatem in materia, quàm in visione beatifica, nec enim magis in materia crescit perfectio ex extensione termini, quàm in visione ex intensione perfectionis in objecto. Tertiò dico, non constare utrùm hæc materia sit susceptiva infinitarum formarum specie distinctarum. *Materia non est infinitæ perfectionis.*

VI. *Nõ repugnat alia materia specie distincta.*

Dico secundò: non repugnare aliam materiam specie distinctam à nostrâ. Probatur, potest Deus creare alium mundum, & aliam seriem rerum ab hac, quæ de facto est, planè distinctam, ergo & erunt diversæ primæ qualitates, ac dispositiones præviè ad illas formas, quarum nec dispositionum, nec formarum capax esset hæc materia nostra, ergo alia esset ibi materia à nostra specie distincta. Dices; ergo illa materia esset imperfectior nostra, cùm tamen materia nostra sit imperfectissima. Resp. concedo sequelam, si formæ quarum est susceptivâ materia illa, nec numero nec perfectione sint æquales iis, quas nostra potest suscipere.

VII. *Materia nostra non est rerum omnium imperfectissima.*

Nec est quod quis ita nostram deprimat materiam, ut eam velit rerum omnium esse imperfectissimam: imprimis enim perfectior est accidentibus, deinde nec omnibus substantiis est imperfectior, superat enim in perfectione multos modos, ut substantiam &c. imò, ut multi putãt, etiam nonnullas formas substantiales materiales, quæ sunt valdè imperfectæ.

VIII.

Dices: Deus Ens perfectissimum non potest multiplicari specie, ergo nec materia ens imperfectissimum. Contra primò, ergo nec multiplicari potest materia numero. Contra secundò, modi & accidentia variantur specie, & tamen sunt imperfectiora materiâ.

IX. *Non est idem quoad dispositionem inter actum purũ, & puram potentiam.*

Urgebis, unus actus purus non potest alium in perfectione superare, ergo nec una pura potentia esse aliâ perfectior. Nego consequentiã, actus enim purus est ille qui habet summam perfectionem, quique omnem excludit imperfectionem: at verò pura potentia non excludit omnem perfectionem, cùm perfectior sit materia multis modis, & accidentibus, ut vidimus. Et hinc sequeretur, non posse materiam multiplicari numero, cùm actus purus numero multiplicari non possit.

X. *Dari potest materia capax sex tantùm formarum.*

Dico tertiò: mihi probabile videtur dari posse materiam capacem sex tantùm, vel decem diversarum specierum ex formis corruptibilibus. Tunc autem dicendum, si in ignem injiceretur compositum illud, & non esset illius materia susceptiva formæ ignis; non comburendum, nec formam illam expellendam, sicut nec calefit cœlum lunæ ab igne ei vicino, nec ignis inducere posset dispositiones in materiam illam ad suam formam, cùm materia, quæ non est capax formæ, non sit capax dispositionum ad illam, cùm ubi non est possibilis forma, nec dispositiones ad illam sint possibiles. Posset tamen materia illa intra species quarum est capax, plures & plures in individuo semper formas suscipere, imò de una in aliam ex sex vel decem formis, quæ infra illius sphæram continentur, identidem transmutari.

XI. *Materia cœlorũ & inter se, & à sublunari distinguuntur specie.*

Dico 4. mihi probabilius videri materias cœlorum & inter se, & à sublunari specie differre. Ratio est, quia cùm non repugnet materia susceptiva unius tantùm formę, magis rectæ rerum dispositioni videtur consentaneum, ut materia quam de facto habent

habent cœli, sit hujusmodi potiùs, quàm similis sublunari, cùm ad finem valdè diversum creata videatur sublunaris materia, nempè ad vicissitudinem, ac varietatem, & ad generationem & corruptionem rerum in se perpetuò exercendam: longè ergo majus fundamentum habemus ad asserendum esse diversæ speciei has materias, cùm tam diversas formas, ac dispositiones in se recipiant, & tam diversis muneribus sint ab auctore naturæ institutæ. Hæc obiter de hac quæstione prælibasse sufficiat, plena enim illius discussio spectat ad libros de cœlo, ubi eam tractabimus d.2.sec.2.

SECTIO V.

De reliquis ad materiæ cognitionem spectantibus.

I. *quas causas habeat materia.*

PRimum est, quas causas habeat materia? primò quoad causam efficientem, certum est aliquam habere eam debere, cùm quid creatum sit, & ens ab alio. Causa ergo efficiens illius est solus Deus, cùm juxta Philosophos, nullum agens naturale creare naturaliter possit. Causa finalis seu finis materiæ intrinsecus est compositum, extrinsecus, sicut & aliarum omnium rerum, Deus, qui ut α, seu principium, ita ω, seu finis est omnium rerum. Materialem causam habere nequit, cùm sit primum subjectum, ut diximus.

II. *Materia non pendet à forma in genere causæ formalis.*

Difficultas ergo sola procedit de causa formali. Dico itaq; materiam non verè pendere à forma in genere causæ formalis. Ratio est, quia causa formalis ex conceptu suo essentiali est causa intrinseca, & causat solùm communicando se, sed forma non est pars intrinsecè constitutiva materiæ, nec illam denominat materiam, ergo materia in conceptu suo intrinseco non includit formam tanquam partem & causam formalem intrinsecè constitutivam sui, sic enim materia deberet denominari materia à forma, sicut paries denominatur albus ab albedine.

III. Secundum est, materiam esse ingenerabilem, & incorruptibilem: sed hac de re dictum est fusè suprà d.3.s.2.

IV. Tertium est, materiam principium esse & radicem destructionis compositi: cùm enim variarum & appositarum formarum ac dispositionum sit capax, agentia ei applicata suas in eam inducunt dispositiones, sicque forma prior & compositum destruitur, eorumque destructio in materiam refunditur. *Materia est radix destructionis compositi.*

V. *Sitne materia alicujus effectiva.*

Quartum est, utrum materia rei cujuspiam sit effectiva? Non esse effectivam seu operativam ad extra videtur certum: nullo enim fundamento diceretur materiam, rem adeò imperfectam, cum forma equi generare equum, & alia similiter animalia. Conf. Materia est principium verè passivum, & forma activum, ideoque fortasse dicuntur actus & potentia.

VI. *An producat suas passiones.*

Difficultas est, utrùm ad intra producat per emanationem suas proprietates & passiones, quantitatem scilicet, & subsistentiam. Negat P.Vasq.to.2. in 1.p.d.196.n.13 & Thomistæ communiter, ut hoc modo materiam puram esse potentiam receptivam, & nullo modo activam defendant. Alij verò cum P.Suarez affirmant: tum quia emanatio non censetur propriè actio, nec quæ per emanationem fiunt tribuuntur rei à qua emanant, sed generanti, juxta illud, *qui dat formam, dat consequentia ad formam*: unde emanatio nihil obstat puritati potentiæ materiæ. Deinde, omnes aliæ essentiæ producunt per emanationem suas passiones, ut docet S.Thom.1.p. qu.77.corpore, quidni ergo & materia producat suas? Hoc secundum mihi videtur probabilius.

VII. Quintum est de subsistentia materiæ. Sed hac de re in Metaphysica, ubi naturam subsistentiæ declarabo.

VIII. *Possitne dari materia communis formæ corruptibili, & incorruptibili.*

Sextum, possitne dari materia communis formæ corruptibili & incorruptibili? Resp. affirmativè. Quod verò aliqui objiciunt, potentiam illius ad formam corruptibilem fore otiosam, dum est sub forma incorruptibili. Dico non fore otiosam, sicut non est otiosa potentia in humanitate Christi ad propriam subsistentiam. Tunc ergo solùm censetur potentia ad aliquid otiosa, quando perit aliquid cum illo alio incompossibile, non quando accidentaliter tantùm ei unitur, ut hic non necessariò, sed per accidens tantùm materia formæ illi incorruptibili fuit primò unita, cùm pro aliquo priori indifferens fuerit ad utramque.

DISPVTATIO XI.

De Formâ substantiali.

I. *Forma variis modis sumitur.*

FOrma variis modis sumi nonnunquam solet: primò, pro re omnino completa per se subsistente, quo sensu Deus & Angeli formæ subinde appellantur. Secundò, pro forma assistente, qua ratione Intelligentiæ cœlorum motrices formæ dicuntur, quæ nimirum sphæris semper cælestibus assistunt, earumque motum dirigunt. Tertiò, Ideæ vocantur formæ exemplares. Quartò, accidentia dicuntur formæ, de quibus d.sequente. Quintò demum, forma dicitur pars illa altera, quæ unà cum materia compositum substantiale constituit: & de hac nobis in præsenti est sermo.

II. *Forma antiquis ferè fuit ignota.*

Hæc antiquis Philosophis ferè fuit ignota, quos proindè non semel hoc nomine reprehendit Aristoteles, quod scilicet materiæ considerationi veluti immersi, præstantissimæ rerum naturalium partis investigationem penitùs neglexerint. Formæ tamen meminit Plato, eam vocans *Idearum participationē*. Illius verò naturam maximè illustravit Aristoteles, eamq; appellat *speciem, actum, terminum, pulchrum, divinum, exemplar, optimum*, &c. Quam etiam nostro sæculo optimè declarat Suarez d.15.Met.Hurt. hìc d.4.Arriaga d.3.Oviedo hìc controv.3.& alij.

SECTIO PRIMA.

An sit, & quid sit forma substantialis.

I. *RENAT. DES CARTES 4.par.princ. Philos.*

QUoad primum: in recentiorem quendam scriptorem nuper incidi, qui formam omnem substantialem (præterquam in homine, & reliquis fortasse viventibus) ex universo tollere videtur; & ignem, terram, aquam, &c. nihil aliud esse vult, quā materiam primam cum diversis motibus heterogeneis, quibus earum partes cieri & agitari asserit: & in hac motuum diversitate, rerum saltem inanimatarum, differentiam constituere videtur.

II. P.Arriaga d.3.Phy.s.5.n.43.aliam opinionem refert,

Opinio eandem in rebus propè omnibus formam statuens.

fert, quæ ait, in omnibus rebus, præter hominem, eandem esse formam substantialem: *Quia*, inquit, *nulla fatuitas sine patrono, non desunt etiam his temporibus nonnulli, nescio an Philosophi dicendi, an deliri, qui judicant, in omnibus entibus (excipiunt hominem propter fidem) eandem numero esse formam substantialem, & solas dispositiones accidentales noscunt diversas.* Hæc ille.

III. Ego à censuris abstineo, solùm dico, opinionem, quæ unicam hoc modo in universo substantialem formam constituit, non esse minùs tolerabilem illâ, quæ ponit nullam.

IV. *Cùm hoc sine probationibus affirmet, eâdem facilitate rejicitur, quâ asseritur.*

Ulteriùs verò ab hoc auctore quærerem, quo fundamento nixus particulas hujusmodi saltatriculas in rebus hisce constituat, præsertim cùm manifesta constet experientiâ nullum in rebus istis motum cerni, sed eas immotas planè esse, & quietas. In Academiis namque, & doctorum hominum cœtu tantum quis obtinet, quantum rationibus evincit, si quid sine probationibus proferatur, rejicitur ut fictitium. Vel ergo hujus sui tam miri effati, & partium istarum saltitantium rationem aliquam assignet, quod hactenus non fecit, vel finem imponat tripudiis. Hanc itaque sententiam, prout negat formas substantiales, hîc refellam: prout verò eas in motu sitas esse docet, impugnabo disp. sequente, sec. 5. dum de formis accidentalibus, eadem enim quoad hoc est ratio substantialium formarum & accidentalium.

V. *Conclusio: dantur Formæ substantiales.*

Contra utramque ergo hanc sententiam, & si qua sit alia, quæ substantiales formas negat, Dicendum, præter materiam, admittendam necessariò esse hujusce modi formam, quæ, velut alterum comprincipium substantiale, res naturales constituat. Ita auctores paulò antè citati, & est res certissima.

VI. *Probatur ex continuâ mutatione rerum, & aliis.*

Probatur primò ex continuâ mutatione rerum, quæ sicut requirit subjectum aliquod commune, ita & terminos diversos, qui producantur. Secundò, ex tam variâ serie accidentium, quæ diversa videmus in diversis, ut in igne, aquâ, flore, lapide, & reliquis, ergo in aliquod principium debet hæc diversitas refundi, sed non in materiam, hæc enim ejusdem speciei est in omnibus, ergo in formam. Tertiò, videmus aquam calefactam ad pristinam se frigiditatem reducere, & ferrum candens ad prius temperamentum redire, ergo aliquid in his compositis reperitur, quod hoc exigat. Quartò, peculiariter probatur in homine ex nobilibus illis operationibus, quas ab homine elici videmus, intellectûs scilicet & voluntatis, hæ autem in materiam refundi nequeunt, ut constat. Quintò, quia alioqui composita omnia naturalia essent ejusdem speciei substantialis, cùm materia sit ejusdem speciei. Sextò, non est ad quem finem materia prima sit quid incompletum substantialiter, nisi ut per compartem aliquam substantialem compleatur, non enim completur substantialiter per accidentia.

VII. *Aqua per occultam qualitatem non potest se ad frigiditatem reducere.*

Objicies primò contra tertiam probationem. Ratio cur aqua calefacta ad suam se frigiditatem denuò reducit, est, quòd occulta illic lateat qualitas, quæ, remoto igne, aquam temperamento pristino restituit. Contrà, omne accidens ad aliud tanquam ad radicem ordinatur, ergo si ibi sit hujusmodi qualitas, est aliquid quod eam exigat, sed hoc non est materia, hæc enim, cùm sit commune subjectum, ad omnia accidentia (rerum saltem sublunarium) est indifferens, nec ullum in particulari exigit, ergo qualitatis illius, quæ tam tenaciter adhæret materiæ, alia esse debet radix præter materiam, ergo dari debet aliud comprincipium substantiale, quod qualitatem illam postulet, nam de omni accidente, quod ei tanquam radix assignaretur, idem fieri posset argumentum.

VIII. Objicies secundò; *accidentis esse est inesse*, sed forma materialis semper inest materiæ; nec potest naturaliter esse quin insit, ergo est accidens. Resp. non solùm accidentis esse est inesse, nec propterea præcisè accidens est accidens quia inest, sed quia accidit, id est, advenit rei jam in suo esse plenè constitutæ, & abesse potest, ita ut res adhuc permaneat, paries enim manet paries, & homo homo ablatâ albedine, qui tamen non manent ablatâ animâ, formâ substantiali, vel materiâ.

Forma, licèt insit subjectio, non est accidens.

Quoad secundum, definitur forma ab Aristotele IX. sæpiùs, quòd sit, *quod quid est rei*, seu *ratio rei*, nempe quæ ultimò constituit & distinguit communiter rem ab omni alio composito, ut forma artificialis seu figura in arte factis. Quæ definitio clariùs explicatur his verbis, *forma est ultimus actus informativus materiæ, faciens per se unum cum illâ, & prima radix potentiarum activarum in composito.* *Definitio Formæ.*

SECTIO II.

An forma sit tota quidditas compositi: ubi de materiâ primogeniâ.

RESP. negativè, licèt enim cùm forma ultimò determinet communiter materiam ad hoc compositum, dici possit peculiari modo ratio compositi, non tamen adæquatum illius constitutivum, cùm omne compositum substantiale essentialiter constituatur ex duabus partibus substantialibus. Unde in Symbolo Athanasij dicitur, *sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus.* Sicut etiam, licèt forma seu figura in artefactis peculiari modo constituat ultimò determinando formaliter materiam ad hoc artefactum, non tamen adæquatè illud constituit, mensa enim vel cathedra non est sola illa figura, sed insuper superaddit materiam. Nec homo est sola anima, sic enim non esset generabilis & corruptibilis, nec moreretur, aut destrueretur, cùm anima sit immortalis. I. *Forma non est tota quidditas compositi.*

Urgebis, sola forma est adæquata radix & principium potentiarum, & operationum in composito, ut constat in homine, cujus anima elicit actus intellectûs, unita æquè ac separata, ergo forma est tota quidditas compositi, operari enim sequitur esse. Resp. distinguendo antecedens, est adæquata radix omnium operationum, nego antecedens; aliquarum, saltem quoad substantiam, concedo, nempe actuum intellectûs & voluntatis, licèt quoad modum etiam hi pendeant à materiâ, cùm eliciantur in corpore dependenter, non solùm à speciebus abstractis à sensibus, sed ab imaginativâ etiam, & phantasmatibus, quæ in hac vitâ intellectum in operando semper comitantur. Aliæ autem potentiæ quæ sunt materiales, pendent etiam & oriuntur partim à materiâ, in quâ etiam recipiuntur, ut omnes sensus: hoc autem sufficit ut materia sit partiale principium illarum, saltem receptivum, & consequenter partialiter constitutiva compositi. II. *Forma non est adæquata radix omnium operationum.*

Instabis, ergo variatâ materiâ specie, variabitur compositum specie: hinc autem primò sequitur, gradum hominis non esse speciem infimam seu atomam. Secundò, non posse probari Christum esse ejusdem speciei hominem nobiscum. Tertiò, quia in artefactis mensa ex auro, ejusdem planè figuræ cum mensâ ex ligno, vel marmore, non censetur diversæ speciei artificialis. III.

Resp. Concedendo sequelam. Ad primum inconveniens dico, probabile videri esse possibiles plures homines specie distinctos, & consequenter rationem seu gradum hominis ut sic, esse genericum, imò aliqui censent posse dari animas rationales specie distinctas, IV. *Variatâ materiâ specie, variatur specie compositum.*

stinctas, ergo pari modo urget argumentum de gradu specifico hominis ex eo capite, atque ex parte materiæ. Statuitur autem à Philosophis gradus hominis species infima, ut certum aliquem gradum habeant Dialectici, de quo forment suas compositiones, & conceptus metaphysicos, & non vagentur in incertum; sicut eodem modo statuitur animal genus infimum, cùm tamen valdè probabile sit posse assignari alia genera inferiora sub animali, ut canis ad omnes canes, musca ad muscas, serpens ad reptilia, & hujusmodi. Ad secundùm inconveniens dico, inde probari Christum esse ejusdem speciei hominem nobiscum, primò, quia traxit materiam ex B. Virgine. Deinde quia licèt Verbum assumere potuerit materiam alterius rationis, debuit tamen juxta Apostolum ad Heb. 2. v. 16. per omnia fieri similis nobis, utpote quorum naturam assumpsit, & non Angelicam. Ad tertium, si artefacta sumantur reduplicativè & formaliter, dico materiam non variare speciem; sin specificativè sumantur & materialiter, variare, quia artefactum sic sumptum, includit totum, totum autem variatur specie ex variatione specificâ cujuscunque partis; quod conforme est doctrinæ Aristotelis 3. Phys. tex. 66. dicentis, æs aut lignum esse partem statuæ.

Christus ejusdem fuit speciei homo nobiscum.

V. Ultimò objicies; hinc sequi, non fore eundem hominem puerum & senem, nec resurrecturum eundem qui est mortuus, cùm duo homines mori possint cum eâdem materiâ; saltem magnâ ex parte, ut patet in Anthropophagis: uter ergo cum illâ resurget. Ob hoc argumentum ponunt nonnulli materiam quam vocant primogeniam, quàm scilicet homo accipit in primâ conceptione, & hanc dicunt nunquam deperdi, nec posse transire in materiam saltem primogeniam alterius cujuscunque hominis. At sanè hoc videtur dici nullo modo posse, saltem universim loquendo, tum quia siquis in conceptione habeat sex digitos, vel tres manus, certum est hæc in resurrectione deperditum iri, si homo ille salvetur, nequid monstrosum in cælum admittatur. Si etiam homines aliqui nati fuissent sine pedibus, aut brachiis, hæc in resurrectione sunt addenda. Deinde fieri debet continuum miraculum, ut partes illæ primæ, vel totæ, vel ex parte saltem per totam vitam non deperdantur; nec enim minus miraculum est quòd calor naturalis vel nutrimentum non agat in illas partes, quàm quòd ignis non comburat materiam sibi appositam: cùm materia illa primogenia non sit minùs apta ut in illam agatur, quàm quævis alia, & calor naturalis in eo casu manebit sine omni actione.

Non datur Materia primogenia.

VI. Dico ergo cum Recentioribus communiter: equum post aliquot annos, tantùm esse eundem moraliter, non in rigore Physico & Metaphysico: sed sicut est idem fluvius, novis paulatim succedentibus aquis: cùm enim sensim solùm pereant partes priores, & novæ acquirantur, maneatque eadem vel similis planè figura, quæ anteà; censetur in æstimatione hominum idem equus, sicut idem fluvius. Quod eodem modo contingit in aliis compositis materialibus viventium.

Equus post aliquot annos est idem tantùm moraliter.

VII. In homine minor videtur difficultas quàm in viventibus materialibus, si eorum animæ non sint indivisibiles, cùm semper retineat eandem animam, quod non faciunt illa, non tamen est idem puer & senex in rigore Physico & Metaphysico, sed solùm moraliter, quia animarum altera ejus pars, nempe materia in momenta penè singula ex parte mutatur. Et hoc est quod dicit S. Thomas, hominem esse eundem semper numero instar ignis, qui nutritur semper novo pabulo, seu fomite, & prioribus partibus sensim dilabentibus, imperceptibiliter acquirit novas: & Aristoteles ait, perire compositum *quoad partes materiales, non formales*, id est, ut interpretatur S. Thomas, quoad partes individuas, non specificas, quas vocat *partes formales*, semper enim habet equus materiam individuam & formam individuam, non tamen semper eandem numero, sicut nec homo eandem semper numero materiam, sed solùm eandem specie, priori enim deperditâ, ejus loco succedit nova.

In homine facilius intelligitur, quomodo sit idem juvenis & senex.

Dices; ergo Christus, nec in cruce pro nobis obtulit Patri, nec in sacrosanctâ Eucharistiâ eandem numero carnem retinet, quam accepit à Virgine: quod est expressè contra S. Augustinum ser. de Assumpt. Virginis cap. 5. ubi sic habet: *Caro Christi caro Mariæ est*, & infrà: *Caro Christi, quamvis gloriâ resurrectionem fuerit magnificata, eadem tamen mansit, quæ suscepta est de Mariâ.* VIII. VI.

Resp. peculiarem in Christo esse rationem; cur caro illa, quam ex matre Virgine traxit, in eo ad finem usque vitæ, maximâ saltem ex parte; permanserit. Per carnem autem quam à Matre accepit Christus, non eam solam intelligo, quæ primo Conceptionis Christi instante ex virgineo sanguine fuit compacta, sed etiam eam, quæ ex alimento seu lacte quod ei Mater infanti subministrabat, *ubere de cælo pleno*, ut canit Ecclesia, fuit confecta. Reliquum autem tempus vitæ Christi cùm fuerit tempus augmenti, parum de materiâ corporis Christi fuit deperditum, præsertim cùm optimi fuerit temperamenti corpus Christi, & cibis toto vitæ tempore, maximâ semper cum moderatione, sit usus. Deinde, probabile est specialem hac in re adhibitam esse Dei providentiam, ut optimè notat Suarez To. 2 in 3. p. d. 1. s. 2. §. 2. IX.

Quomodo Christus obtulerit in cruce carnē, quam traxit ex Matre Virginis.

Addd quod supra nu. 5. addebatur de resurrectione, dico resurrecturum hominem cum suâ carne juxta illud Job 19. v. 26. *Circumdabor pelle meâ, & in carne meâ videbo Deum Salvatorem meum*, resurget, inquam, homo cum suâ carne, id est, vel cum eâ quâ mortuus est, maximâ saltem ex parte, vel saltem cum eâ quæ fuit ipsius variis vitæ temporibus. Quòd si duo homines moriantur cum eâdem materiâ successivè, tum inquit S. August. dandam illi materiam illam in resurrectione qui eam primus habuit. Alij Theologi docent distribuendam inter utrumque, & reliquum quod deest, per aliam materiam supplendum. Alij demum ajunt, si alter ex iis salvetur, alter damnetur, ut cùm ex Barbaris quispiam comedit carnem alicujus martyris, totum corpus in resurrectione dandum Beato. Res tota est satis incerta. X.

Homo in quâ carnē resurget.

Quid si eadem caro fuerit duorum.

SECTIO III.

An in eâdem materiâ plures esse possint formæ substantiales.

DUobus modis cogitare quis posset plures formas eandem simul informare materiam, vel ita ut una alteri subordinetur, & sit quasi quædam ad illam dispositio, ut apprehensio subordinatur judicio, & primæ qualitates secundis; vel secundò, ita ut, licèt omnes ad unius compositi constitutionem concurrant, eique subordinentur, respectu sui tamen se habeant disparatè. Sicut primæ qualitates quæ licèt secundùm diversam sui complexionem inductioni formarum elementarium subserviant, ut calor & siccitas respectu formæ ignis, nec tamen calor siccitati subordinatur, nec siccitas calori. I.

Plures formæ possunt duobus modis concipi informare simul eandem materiam.

Varij hac in parte sunt dicendi modi, quos omnes longum esset recensere, celebriores itaque tantùm cursim referam, deinde quid de re ipsâ tenendum sit aperiam. II.

Primò igitur Avicenna præter particularem compositi cujusque formam, aliam statuebat universalem III.

Opinio Avicennæ.

lem materiæ coævam, &, instar illius, incorruptibilē.

IV. *Alij tot formas statuebant, quot prædicata.*

Secundò, alij tot in quovis composito statuebant formas distinctas, quot in eodem sunt prædicata metaphysica, *ens, substantia, corpus*, &c. quibus singulis singulas aiebant respondere formas physicas, tanquam eorum radices.

V. *Alij in vivente ponebant tres formas.*

Tertiò, alij in quovis vivente tres formas statuebant, *corporeitatis, vegetabilis*, & *sensitivi*, in homine super addebant *rationalem*. Hæ omnes sententiæ, impugnatâ sequente, eâdem operâ impugnantur.

VI. *Alij Formam corporeitatis.*

Quarta itaque sententia, & quæ inter omnes pluralitatem formarum in materia statuentes, maximè invaluit, est Scoti, in 4. d. 11. q. 13. a. 2. qui cum totâ suâ scholâ, in viventibus, ut in homine, leone, equo, & reliquis, præter formam primariam, aliam inveniri asserit, quam vocat corporeitatis, viventibus omnibus communem.

VII. *Hæc sententia diverso modo defenditur.*

Scoti sententiam ex parte sequuntur P. Dandinus 2. de An. tex. 12. p. 3. digr. 8. Conine. de Sacramentis q. 76. d. un. Tann. T. 4. D. 5. q. 5. d. 2. d. 22. & alij non nulli ex recentioribus: in hoc tamen differunt, quòd Scotus unam totalem formam ponat corporeitatis, hi verò plures ponunt partiales, ita ut alia sit forma carnis, alia ossis, alia oculi, alia auris, &c.

VIII. *In eadem parte materiæ non possunt esse duæ formæ non subordinatæ.*

Dico primò: in eadem materiâ non posse dari duas formas non subordinatas. Ratio est primò, quia corpus naturaliter non est capax duarum simul ubicationum, ob limitationem, ergo nec materia duarum simul formarum, eadem enim utrobique videtur limitatio, nec facilè assignabitur disparitas. Secundò, non est capax functionum nisi unius formæ simul, ergo dum est sub unâ, esset inutilis ad aliâ. Tertiò, si esset capax plurium simul formarum quàm unius, certus numerus assignari non posset, cùm non sit major ratio unius numeri, quàm alterius, ergo nunquam satiaretur seu compleretur juxta naturalem ipsius exigentiam, sicque semper maneret incompleta, cùm nunquam habeat tot formas, quin posset habere naturaliter plures.

XI. *Probatur ex diverso temperamento ad diversas formas requisito.*

Quartò, diversæ formæ diversum exigunt temperamentum, ergo non possunt formæ illæ simul esse in eâdem materiâ. Respondet Arriaga d. 3. s. 6. n. 112. aqua patitur calorem intensum, cur ergo si nul cum formâ aquæ non poterit in materiâ existere forma quæ calorem illum intensum exigat? sicque erunt simul in eâ duæ formæ. Contrà, hoc perinde est ac si quis diceret, homo esse potest sine potentiâ visivâ & actuali usu rationis, & equus aut canis non perit etiamsi unus aut duo ei pedes præscindantur; ergo dari simul cum animâ rationali potest forma quæ negationem visûs & usûs rationis in subjecto postulet, aut quæ existat cum formâ equi, & postulet habere tantùm duos pedes. Sicut ergo hæ formæ inter se repugnant ob contrarias exigentias, ita & forma quæ petat calorem intensum, cum formâ aquæ pugnat quæ connaturaliter petit frigus intensum, sic enim naturaliter essent simul in eâdem materiæ duæ formæ, seu principia intrinseca petentes contraria.

X. *Obj. exemplum ferri candentis.*

Objicies exemplum ferri candentis, ubi cum formâ ferri simul videtur esse forma ignis, comburit enim & lucet instar ignis. Resp. quoad combustionem, cùm materia ferri sit valde densa, citiùs producit dispositionem sufficientem ad ignem, qui inducitur à cælo, sole, aut aliquâ ex causis universalibus, vel etiam ab igne in ferri poris latente.

XI. Quoad lucem, dico illam ab igne externo primò productam, ab igne in poris latente ad tempus conservari. Addo lucem non ita subitò semper deficere, quin amoto luminoso in quibusdam subjectis ad tempus aliquod permaneat: quod in candelâ bene accensâ, & subitò in tenebris extinctâ experiri quivis potest, licèt enim pars lychni ignita, priùs abscindatur, in superiore tamen parte candelæ, ubi sevum est liquefactum, videbit quis extinctâ candelâ tamdiu adhuc manere aliquid lucis, dum semel salutatio Angelica recitari potest. Quod in lapide Bononiensi clariùs constat, qui lucem diutiùs, & majori copiâ retinet. Cùm ergo materia ferri sit tenacior, diutiùs manere in eâ lux poterit, præsertim cùm, ut dixi, ignis lateat in poris, qui ad illius conservationem possit concurrere. *Unde lux in ferro candente.*

XII. *In eâdem parte materiæ non possunt esse duæ formæ subordinatæ.*

Dico secundò: In eâdem parte materiæ esse simul nequeunt duæ formæ subordinatæ. Probatur, nam forma subordinata, cùm essentialiter sit prærequisita ad aliam, esset dispositio ad illam, & consequenter accidens, cur enim alioqui non diceremus quantitatem de facto esse formam substantialem subordinatam alijs formis substantialibus? Deinde, quia nullæ sunt actiones, quæ non possunt tribui unì formæ, nec enim debent esse operationes repugnantes, sic etenim non possent provenire à forma subordinatâ, quæ ut in informando, ita in operando debet alteri subservire, eique esse subordinata, & non repugnans. Præterea compositum illud non esset unum per se, sed per accidens, cùm formæ illæ non unirentur sibi invicem, sicque non facerent unum per se inter seipsas. Tandem, sicut secundùm adversarios anima viventis petit illas formas, quidni petere immediatè poterit varietatem dispositionum quæ formas illas consequitur?

XIII. *Implicant duæ formæ substantiales subordinatæ.*

Quartò & præcipuè, quia forma, juxta Aristotelem, est *ratio vel seu ultimo determinans materiam ad talem speciem, & ultimò constitutiva compositi substantialis, in quam tanquam in ultimum refunditur, quòd compositum sit hoc specie potiùs quam aliud*: ergo implicat hujusmodi forma subordinata. Patet consequentia, nam forma subordinata non ultimò determinaret materiam, nec constitueret ultimò compositum, cùm sit essentialiter quid solùm prærequisitum, & consequenter essentialiter petat non esse ultimum, sed aliud adhuc ulteriùs determinativum sequi; ergo non est forma, ut constat.

XIV. *Duæ formæ substantiales subordinatæ non possunt dari, nec divinitus.*

Dices, hinc sequi, nec per divinam potentiam posse dari plures formas subordinatas. Resp. concedendo sequelam, sicut enim in lineâ, pars illa vel punctum non est ultimum post quod sequitur aliud (imò nec per divinam potentiam potest esse ultimum, si aliud sequatur, sic enim esset ultimum, & non esset) ita in præsenti cùm juxta Aristotelem forma debeat esse ultimum determinativum materiæ ad hanc speciem completam, & ultimum constitutivum compositi, non potest dari forma alteri formæ subordinata, ipso enim facto non esset ultimum constitutivum compositi, & consequenter nec forma, sed solum dispositio. Vel si quis contendat esse formam quia informaret materiam, & constitueret compositum, tunc dico, si hoc supponatur, sequi esse & non esse formam.

XV. *Duæ tamen formæ non subordinatæ possunt divinitus esse in eadem parte materiæ.*

Dices secundò; ergo nec duæ formæ substantiales non subordinatæ poterunt per divinam potentiam inesse eidem parti materiæ, neutra enim esset ultimò determinativa materiæ, & consequenter nec esset forma. Resp. negando sequelam, utraque enim æquè ultimò determinaret materiam ad diversum speciem completam, & ad diversum compositum, saltem inadæquatè distinctum: sicut hoc sensu ducunt multi dari posse etiam duo puncta terminativa inter se penetrata, quæ erunt positivè ultima respectu partium, negativè respectu sui, id est, neutrum est altero ulterius, utrumque autem est ulterius respectu omnium partium, quod tamen longè facilius est in nostro casu, cùm duæ illæ formæ non sint ultimæ rationes respectu ejusdem compositi, ut pun-

cta illa terminativa sunt respectu ejusdem continui, sed respectu compositi diversi. Si ergo in eadem materiâ esset forma ligni & lapidis, utraque ultimò in suâ specie & composito determinaret, hæc ultimò ad compositum lapidis, illa ultimò ad compositum ligni. Hîc ergo nulla est subordinatio, nec quidquam repugnans rationi ultimi, seu formæ. Nec videtur cur magis repugnet duas formas substantiales esse simul in eâdem materiâ, quàm duo contraria, calorem scilicet & frigus in summo, in eodem subjecto, quod tamen fieri non repugnat, imò de facto putant aliqui ita contingere in inferno.

XVI. *Si duæ formæ essent in eâdem parte materiæ, neutra faceret unum per accidens.*

Dices; saltem ex alio capite repugnare duas formas simul divinitùs informare eandem materiam, quia scilicet altera necessariò faceret unum per accidens cum materiâ, nam si priùs informetur materia aliâ formâ: jam est ens completum, seu in actu completo, *ex uno* autem *ente completo & alio incompleto non fit unum per se*, sed per accidens. Resp. distinguendo hoc ultimum, ex uno ente completo reduplicativè, sumpto & alio incompleto non fit unum per se, concedo; specificativè sumpto, nego: forma autem ligni non advenit materiæ illi ut completæ, seu toti composito, ita nimirum ut informet utramque partem, sed materiam secundùm se, & entitativè est adhuc quid incompletum quoad intrinseca seu & essentialia prædicata, secundùm hæc autem sola respicitur à formâ substantiali ligni, quæ materiam solam respicit & informat, sicque per accidens se habet ad hanc informationem formæ ligni, quod simul vel priùs informetur à formâ lapidis. Si autem essentialiter peteret forma ligni ut præcederet in materiâ forma lapidis, & adveniret materiæ completæ substantialiter, jam non faceret unum per se cùm illâ, nec esset forma substantialis, cùm essentialiter peteret advenire composito jam constituto, nec enim potest ex naturâ suâ ordinari ad complendum aliud, si supponat illud completum, sic namque includeret pugnantia.

XVII. *Positu formæ ligni & lapidis in materiâ, falsum esset dicere* lignum est lapis.

Non tamen in eo casu liceret dicere, *lignum est lapis*, sicut dicimus, *album est dulce*, quia in hac secundâ propositione rectum est idem in prædicato & subjecto, quod ad veritatem in omni propositione requiritur: in prædicationibus autem accidentalibus rectum est solum subjectum, unde, ut in logicâ notavi, licèt homo quispiam calleat plures artes, non tamen dicendum est esse plures artifices, sed unus artifex, & paries est idem visum & cognitum licèt plures simul illum videant & cognoscant: At in nostro casu, id quod affertur in recto, non est idem adæquatè in prædicato & subjecto, in compositis enim substantialibus utrumque importatur in recto, nempe & materia & forma; hîc autem materia in illis compositis est diversa, ac proinde rectum prædicati non est idem adæquatè cum recto subjecti. Si tamen lignum hoc & lapis subsisterent eâdem subsistentiâ, cum veritate dici tunc posset, lapis est lignum, & è contrà.

XVIII. *In vivente non datur forma corporeitatis.*

Dico tertiò: non datur in materiâ simul cum formâ viventis forma aliqua corporeitatis, aut partiales illæ ossis, carnis, &c. quas auctores supra citati requirebant. Ita S. Thomas 2. cont. Gent. c. 64. n. 3. Suar. 3. 13. Met. s. 3. n. 13. & d. 15, s. 10. Hurtado d. 4. Phys. s. 3. Arriaga d. 2. Phys. s. 6. per totam. Oviedo cont. 3. p. 2. & alij. Probatur primò, nullus enim est in naturâ finis cur statuantur forma illa corporeitatis, non enim ob dispositiones prærequisitas, ut scilicet sit earum causa, hæ namque diversæ ponuntur ad diversitatem animarum, quæ illas juxta suam quæque peculiarem naturam exigunt, sicut enim secundùm adversarios, ut dixi, possunt animæ exigere has formas quidni immediatè exigere poterunt diversas dispositiones? Sic anima rationalis diversam organizationem & dispositiones petit, quas non petit forma leonis aut equi, ob diversas scilicet functiones & operationes quas exercere debet una non altera.

XIX. *Alio titulo rejicitur forma corporeitatis.*

Secundò, ponit Scotus hanc formam corporeitatis ne, cùm petit forma viventis, sit materia sine omni formâ & perfectione sibi connaturaliter debitâ, sed idem inconveniens sequitur etiam si statuatur hæc forma corporeitatis, nam materia cum illâ sola vel est completa, vel non: si est, ergo stante illa non potest naturaliter aliam formam recipere; si non est completa, ergo sicut potest manere imcompleta sub illâ, ita & manere posset sine omni formâ: sicut enim existere sub hac formâ solâ potest secundùm ipsum, & non in actu completo, ita & sine hac formâ, cùm solùm sequatur non esse eam in actu completo, quod tamen sequitur in alio casu.

SECTIO IV.

Argumenta contendentia dari formas partiales.

I. *Organizatio consistit in accidentibus.*

OBjices primò; ante infusionem animæ, pro aliquo priori naturæ, est corpus organizatum, ergo habet materia in illo priori naturæ aliquam formam, per quam sit organizata, non aliam quam corporeitatis, ergo. Resp. corpus dici organizatum seu organicum ab accidentibus & diversitate dispositionum, quæ requiruntur ad inductionem animæ.

II. *Unde, & quomodo homo sit corporeus.*

Objicies secundò; homo est corporeus, sed non potest recipere hanc denominationem ab animâ rationali, utpote quæ est spiritualis, ergo à formâ aliqua corporeitatis distinctâ. Resp. hominem esse corporeum, posse habere duplicem sensum, nempe vel esse radicem quantitatis, & habere partes extra partes, seu non esse totum in toto & totum in qualibet parte, & hoc sensu homo est corporeus partim, partim spiritualis. Alio autem modo dicitur aliquid corporeum, ita scilicet, ut sit radix passionum, potentiarum & operationum corporearum, & hoc habere homo potest formaliter ab animâ, quæ ipso facto quòd naturâ suâ sit forma corporis, seu apta informare corpus, habet etiam ut sit apta, si conjungatur corpori, ut sit radix potentiarum & operationum corporearum, ac proinde virtualiter corporea, cùm quoad hoc conveniat cum alijs formis naturalibus viventium.

III. *Anima rationalis non est formaliter corporea.*

Dices; ex eo quòd anima rationalis sit radix vegetandi, sequitur eam esse formaliter vegetativam & sensitivam, ergo ex eo quòd sit radix potentiarum & operationum corporearum, erit etiam formaliter corporea. Negatur consequentia, disparitas est, quia esse aliquid formaliter corporeum, non solùm dicit esse radicem potentiarum, & operationum corporearum, sed præterea includere saltem unam partem quæ petat habere partes extra partes. Dici tamen potest homo simpliciter corporeus, ex eo quòd altera illius pars sit corporea, licèt altera sit spiritualis: *malum* enim *ex quolibet defectu.*

IV. *Quæ sit forma carnis, ossis &c.*

Objicies tertiò; mortuo homine manent formæ ossis, carnis, sanguinis, &c. ergo sunt formæ partiales. Nego consequentiam: dici enim posset formas illas esse tantùm accidentales, & easdem in homine vivo & mortuo. Secundò dico, loco animæ succedere formam cadaveris.

V. *De formâ cadaveris.*

Objicies quartò; ergo pro diversâ temperie dispositionum in morbis, ex quibus homines moriuntur, diversa producetur forma cadaveris: sicque cadavera duorum hominum diversis morbis extin-

ctorum

ctorum erunt distincta specie. Conf. non apparet ex qua causâ producatur hæc forma cadaveris præsertim cùm vivens subitò extinguitur.

VI. *Diversa dispositiones ex morbis relictæ non arguunt esse diversam specie formam cadavericam.*

Contrà, eadem est forma carbonis (quæ est quasi forma quædam cadaverica ignis) sive carbo ignitus aquâ extinguatur, oleo, aut vino. Resp. itaque primò, non esse necessarium ut in ejusdem speciei viventibus admittamus diversam specie formam cadaveris ob diversas dispositiones ex morbis in materiâ productas: sicut enim eadem specie & numero anima potest ad multum temporis sub tam diversâ complexione dispositionum conservari, ut videmus in longâ subinde invaletudine, ita & per accidens poterit forma cadaveris ejusdem speciei primò produci sub diverso illo temperamento, cùm præcipuè ordinetur à naturâ ut animam subsequatur. Sicut & per accidens videmus ignem & aquam produci subinde sine dispositionibus omnino connaturaliter debitis.

VII. *Forma cadavericæ omnium animalium sunt ejusdem speciei.*

Secundò dico: non esse magnum inconveniens, si dicatur tot diversas specie formas cadaverum produci, quot sunt diversa temperamenta dispositionum, ad quas sequuntur. Probabilius tamen videtur omnes formas cadavericas in animalibus quibuscunque esse ejusdem speciei; operationes enim & effectus habent planè similes; videmus namque statim post mortem eodem modo rigescere corpus equi, leonis, hominis, & aliorum omnium animalium; putrescere item, & in vermes ac saniem converti: optimum autem signum colligendi diversitatem, vel identitatem formarum est ex effectibus. Ad confirmationem dico, posse produci formam illam à causâ aliquâ universali, ut cælo, sole, vel Deo, ad quas causas in similibus recurrendum, sicut cum producitur vermis, mus, vel rana ex putri.

VIII. *Gravitas major aut minor pendet à diverso temperamento.*

Objicies quintò: gravitas eadem manet in homine vivo & mortuo, & auctâ materiâ crescit, materiâ diminutâ decrescit, ergo aliud illius principium assignari debet præter animam, quæ eadem est in homine parvo & magno; nec manet omninò in mortuo. Resp. gravitatem mediatè tantùm provenire ab animâ in homine, immediatè autem à temperamento quodam seu accidentibus quæ eadem, recedente animâ, remanent, quæque corpore crescente crescunt, & cum ijs gravitas, vel formaliter, si in illis sita sit, vel radicaliter, si ab ijs oriatur.

IX. *Denominatio hominis non tribuitur nisi integro composito.*

Objicies sextò, sequitur manum vel pedem hominis esse hominem. Resp. quidquid sit an in quavis corporis parte sit intensivè tota hominis essentia, an requirat partes quasdam præcipuas, ut cor & cerebrum, denominatio tamen totius, seu hominis, tribui non solet uni alicui parti sigillatim sumptæ, sed integro composito, ut bene Arriaga d. 3. Phas. s. 6. n. 75. Unde arbor una non dicitur sylva, nec quævis pars folij folium. Hoc tamen argumentum in meis principijs non urget, qui in lib. de Anima, unionem inter animam & corpus in homine statuam heterogeneam. In quam etiam refundam tantam varietatem accidentium, quæ in diversis corporis partibus cernitur.

X. Objicies septimò; idem fuit Christus corpus mortuum & vivum, ergo forma aliqua corporeitatis manere in materiâ post mortem debuit, quæ in eâ fuit dum Christus viveret. Conf. ignis, aut aqua non dicuntur constare formâ & corpore, ergo corpus in animalibus aliud dicit, quàm materiam primam cum accidentibus.

XI. *Idem fuit Christi corpus vivum & mortuum sine forma corporeitatis.*

Ad argumentum Resp. negando consequentiam, corpus enim nihil aliud dicit quàm materiam cum tali figurâ ac sensibili organizatione accidentium, quæ, cùm eadem maneat in materiâ post mortem, idem fuit Christi corpus vivum ac mortuum. Ad Confir. dico, corpus, de quo hîc est sermo, non dicere quæcunque accidentia, sed particularem quandam eorum complexionem, ac varietatem, speciali modo dispositam.

XII. *Quo sensu corpus sit de essentia hominis.*

Objicies octavò; corpus est de essentiâ hominis, sed nullum accidens est de essentiâ hominis ergo accidens non est de essentiâ corporis. Resp. corpus specificativè, seu secundùm id quod in recto dicit, esse de essentiâ hominis, non tamen secundùm id quod dicit in obliquo, nempe accidentia. Unde si Deus (sicut per divinam suam virtutem potest) animam rationalem conservaret unitam corpori, sine ullâ omnino organizatione, aut accidentibus, esset homo quoad totum essentialem conceptum hominis. Imò si Deus conservaret materiam unitam formæ ignis, aut aquæ cum dispositionibus his formis contrarijs, adhuc essent ignis & aqua, ergo à fortiori, si formas illas conservaret unitas materiæ sine ullis dispositionibus.

XIII. *Quâ ratione dixit Aristo. partibus definitionis correspondere partes rei.*

Solùm hîc restat solvendum quod contendunt aliqui, qui tot volunt esse formas partiales in eâdem parte materiæ, quot sunt prædicata metaphysica & denominationes distinctæ, nempe unam formam correspondere animali, alteram rationali, tertiam corpori, substantiæ &c. ob illum locum Aristotelis, 7. Metaph. ubi ait, partibus definitionis correspondere partes rei. At sine fundamento hoc asseritur, solùm enim vult Aristoteles cùm rem aliquam definimus, conceptibus formalibus totidem correspondere ex parte objecti conceptus objectivos diversos, nec quidquam ibi vult aliud quàm præcisiones objectivas, seu formalitates ex parte objecti ratione distinctas, quas tenuisse Aristotelem ostendi in Logicâ d. 24. s. 2. n. 2. & 5. Si autem hæc ratiocinatio teneret, quot animas habere quisque deberet? una enim esset anima apprehensiva, alia judicativa, discursiva tertia, alia volitiva, vegetativa, sensitiva, alia visiva, alia auditiva, & sic de cæteris.

SECTIO V.

Quo concursu conservetur prior forma quando nova simul cum eâ in eadem materia constituitur.

I. *Status quæstionis.*

QUæstio est, utrùm si Deus in materiam informatam formâ ligni inducat, manente priore formâ, formam lapidis, debeat prior forma conservari fortiori influxu, concursu verbi causâ, ut quatuor, si concursus tantùm ut tria connaturaliter debeatur.

II. *Aliqui dicunt egere fortiori concursu, alij negant.*

Affirmant aliqui: alij tamen asserunt non esse opus concursu fortiore, sed posse formam ligni eâdem nunc actione conservari, qua potuisset, si Deus non introduxisset in eandem materiam formam lapidis. Quam communem Theologorum & Philosophorum esse sententiam affirmat Arriaga d. 3. Phys. s. 7. Nec de formis tantùm substantialibus intelligendum est, sed de accidentalibus etiam, quoties sibi naturaliter in eodem subjecto repugnant, ut de calore & frigore in summo, & similibus. Ego, quid hac in re sentiam dicam sequentibus conclusionibus.

III. *Quæstio supponit actionem distingui ab effectu.*

Notandum verò, quæstionem hanc in eâ solùm sententiâ disputari posse, quæ actionem realiter distinguit ab effectu, in sententiâ enim actionem à termino non distinguente, locum habere non potest, si enim effectus & influxus idem sint, manifestum est non solùm majorem aut minorem concursum, sed nec diversum æqualem ad eundem numero effectum dari posse.

IV. Notandum secundò, duplex esse genus actionum

supernaturalium, aliæ enim supernaturales sunt quoad substantiam, aliæ tantùm quoad modum, quas suprà d. 10. s. 3. n. 2. latè explicui, nec ibi dicta necesse est hîc repetere.

V. *Agens naturale fortiorem adhibet concursum, ut effectum conservet.* Dico primò: inter agentia naturalia, dum alterum agens conservare effectum vult, cujus alterum destructionem molitur, fortiore actione ad effectum concurrit, quod ni præstet, effectus destruetur. Sic dum unus alterum loco pellere nititur, hic ut locum & ubicationem priorem servet, firmius figit pedem. Sic dum gladium aut hastam alteri extorquere quis contendit, is fortiùs manum stringit, alioqui retinere hastam non poterit. Et hujusmodi aliquid indicare videntur antiperistases, quas in rebus, quæ contraria habent, inter qualitates activas non rarò contingere videmus.

VI. *Idem est de Deo naturaliter agente.* Dico secundò: idem de Deo naturaliter operante affirmandum censeo, in circumstantijs nimirum supradictis non posse eum effectum conservare, nisi fortiorem adhibeat concursum. Ex g. Deus Petrum in spatio A solus conservet, seu ubicationem illam solus producat, si Paulus eum loco pellere velit, nisi Deus ad ubicationem illam fortiori actione concurrat, non potest eam naturaliter conservare. Ratio est, quia Deus sub hac consideratione, rerum se naturalium exigentiæ accommodat, reliquas omnes juxta suam quamque naturam, producit, conservat, ac destruit, nec ut auctor naturæ, aliam sibi legem præscribit, quàm ut naturæ legem indemnem servet.

VII. *Deus supernaturaliter conservare formam illam potest eodem concursu.* Dico tertiò: Deus ut agens supernaturale efficere potest ut forma ligni præexistens in materiâ, inductâ formâ lapidis, vel calor in summo, inducto uno vel altero gradu frigoris, æqualis adhuc vel etjam eadem actione conservetur. Ita P. Arriaga citatus, qui rem hanc bene discutit.

VIII. Probatur conclusio, forma ligni est perfecta, ut suppono, ut quatuor, ergo concursum ad productionem & conservationem sui requirit solùm ut quatuor, sed ex eo quòd forma lapidis in eandem materiam inducatur, non augetur perfectio formæ ligni, ergo nec fortiorem concursum exigit.

IX. *Deus sine novo concursu potest impedire expulsionem formæ præcedentis. Conf. ex duplici actione totali possibile.* Dices; non quidem eo titulo requirere fortiorem concursum, quòd ex conjunctione cum formâ lapidis forma ligni reddatur perfectior, sed cùm formæ omnes substantiales sibi invicem sint quasi contrariæ, nova forma inducta semper petit destructionem præcedentis; unde nisi fortiori concursu conservetur, expelletur. Distinguo hoc ultimum, expelletur nisi Deus miraculosè illius expulsionem impediat, concedo; si Deus impediat; volendo scilicet priorem actionem adhuc persistere, nego. Conf. potest Deus juxta communiorem sententiam rem aliquam, equum, verbi causâ, qui in instante A conservabatur unâ actione, in instante B conservare simul aliâ actioni totali, cùm tamen duæ actiones totales non minùs inter se repugnent naturaliter, quam duæ formæ substantiales: hic autem manifestum est non posse priorem actionem conservari fortiore concursu, nam ipso facto quòd concursus sit fortior, non est eadem actio, sed diversa, ad actionem enim non datur actio.

X. *Differentia hac in re inter agentia naturalia, & Deum.* Dices; in primâ conclusione asseruisse nos agentia creata non posse efficere aliquem conservare, ubi aliud agens illius destructionem exigit, nisi fortiorem concursum & conatum adhibendo, ergo nec id poterit Deus. Nego consequentiam, agentia enim creata alium modum id præstandi non habent, quam conatum & concursum suum augendo, Deus autem ex pleno quodlibet res omnes habet, dominio, id merâ suâ voluntate præstare potest; & si quis causam cur id præstet, inquirat, *stet pro ratione voluntas:* hæc supremi dominij prærogativa est.

XI. *Quâ voluntate Deus priorem Formam conservet.* Urgebis; Deus per meram suam voluntatem internam hoc præstare nequit, seu in genere causæ quasi formalis, alioqui dicere quis posset, aërem esse humidum, aut parietem album per voluntatem Dei, ergo miraculosa hæc voluntas aliquid efficere, & ad extra de novo producere debet, quod producere nequit voluntas Dei naturalis; hoc ergo quid tandem sit, inquirimus. Resp. primò, si voluntas Dei libera, sit adæquatè intrinseca, sicque volitiones inter se virtualiter distinctæ, posse solam voluntatem Dei internam hoc præstare, non in genere causæ formalis, sed efficientis, sicut enim ad unam volitionem Divinam sequitur aqua, ad aliam ignis, & sic de reliquis, ita ad volitionem miraculosam sequi potest, conservatio illius formæ, cujus conservatio sequi non potest ad volitionem naturalem. Resp. secundò, licèt actio in hoc casu conservans formam, sit eadem, aliquid tamen à Deo peculiariter produci, nempe durationem illius formæ, quæ alioqui produci in his circumstantijs non potuisset, nisi Deus speciali quadam & miraculosâ voluntate producere eam statuisset.

XII. *Quando Deus adhibeat fortiorem concursum.* Deus ergo tunc solùm fortiorem adhibet concursum, cùm causæ alicujus creatæ defectum supplet, vocaturque actio hæc supernaturalis *quoad substantiam*: quando verò contra causarum secundarum exigentiam actionem solùm aliquam conservet, concurrere supernaturaliter dicitur tantùm *quoad modum*, quod scilicet rem eandem in indebitis circumstantijs producat aut conservet. Nec quidquam contra hoc objici video, quod magnopere responsione indigeat.

SECTIO VI.

Alia nonnulla circa duas formas substantiales simul in eadem materia existentes.

I. *Quando duæ formæ sunt simul in materiâ, quarum existit miraculosè.* QUæres quando formâ aliquâ, ignis v. g. in materiâ existente, Deus aliam simul introducit, videlicet aquæ, quæres, inquam, quænam ex his formis in materia miraculosè existat quoad modum? & num altera tantùm, an utraque? Quod de formis substantialibus dico, idem de accidentialibus, calore scilicet & frigore, in gradibus repugnantibus, idem de duabus actionibus totalibus, de duobus corporibus inter se penetratis, &, ut verbo dicam, de omnibus quæ sibi hoc modo opponuntur, est affirmandum.

II. *Potentia materiæ duplex, passiva, & sustentativa.* Notandum, potentiam materiæ ad formas materiales esse duplicem: prima est merè passiva, quo modo respicit & recipit animam rationalem, & formas materiales tum substantiales tum accidentales reciperet, si crearentur. Secunda materiæ potentia est sustentativa, per quam in genere causæ materialis, unà cum efficiente in formas materiales influit, & eas physicè producit. De utràque hac potentiâ procedit quæstio.

III. *Utraque forma simul existens, supernaturaliter quoad modum.* Dico primò: quando forma aquæ & forma ignis simul existunt in eâdem materiâ, utraque supernaturaliter existit quoad modum. Ratio est, quia utraque æqualiter sibi quoad subjectum illud repugnat, & tam forma ignis quamdiu est in illo subjecto, petit ut ibi non sit forma aquæ, quàm hæc petit ut ibi non sit forma ignis. Conf. primò, repugnantia hæc nihil aliud est, quàm ipsa harum formarum entitas cum unione: Deus ergo, licèt efficiat, ut, stante priore formâ, nova inducatur, cùm tamen nihil de hujus vel illius formæ entitate demat, nihil etiam demit de earum inter se antipathiâ, & repugnantiâ.

Conf.

Conf. secundò, quando in materiam informatam formâ aquæ inducitur forma ignis, sicut forma aquæ miraculosè conservatur, ita forma ignis miraculosè inducitur, alioqui si Deus statuisset per horam vel diem in materiâ aliquâ miraculosè conservare formam aquæ aut ligni, posset ignis ligno illi applicatus, intra diem illum vel horam formam ignis naturaliter in illud inducere, quod, opinor, nèmo dicet: sicut certum est, si Deus statuisset Petrum immotum certo loco miraculosè figere & conservare, non posse Paulum, aut aliud corpus cum eo naturaliter penetrari.

IV. *Materia etiam neutram ex illis formis sustentat naturaliter.* Dico secundò: materia in eo casu nec unam formam, nec alteram in genere causæ materialis sustentat naturaliter quoad modum. Ratio est clara, pari enim semper passu procedunt media & finis, sicut ergo ubi finis est simpliciter impossibilis, media implicant simpliciter, ita ubi finis est impossibilis, vel supernaturalis quoad modum, media nulla sunt in naturâ quæ eum sine concursu aliquo, saltem quoad modum supernaturali efficiant. Cùm ergo, si Deus formam aliquam in subjecto per certum tempus conservare statuisset, nulla causa efficiens possit aliam ullam formam substantialem in materiam illam intra illud tempus naturaliter inducere, ita nec præstare illud poterit causa materialis.

V. *Ob novum impedimentum materia jam non potest naturaliter conservare priorem formam.* Dices; in instante immediatè præcedente inductionem formæ aquæ habebat materia virtutem ad influendum materialiter in formam ignis, actione etiam quoad modum naturali, sed per introductionem formæ aquæ nihil de illius virtute diminuitur, ergo etiamnum poterit eam sustentare, & naturaliter eodem modo influere, quo anteà. Resp. distinguendo minorem, nihil de illius virtute minuitur, aliquid ab eo physicè tollendo, concedo minorem; nihil de illius virtute minuitur ponendo impedimentum, nego: ipso facto enim quòd forma alia illic ponatur, destrui naturaliter debet forma prior; si autem forma quæ est finis & terminus actionis seu influxûs materiæ permanere nequit in materia naturaliter, influxus ipse seu actio, quæ est via ad terminum, non potest naturaliter persistere, cùm à termino dependeat.

VI. *Materia nunquam habebat vim sustentandi illam formam in præsent à alterius.* Secundò resp. distinguendo majorem, in instante illo habebat materia virtutem influendi in formam ignis pro tempore quo non informatur aliâ formâ, concedo majorem: pro tempore quo alia forma existeret in materiâ, nego. Unde inductâ aliâ formâ, nihil virtus materiæ imminuitur, numquam enim habuit virtutem sustentandi, seu materialiter influendi in formam aquæ pro eo instante quo induceretur forma ignis.

VII. *Gratia & peccatum stare simul nequeunt divinitus.* Hinc infero, esto gratia & peccatum inter se non pugnent essentialiter, seu quasi contradictoriè, sed tantùm contrariè, sicut calor & frigus in summo (quod alterius est loci) non tamen posse Deum peccatum simul cum gratiâ in eâdem animâ conservare: licèt enim ad peccatum in iis circumstantiis conservandum non sit opus fortiore concursu; necessarius tamen est concursus indebitus & miraculosus quoad modum, Deus autem peculiari ejusmodi concursu ad peccatum concurrere non potest: non minùs enim hoc Deum dedecet, quàm, si fortiore ad ejus conservationem actione influeret, cùm effectus sit idem, nempe peccatum contra naturalem ejus, aliarumque rerum exigentiam in animâ conservatum.

SECTIO VII.

Reliqua ad formæ substantialis notitiam spectantibus.

I. *Omnes formæ præter animam rationalem educuntur è potentiâ materiæ.* QUæres, num omnes formæ educantur ex potentiâ materiæ, an aliquæ creentur? Ad quod dico, omnes formas, præter animam rationalem, verè generari, & educi ex potentiâ materiæ. Ratio est primò, quia alioqui permanere separatæ possent à materiâ, sicut anima rationalis, quæ enim in productione non pendent à materiâ, sed creantur, nec ab eâ pendent in conservatione, sicque animæ brutorum erunt immortales, cùm ideò rectè inferatur animam rationalem esse immortalem, quia est independens à materiâ tanquam à subjecto. Secundò probatur, nam formæ materiales nullam habent actionem à materiâ seu subjecto independentem, sicut habet anima rationalis, quæ licèt pro hoc statu, in actibus, etiam intellectûs, pendeat à sensibus, saltem quoad operandi modum, separata tamen habet aliquas operationes omnino independentes à materiâ, forma autem materialis nullas, sed omnes ab eâ dependentes, ergo & formæ ipsæ dependent à materiâ, cùm modus operandi sequatur modum essendi

II. *Idem asserendum de formis cælorum.* Difficultas est de formis cælorum, sed cùm sint materiales, non est cur non etiam dicamus eas educi è potentiâ materiæ cæli, quidni enim æquè contineantur in potentiâ materiæ cælestis, atque formæ sublunares in materiæ sublunaris? ergo & connaturaliter educi petunt ex illius potentiâ.

III. *Nec obstat, quòd cælum dicatur creari.* Dices cum P. Suar. (qui d. 15. Met. s. 2. n. 17. est in oppositâ sententiâ) cælum in Scripturâ, dici creari, ergo hoc verificari debet de toto: formæ etiam cælestes dicuntur passim concreari. Contrà, nam & terra dicitur in Scripturâ creari, & Deus creasse dicitur cete grandia, item creasse animam viventem, quam produxerant aquæ, & tamen aquæ non crearunt. Lato igitur solùm modo illic dicitur cælum creari, eo scilicet sensu, quo quidquid est extra Deum, dicitur esse creatura, & creari idem ibi sonat, ac produci; formæ autem cæli ideò dicuntur concreari, quia simul cum materiâ creatâ producuntur.

IV. *Ad generationem non requiritur ut subjectum præcedat formam tempore.* Dices secundò; non præcessit illas formas materia, ergo non possunt pendere ab illâ tanquam à priori. Distinguo consequens, non possunt pendere ab illâ tanquam à priori duratione, concedo; naturâ, nego. Sic enim sol primo instante quo fuit, produxit lucem, & Angelus actum intellectûs, & tamen nec intellectionem hic creavit, nec ille lucem. Si autem quis propterèa dicat fuisse creatum totum seu utramque partem, quòd simul cum materiâ sit producta, & infusa forma, licèt verè educatur seu generetur, quæstio erit de nomine, quod enim nos vocamus generationem quia educitur forma ex potentiâ materiæ, vocat ipse creationem, quia licèt verè sit eductio, adhuc non præcessit materia tempore. Non enim obstat creationi quòd forma producatur in materiâ, nam anima rationalis semper producitur in corpore, & illi unitur. Solùm ergo obstat creationi, quòd forma educatur ex potentiâ materiæ, seu producatur cum dependentiâ ab illâ, tanquam à subjecto in eam influente.

V. *Formæ quoad nihil sui præexiterunt in materia.* Unde ulteriùs infero, falsam esse illam quorundam opinionem; quo omnes formas dicebant secundùm aliquid sui, quoad inchoationem scilicet quandam, seu particulas aut portiunculas sui, ut vocant, in materiâ præextitisse, nam alioqui, inquiunt, creantur

rentur, cùm fierent ex nihilo sui. Sed contrà est primò, nam pars illa formæ, quam inchoationem appellant, particulam, & portiunculam, distinguitur ab aliâ parte quæ jam producitur, ergo non minùs creabitur pars hæc quæ modò producitur, cùm non præexiterit in materiâ secundùm aliquid sui. Vel saltem dici debet formam illam generari partim, partim creari, cùm inchoatio illa istius formæ, seu particula, aut portiuncula præcedens unà creetur cum materiâ, reliquæ verò partes educantur. Deinde sicut hæ particulæ possunt educi ex potentiâ materiæ, licèt nihil illarum præcesserit in eâdem, ita & aliæ partes educi poterunt ex eâdem materiâ, licèt secundùm nihil sui in eâ præexistant.

VI. *Si forma præexistant in materiâ, sunt infinitæ simul in quavis parte materiæ.*

Tandem hinc sequeretur, infinitas formas esse actu in eâdem parte materiæ, imò & eandem numero formam esse actu in omnibus partibus materiæ, quantumcunque loco dissitis, cùm nulla sit pars materiæ, ex quâ educi non possit quælibet forma. Quod idem etiam est de omnibus accidentibus, quæ non creantur. Præterea materia esset in multis speciebus completis antequam producatur forma, & sola materia esset integrum compositum. Sufficit ergo ut generetur seu educatur forma, non creetur, quod materia tanquam subjectum concurrat ad illius productionem, in genere causæ materialis. Et hoc modo intelligendum illud, quo nihil frequentius apud antiquos, *ex nihilo nihil fit*, volunt nimirum, naturaliter fieri nihil posse sine concursu alicujus subjecti, non tamen requiritur ut aliquid illius formaliter præexistat, vel in subjecto, vel extra illud, sic enim nec materia, nec anima rationalis, nec Angelus crearetur.

VII. *Compositum est perfectius solâ Formâ*

Compositum est perfectius solâ formâ, cùm superaddat materiam, & unionem. Licèt autem Deus & creatura non faciant quid perfectiùs intensivè, quàm Deus solus, non tamen sequitur, materiam & formam non esse quid simpliciter perfectius solâ formâ: ideò enim Deus & creatura non faciunt aliquid intensivè & simpliciter perfectius solo Deo, quia Deus eminentissimo modo continet perfectiones creaturarum, seclusis imperfectionibus; forma autem sola non continet perfectionem materiæ: unde ex formâ & materiâ fit aliquid simpliciter perfectius quàm sit sola forma. Potest etiam forma materialis conservari divinitùs extra materiam, vel in materiâ, ita ut materia ad illam non concurrat per influxum materialem, supplente scilicet Deo in genere causæ efficientis concursum subjecti, sed forma illa in hoc casu crearetur, sicque eodem concursu non potest conservari ac quando educitur ex potentiâ materiæ.

Potest forma materialis conservari divinitus extra materiam.

VIII. De Privatione, tertio corporis naturalis principio dictum est in Logicâ, totâ d. 18. ubi Negationum & Privationum naturam latè discussi.

DISPVTATIO XII.

Denturne Formæ accidentales.

SECTIO PRIMA.

Recentioris cujusdam de Accidentibus opinio.

I. *Ren. Des Cartes in Medit. Responsione 4. pag. 285.*

DUm in Physicis hisce disputationibus versarer, in libellos quosdam incidi; ubi quædam tam mira, tamque à verâ Philosophiâ aliena animadverti, ut mihi auctor visus sit novitatis studiosior fuisse, quàm veritatis. Illud verò imprimis displicuit, quod accidentia omnia Physica, & realia ex universo tollere niteretur, quod in homine præsertim Catholico (talem enim se hic auctor ubique profitetur) audax mihi visum facinus, utpote cum principiis fidei apertè pugnans, cujus proinde confutationem hac disputatione suscepi.

II. Unum verò accidit incommodè, quòd is, quicum præsens mihi hîc disceptatio, scholastico more non scribat, nec eâ claritate, ac methodo, quâ in academiis tradi Philosophia solet: unde fit, ut in quibusdam difficile sit mentem ejus eruere, & quid tandem velit, certò pronuntiare.

III. *Modus scribendi hujus auctoris.*

Accedit, quod non satis constanter sua proferat: frequenter enim ubi pronuntiatum aliquod posuit, idipsum posteà, sibi veluti, suæque doctrinæ diffidens, paulatim revocat, quodque totum simul asseruit, totum quasi per partes negat, non apertè, sed aliis & aliis illud verborum involucris obtegens, ut lectori tenebras veluti offundat, sibique latebras reservet, quò confugiat, si quis insequatur: ita nimirum, ut & affirmare possit se illud asseruisse, si scitum suum aliis placere intelligat, vel negare, si viderit displicere.

IV. Sed ut ad rem accedamus, cùm in scripto quodam accidentia realia negasse videretur, vir quidam doctus & pius amicè ipsum monuit, videret quo pacto hæc doctrina cum Ecclesiæ circa species Sacramentales definitionibus consisteret. Respondet *se objectionem hanc perfacilè eludere posse, dicendo se accidentia realia numquam negasse.* En latebras: ita enim scripserat, ut vir ille, aliique, qui librum ejus perlegerant, negasse eum accidentia, absque ullâ dubitatione judicarent, ita tamen id callidè præstiterat, nunc scilicet asserendo, nunc negando, ut si quis ipsi hoc (quod verebatur) objiceret, in promptu haberet, quò confugeret, negaret nimirum *realia se unquam accidentia rejeciisse.*

V. *Scriptum secundum editum Amstelodami 1642.*

In secundo tamen hoc ejus libello Amstelodami anno 1642. edito, qui occasione admonitionis illius ex parte prodiit (ubi directè objectioni circa species Eucharisticas

charisticas factæ satisfacere conatur, in *respons.* 4. Tit. *Ad ea quæ Theologos morari possunt, § supereſt Sacramentum Euchariſtiæ* (pag. 284.) *liberalius* acturum se promittit, sicq; hæc tandem profatur.

Primò.

Mira propositiones Cartesij. In Sacramento Euchariſtiæ nulla esse accidentia realia, qualia nimirum in compositis physicis ponunt communiter Philosophi, inhærentia scilicet intrinsecè subjectis; & ab iis naturaliter dependentia. Hic totius hujus ab eo scripti tractatus scopus est. Idemque, ut ait, sperat clarè se in philosophia demonstraturum.

Secundò,

Opinionem astruentem hujusmodi accidentia non convenire cum rationibus Theologicis.

Tertiò,

Sperare se, ait, *sententiam illam rejiciendam, ut à ratione alienam, & incomprehensibilem.*

Quartò,

Explodendam ut parum tutam in Fide.

Quintò,

Ait, *non esse opus miraculo, ut accidentia panis, post sublatam panis substantiam in Euchariſtiâ conserventur.*

Sextò,

Species panis, quam post panis consecrationem manere docet Ecclesia, nihil aliud est, ait, *præter superficiem, quæ media est inter singulas panis particulas, & corpora ipsas ambientia.*

Septimò,

Esse corpus Christi sub speciebus, nihil esse aliud affirmat, *quam quod superficies hæc panis* (quam manere docet sine miraculo, destructa panis substantia) *illud ambiat, & intra se complectatur*: ad eum, ut videtur modum, quo aqua continetur in spongia.

Octavò,

Acerbè invehitur, & impios esse insinuat eos, qui auctoritate Ecclesiæ utuntur ad probandum panis, & vini species esse accidentia: *Impij certè* (inquit) *hâc in parte, quod auctoritate Ecclesiæ uti velint ad evertendam veritatem.*

Nonò,

Ausim sperare (inquit) *venturum tempus aliquando, quo illa opinio, quæ ponit accidentia realia, à Theologis explodetur, & mea in ejus locum, ut certa & indubitata recipietur.*

VI. Hæc ille, ut ait *liberaliter*, quæ tamen aliis *libere* magis quàm *liberaliter* ab eo dicta videbuntur. Alia id genus ibidem plura tradit, quæ brevitatis causa omitto. Mirabuntur, non dubito, docti omnes, & in Conciliis, Patribus, rebusque Theologicis versati (quas hic auctor ne primis quidem labiis videtur attigisse) mirabuntur, inquam, potuisse hujusmodi assertiones è calamo viri catholici profluxisse. Quos autem ipse tam gravi censura incautus notaverit, & impietatis insimulaverit, constabit ex sect. sequente.

SECTIO II.

Auctoritate Theologorum probatur species panis & vini, quæ in sacrosanctâ Euchariſtiâ remanent, esse accidentia realia.

I. *Ad quidvis probandum magni momenti est doctorum consensio.* MAgni ad quidvis probandum apud nationes omnes semper fuit doctorum consensio, eique divini quasi aliquid inesse judicatum, in quod plurimi conspirabant. Non parum itaque ad id, de quo agimus, momenti feret, si ostendero Theologos, id est viros in omni doctrinæ genere, rerumque sacrarum usu & tractatione expertos, veritatem hanc (species scilicet panis & vini in Euchariſtiâ manentes, vera esse accidentia) unanimi consensu tradidisse. Quod hîc demonstraturum me suscipio.

II. *Quid intelligatur per accidentia realia.* Per accidentia autem realia cum Philosophis omnibus, & Theologis intelligo entia quædam incompleta, extra primarium rei conceptum constituta, eique inhærentia, ita ut sine subjecto à quo sustententur, existere naturaliter non possint. Si autem de speciebus Euchariſticis ostendero vera eas esse ac propria accidentia, eadem opera id de aliis omnibus aliorum compositorum accidentibus ostenditur; primæ enim qualitates in pane & vino repertæ, ejusdem planè rationis sunt cum primis aliarum rerum qualitatibus. Quod idem est de quantitate, & reliquis omnibus eorum accidentibus.

III. *Accidentia realia in Euchariſtia manere docet S. Anselmus.* Hanc itaque inprimis veritatem clarissimè tradit S. Anselmus Cantuariensis in Anglia Episcopus, in libro de corpore Domini, ubi sic habet: *Contra omnem sacularis Philosophiæ rationem & intellectum, mutata panis substantia in aliam substantiam, ad quoddam mystery obsequium, quædam accidentia, quæ illi inhærebant, sic transtulit non mutata, ut Corpus Domini, licèt adsit albedo, non faciat album, nec rotunditas rotundum.* En quomodo S. hic Doctor accidentia realia statuat in Euchariſtia, illa nimirum quæ substantiæ panis antè Transubstantiationem inhærebant, seu ab ea dependebant tanquam à subjecto.

IV. *Idem apertè cum sua schola docet Doctor Angelicus.* Idem docet S. Thom. Theologorum Princeps, 3. p. q. 77. a. 1. corp. in hæc verba: *Respondeo dicendum quod accidentia panis & vini (quæ sensu deprehenduntur in hoc Sacramento remanere post consecrationem) non sunt sicut in subjecto in substantia panis & vini, quæ non manent &c. nec sunt in substantia Corporis Christi &c. Et ideo relinquitur, quòd accidentia in hoc Sacramento manent sine subjecto. Quod quidem virtute divina fieri potest.* Hæc ille. Quibus Angelici Doctoris verbis duæ ex tuis propositionibus funditùs evertuntur: prima, quâ asseris nulla accidentia realia existere in Ven. Sacramento: & sexta, nempè non esse opus miraculo ad conservanda accidentia post sublatam substantiam.

V. Alia his similia ubique fermè docet S. Thomas, cum tamen solum locum adferam, qui habetur in Homil. de hoc Sacramento, ubi inter alia sic scribit: *Accidentia etiam sine subjecto in eodem existunt, ut fides locum habeat, dum invisibile visibiliter sumitur, sub aliena specie occultatum, ut sensus à deceptione immunes reddantur, qui de accidentibus judicant sibi notis.* Quid clarius? S. Thomam sequitur Cajet. q. illa 77. a. 1. & omnes S. Thomæ discipuli.

IV. Inter reliquos verò hac de re sic loquitur Sotus in 4. d. 10. q. 2. a. 1. *Accidentia*, ait, *panis & vini relinquuntur in hoc Sacramento sine subjecto.* Deinde subdit: *Hanc conclusionẽ, quippe cum catholica sit, nefaria esset*

esset hæresis negare, primò ob universam sanctorum auctoritatem: 2. quia in propria forma contraria hæresis in Concil.Constantiensi sess.8. condemnata fuit contra Joannem VViclef, decretumq; est manere accidentia sine subjecto. Et statim addit: *Hæretici quando illis libet totâ Philosophiâ pessundant, sed quando ejus indigent suffragio, Aristotelē Ecclesia præfert, &c.* hæc ille.

Pulcherrimum dictum Scoti

VII. *Alexan. Halensis.* Idem tradit Alexander Halensis vir doctissimus, & Sanctorum Bonaventuræ & Thomæ Aquinatis præceptor, in 4.enim q.40.memb.2.a.2. sic scribit: *Respondeo quod in hoc sacramento mirabili sunt accidentia, sive species panis & vini sine subjecto.*

VIII. *Doctor Seraphicus.* Eadem est mens D.Bonaventuræ in 4.d.12.p.1.a. unq.3.ad 1. *Attamen*, inquit, *sicut miraculum est quod accidentia sint sine subjecto, ita miraculosum est quod operentur per se, &c.*

IX. *Idem clarè tradit Doctor subtilis, cum suis.* In eadem sententia est Scotus, tum alibi, tum in 4.d.12.q.1.n.2. *Accidentia*, ait, *panis manent: patet ad sensum. & nō afficiunt Corpus Christi &c. nec afficiunt substantiam panis, quia illa non manet, ergo sunt sine subjecto.* Scotum sequitur Faber in 4.d.10.q.1.disp. 36.c.4 & alij Scoti discipuli. En quo pacto hæ duæ nobiles scholæ in plerisque aliis laudabiliter discordes, hac tamen in re, utpote ad fidem spectante, ita conveniunt, ut ne ad unum quidem apicem dissentiant.

X. *Tho.VValdensis.* Eandem veritatem tradit Tho.Waldensis insignis illorum temporum Theologus, to.1.n.2.c.43. his verbis: *Enimvero sagacissimè præviait illa una per omnes Papas illos Ecclesia tres istas veritates esse connexas*, nempè, *esse ibi corpus Christi secundum propriam substantiam: panis prioris absentiam: & ejus accidentium sine subjecto remanentiam.*

XI. *D. Ruardus Tapperus.* Idem habet D. Ruardus Tapperus, florentissimæ Acadamiæ Lovanienſis Cancellarius, in sua explicatione articulorum venerandæ Facultatis S. Theologiæ generalij studij Lovanienſis, circa dogmata Ecclesiastica, to.2.a.14 p.220. ubi ait, *Accidentia in hoc sacramento manere negari non potest, &c. quia autem ostendimus panis vinique substantiam non manere, necessarium est accidentia ipsa manere sine subjecto.*

XII. *Cardinalis Peronius.* Eandem veritatem apertè tradit Cardinalis Peronius Galliæ lumen, in libro Gallicè scripto l.3. de Eucharistiæ sacramento c.26.p.944.

XIII. *Cardinalis Alanus.* Clarissimè idem docet Cardinalis Alanus, de Euchar.Sacram.q.1.cap.37.initio, ubi loquens de speciebus sacramentalibus, sic scribit: *Deinde vero de existentia istorū accidentium, sublatis subjectis, id habet Catholica fides, in Concil.Constantiensi sess.8.contra VViclefum tradita, ea nimirū manere sine subjecto omni, &c.* & paulò pòst asserit, *supra naturæ ordinem ibidē persistere.* Hic Ecclesiæ auctoritate utitur ad probandum species Sacramentales esse accidentia realia, seu, ut tu loqueris, *ad evertendā veritatem*, illam nimirum veritatēquam tibi fingis, sed est aperta falsitas, nempè species Eucharisticas non esse accidentia, ac proindè impij nomen apud te meretur.

XIV. *Cardinalis Bellarm.* Idem tradit Cardinalis Bellarm.to.3.l.3.c.24. §. *Ad tertiam*, his verbis: *sicut substantia nullo modo potest inhærere, ita accidens nullo modo potest subsistere per se: nam in sacramento licèt non sint accidentia in subjecto, tamen non per se subsistunt more substantiæ, sed à Deo sustentantur modo supernaturali.*

XV. *Cardinalis de Lugo.* Subscribit his Ioannes Cardinalis de Lugo, ob singularem pietatem ac prudentiam, & eximiam in rebus Theologicis peritiam in purpuratorum Patrum collegium ab annis aliquot adscriptus. Hic ergo de Euchar.d.10.s.1.n.1. *Certum*, ait, *de fide est* (in Eucharistia) *manere aliqua accidentia, ut habetur in Concilio Florentino, Lateranensi, Tridentino, & Constantiensi, &c. Certum item est manere sine subjecto, ut habetur in sess.8.Concilij Lateranensis*, &c. Et paulò pòst sic scribit, *De accidentibus verò realibus non est dubium quin maneant omnia illa, quæ sensibus percipi possunt.* En quomodo vir hic doctissimus, & in rebus Theologicis, si quis alius maximè versatus pronuntiet esse de fide in sanctissimo Sacramento manere aliqua accidentia: hic ergo censuram tuam incurrit, & inter impios annumerari debet, te judice. Si, qui fidei dogmata propugnat, impius est, quid illi qui eadem pro viribus impugnant?

XVI. *Doctor Philippus Gammachæus.* Accedit vir eruditissimus D.Philippus Gammachæus, Regius in Sorbona Professor, qui variis locis apertè tradit species panis & vini post Transubstantiationem in Sacrosancta Eucharistia remanentes esse accidentia, ut 3.p.q.74.c.1.circa initium, & q.77.c.1.per totum: cap.verò 2.initio, postquam ex Conciliis probavit species panis & vini post verba consecrationis relictas non existere in eodem subjecto, *species illæ*, ait, *nihil aliud sunt, quàm accidentia.* Quid de tua assertione fiet hoc judice?

XVII. Deinde paulò pòst, *accidentia panis & vini* ita post verborum prolationem manere asserit, *ut sine omni omninò subjecto maneant*, ait que, *hunc esse sensum omnium Catholicorum*, & ad hoc probandum utitur auctoritate Ecclesiæ. Hic sine dubio, te censore, inter impios habebitur.

XVIII. *Doctor Franc. Sylvius.* Accedit auctoritas D.Francisci Sylvij, viri doctissimi, & in celeberrima Academia Duacena regij ac ordinarij Professoris. qui 3.p.q.77.a.1.clarissimis verbis docet, *species panis & vini in sacrosancta Eucharistia remanentes esse accidentia, & ibidē sine omni subjecto existere*, & quantitatem non naturaliter, sed miraculosè, illic conservari.

XIX. *Doctor Tho. Stapletonus.* Clarissimè eandem doctrinam tradit D.Stapletonus, Hæreticorum malleus; in Antidoto Evang. in c.26.Matt. ubi explicans illa verba: *Hoc est corpus meum*, sic habet: *cùm Sacramenti natura in significatione sit posita, species ista & accidentia, quæ sub sensum cadunt, signorum officio aptissimè funguntur.* Et subdit: *Quare Christus substantiam panis à fide removit dicens, post accepit panem: Hoc est corpus meum, accidentia retinuit.* Hic scriptura utitur ad tuā opinionem impugnandā, qua censura dignum judicas?

XX. *Doctor Matt. Kellisonus.* His meritò adjunxero D.Matthęum Kellisonum, virum de re Theologica optimè meritum, qui 3.p. q.77.a.2. hac de re sic scribit: *Quia tamen hæc accidentia habent propriam existentiam, potest Deus per miraculum continuare conservationem accidentium post desitionem subjecti, &c.* Et concludit: *Antea accidens conservabatur à Deo dependenter à subjecto, nunc conservatur à solo Deo independenter à subjecto.*

XXI. *Viri quàm doctissimi Leodij.* Eandem opinionēm de accidentibus realibus in Sanctissimo Eucharistię Sacramento post destructas panis & vini substantias miraculosè remanentibus docent, & ex Ecclesiæ auctoritate tanquam fide certam tradunt doctissimi quique viri, & in rebus tum philosophicis, tum Theologicis apprimè versati, in nobilissima hac civitate Leodiensi, dogmatum fidei, & Ecclesiæ sanctionum tenacissima, Apostolicæque sedis longè observantissima: quæ proindè merito hoc encomio gloriatur: LEGIA ECCLESIÆ ROMANÆ FILIA.

XXII. Licèt verò in omnibus ad fidem spectantibus zelum suum ostendat hæc civitas, in nulla tamen re magis, quàm in Divino hoc Sacramento: utpotè cujus solennitas hic primū orta, in reliquas postea nationes, magno orbis bono, piorumq; omnium solatio fuit derivata.

XXIII. In eandem sententiam nostri omnes scriptores consentiunt, ita ut supervacaneum videatur eos referre. Unum tamen vel alterum, præter Cardinalē Bellarminum, & Cardinalem de Lugo, quos supra retuli, producam. Inprimis itaq; P.Suarez To.3.in 3.p.

P. Franc. Suarez.

3.p.d.46.ſ.1. ait *fide certum eſſe accidentia aliqua panis & vini, peractâ conſecratione, manere*, idque ex variis Conciliis & auctoritate Eccleſiæ oſtendit.

XXIV. *P. Vaſquez.* Idem Vaſquez To.3. in 3. p. d.194. ca.1. apertè tradit his verbis: *Apud Catholicos*, inquit, *qui fatentur, in hoc Sacramento converſionem fieri totius ſubſtantiæ panis & vini in Corpus & ſanguinem Chriſti, indubitata quoque res eſt manere aliqua panis & vini accidentia ſine ſubjecto.* Quam aſſertionem diverſorum Conciliorum auctoritate ibidem firmare nititur. Deinde addit: *Atque hæc eſt communis Patrum & Scholaſticorum ſententia, quos non oportet ſigillatim recenſere, quòd res notißima ſit.* Hæc ille.

XXV. *P. Valentia.* In eadem opinione eſt Valentia To.4.d.6. q.5.p.1. circa initium, aſſerens, *hæreſim eſſe ſi quis neget manere abſolutè accidentia panis & vini ſine ſubjecto*: imò *hunc*, ait, *unum eſſe ex articulis illis quos Concilium Conſtantienſe* (de quo ſect. ſequente) *pronuntiavit eſſe notoriè hæreticos.*

XXVI. *P. Coninck & P. Præpoſitus.* Idipſum apertè docet P. Coninck in 3. p. D. Thomæ q.75. a.5. & P. Præpoſitus in 3. p. q.75. ar.5. *remanere* ſcilicet *accidentia panis & vini poſt conſecrationem, eaq; manere ſine omni ſubjecto ſubſtantiali, & hoc* ajunt *ob auctoritatem Concilij Tridentini, Lateranenſis, & Conſtantienſis eſſe de fide.*

XXVII. *P. Maratius, & P. Tannerus.* His omni ex parte conſentit P. Mæratius 3. p. d. 28. initio, & P. Tannerus To.4.d 5. q.6. dub.1. initio, ubi uterque ait *fide certum eſſe accidentia panis & vini, peractâ conſecratione, manere ſine ſubjecto*, idque ambo ex Eccleſiæ & Conciliorum auctoritate demonſtrant. Hi omnes, nemine dempto, cenſuram tuam incurrerunt.

XXVIII. *Hinc conſtat qualibus viris impietatis notam hic auctor inuſſerit.* Una ergo Theologorum omnium vox eſt ſpecies panis & vini, quæ in Sanctiſſ. Sacramento poſt conſecrationem remanent, eſſe vera & realia accidentia, quæque intrinſecè ſubſtantiæ panis & vini inerant antequàm hæc deſtruerentur, quibus in re præſertim, quæ ad fidem ſpectat, contradicere, ingens temeritas eſt, impietatis verò inſimulare, res planè non ferenda. Sed pergamus.

SECTIO III.

Auctoritate Eccleſiæ probatur in Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento contineri vera & realia accidentia.

I. *Eccleſia columna, & firmamentum veritatis. 1.Tim.3. v.15.* ORthodoxis omnibus id inprimis cordi ſemper curæque fuiſſe cernimus, ne verbo quidpiam ſcriptóve enuntiarent, quod Eccleſiæ, quæ *columna eſt & firmamentum veritatis*, adverſari videretur: ne, inquam, ſuo approbarent unquam, quod Eccleſiæ cenſeretur calculo rejectum. Hæc nimirum norma eſt ac regula, ad quam explorare ſua quiſque debet, ne aberret; hæc lapis lydius, qui fucatum à vero, adulterinum à ſincero, vitioſum ab integro ſecernit. Quâ de cauſâ S. Clemens Alexandrinus l.1. Pædag.cap.6. *Fidem doctrinæ perfectionem appellat.* Chriſtiani proinde Philoſophi prima laus eſt, hunc ſibi ſemper ſcopum præfigere, ut ne ad unum quidem apicem ab Eccleſiâ diſſentiat, ſed ſcita ſua omnia, & placita ad illius dogmata tanquam ad normam exigat: uno verbo, ut ita ſua dicat, ut Eccleſiæ non contradicat. Quiſquis enim contra Eccleſiam ſapit, deſipit. Hic ergo auctor, Catholicus cùm ſit, verebitur, ſcio, ſtatuta Eccleſiæ, debitamque iis reverentiam, & reſpectum exhibebit, nec ita ſenſûs ſui tenax erit, ut, ubi doctrinæ Eccleſiæ adverſari eum intellexerit, illi potiùs refragari velit, quàm hunc relinquere.

Prima laus Philoſophi Chriſtiani.

Qui contra Eccleſiam ſapit, deſipit.

II. Concluſio: Dogma fidei eſt ab Eccleſia traditum, peractâ conſecratione. realia aliqua panis & vini accidentia, quæ anteà ſubſtantiæ panis & vini inerant tanquam ſubjecto, in Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento permanere: ita Theologi ſect. præcedente citati; & hic eſt Catholicorum omnium, ac totius Eccleſiæ ſenſus.

Dogma fidei eſt manere in Euchariſtiâ accidentia realia.

Ad hujus veritatis probationem, recolendum quod ſect. præcedenti, n.2. notavi, per accidentia realia panis & vini intelligi entia quædam incompleta extra primarium eorum conceptum conſtituta, iiſque tanquam ſubjectis intrinſecè inhærentia, ita ut ſine illis exiſtere naturaliter non poſſint.

III. *Recolendum quid ſit accidens reale.*

Probatur ergo concluſio ex Concilio Tridentino, ſeſſ. 13. can. 2. & ex decreto Eugenij Quarti ad Armenos, §. *Tertium eſt*, quod habetur in Concilio Florentino poſt ultimam ſeſſionem, & ex Concilio Lateranenſi, cap. *Firmiter §. Vno verò.* Quibus locis expreſsè definitur poſt verba conſecrationis manere panis & vini ſpecies, deſtructâ eorum ſubſtantiâ: ergo juxta Concilia manent entitates quædam incompletæ, quæ ſunt extra panis & vini ſubſtantiam, & primarium eorum conceptum.

IV. *Probatur ex Concilio Tridentino, Florentino, & Lateranenſi.*

Reſpondet, non negare ſe, deſtructâ panis & vini ſubſtantiâ, manere eorum ſpecies, nec hoc ſalvâ fide negari poſſe: ſpecies tamen iſtas ait non eſſe accidentia, nec eo unquam nomine ab Eccleſiâ appellari. *Nam ſanè*, inquit, *nullibi unquam, ſaltem quod ſciam, docuit Eccleſia ſpecies panis remanentes in Sacramento Euchariſtiæ eſſe accidentia realia, &c.* Quo dicto miram prodit in rebus ſacris, & Theologicis ignorantiam, cùm Eccleſia id apertiſſimè ſæpiùs docuerit, ut mox oſtendam.

V. *Caietanus citatus P. 290.v.22.*

Contrà ergo primò, verba hæc, ubi Concilia citata dicunt ſpecies panis & vini, Theologi omnes, ut ſect. præcedente oſtendi, intelligunt de accidentibus; expreſsè enim docent per ſpecies panis Concilia intelligere accidentia: communi autem conſenſui Theologorum, in re præſertim, quæ ad fidem ſpectat, ut dixi, contrariè, ingens eſt temeritas.

VI. *Per ſpecies Theologi intelligunt accidentia.*

Contrà ſecundò, & evidenter oſtendo Eccleſiam ſpecies panis & vini in ſacroſanctâ Euchariſtiâ poſt conſecrationem remanentes, non ſemel, ſed ſæpiùs clarè & expreſsè vocare accidentia. Primò, id apertè habet Concilium Colonienſe p.7. cap.15. anno 1536. ſub Paulo Tertio, his verbis: *Quid enim panis vinig; ſpecies aliud ſunt poſt conſecrationem quàm ſpecies Sacramentales, & accidentia ſine ſubjecto?* Quid clarius? licèt verò hoc Concilium Provinciale tantùm fuerit, doctrinam tamen iſtam hauſit ex Conciliis illud antecedentibus, quæ jam citabo.

VII. *Eccleſia ſpecies panis & vini frequenter vocat accidentia.*

Eadem ergo doctrina (ubi ſcilicet Eccleſia vocat ſpecies panis & vini, accidentia) traditur in Concilio Generali Romæ celebrato anno Domini 1413. ubi tanquam hæretica damnata eſt illa Wickleffi propoſitio, *Accidentia panis & vini non manent ſine ſubjecto in eodem Sacramento.* Cujus Concilij decretum recitat Joannes Cochlæus l.1. Hiſtoriæ Huſſitarum.

VIII. *Idem habet Conc. Romæ celebratum.*

Tertiò: in Concilio Generali Conſtantienſe anno 1414. celebrato; iterum hæ ſpecies vocantur accidentia, nam ſeſſ. 8. damnatur denuò idem Wickleffi articulus ordine ſecundus, nempe, *Accidentia panis & vini non manent ſine ſubjecto.* Manifeſtum ergo eſt Eccleſiam his vocibus *ſpecies*, & *accidentia* uti promiſcuè, & pro eodem accipere. Accedit in fine Concilij decretum Martini V. Pontificis, qui ejuſdem articuli damnationem ſuâ auctoritate approbat.

IX. *Damnata eſt hæc Propoſitio Accidentia panis & vini non manent ſine ſubjecto.*

Quartò: In eodem Concilio Conſtantienſi iterum uſurpat Eccleſia nomen accidentis, dum ſeſſione 15. damnat errores Joannis Huſſ, inter quos hic quartus ordine recenſetur: *Fingere accidens ſine ſubjecto, foret blaſphemare in Deum, ſcandalizare ſanctos, & illudere Eccleſiæ per verba accidentis.* Dum ergo damnat hanc propoſitionem Eccleſia, quatenus aſſerit *illudere eos*

X.

Hic cla: è docet Ecclesia species panis & vini esse accidentia realia

Ecclesiæ per verba accidentis, qui accidens fingunt sine subjecto, manifestè declarat accidentia realia panis & vini in sanctissimo Sacramento remanere, nec falli eos qui illa dicunt esse vera accidentia, seu talia, quæ petunt naturaliter inesse subjecto.

XI. Solo noto, hunc Hussi articulum non esse absimilem cuidam propositioni illius quem hîc impugno: sicut enim dicit Hussus *illudere eos Ecclesiæ per verba accidentis, qui accidens statuunt sine subjecto*: ita dicit hic auctor: *non potest humana mens cogitare accidentia panis esse realia, & tamen absque ejus substantiâ existere*, & paulò pòst subjungit: *Quia nihil reale potest intelligi remanere, nisi quod subsistat, & quamvis verbo vocetur accidens, concipiatur tamen ut substantia.*

Parum causè loquitur hic auctor.

XII. Hanc propositionem existimo parum ab Hussi propositione hic damnatâ differre, & contra utramque definire hoc loco Ecclesiam posse accidentia panis manere sine panis substantiâ, seu sine subjecto cui ante consecrationem inerant, nec propterea hoc modo accidens statuendo, *vel illudi Ecclesiæ per verba accidentis, vel verbo vocari accidens, concipi tamen ut substantiam*, nam etiam dum existit sine subjecto, docet Ecclesia illud esse accidens.

XIII. Quinto: eâdem sess. 15. ejusdem Concilij Constantiensis refertur hic articulus Joannis Huss. *quòd non esset determinatio Ecclesiæ, quòd accidentia starent in Sacramento altaris sine subjecto.* Qui articulus ibidem condemnatur, & eâdem operâ decernitur manere in sanctiss. Sacramento accidentia panis & vini sine eorum substantia, seu subjecto, cui anteà inhærebant.

Al: a definitio Ecclesiæ circa accidentia Eucharistica.

XIV. Vides in quos scopulos incideris. Impegisti in Petram, in quam nemo incurrit illæsus. Nullis tamen oppugnationibus quatitur, sed stat semper, stabitque inconcussa Ecclesia: & contra quam *portæ inferi non prævalebunt*, multò minùs nocumenti quidquam speculatiunculæ inferent Philosophiæ.

In Ecclesiam nemo incurrit illæsus.

XV. Hinc ulteriùs infero, falsam & temerariam (ut aliud non dicam) esse quintam propositionem sect. prima relatam; nempe, *Non esse opus aliquo miraculo ad conservanda accidentia, post sublatam panis substantiam.* Hoc ostenditur, tum quia est contra communem Theologorum sententiam, quibus hac in re contravenire summa temeritas est. Tum quia Innocentius tertius cap. *Cum Martha*, de celebrat. Miss. peculiare ait esse miraculum circa accidentia in Venerabili Sacramento post consecrationem remanentia, *naturâ*, inquit, *cedente miraculo*: quæ verba Glossa de consecratione, d. 2. c. *Species*, explicat quòd accidentia maneant sine subjecto.

Temerariũ ad minimũ est asserere, accidentia panis in Eucharistiâ manere sine miraculo.

XVI. Tandem, Ecclesia hoc sua auctoritate apertè videtur decernere, dum in variis Conciliis, ut vidimus, definit accidentia panis & vini manere sine subjecto, quæ nimirum anteà habebant subjectum à quo sustentabantur, sicque jam miraculosè conservari à Deo: ad quod miraculùm quia assurgere non poterat mens illorum hæreticorum, ajebant panis & vini substantiam in Sacramento manere, cui inhærerent accidentia, & ab ea sicut priùs sustentarentur. Ad quid tot hæc de re definitiones Ecclesiæ, si res contingere possit naturaliter?

Ad quid tot definitiones quòd accidentia sint sine subjecto, si sic possint esse naturaliter.

XVII. Restat ut uno vel altero verbo ad id respondeam, quod nonnullos mussitare audio. In rebus, inquiunt, naturalibus non est restringendus intellectus, non ei frænum, non cumpedes injiciendæ, sed latus aperiendus campus, in quo discurrat ac spatietur, suæque plenè relinquendus est libertati. Fateor, at sanè effrænis illa est libertas, qua mens humana suos transgressa limites, in ipsa Fidei principia involat, Ecclesiæque statuta ac definitiones ausu temerario convellit cujus sanctiones ac decreta venerari, contraque ne hiscere quidem deberet. Ubi navis Petri Spiritu sancto impulsa fertur, vela submittat ratio: si-

Tacita quorundam mussitatio.

Sileat Philosophia ubi loquitur fides.

leat Philosophia, ubi loquitur Fides: audiat ancilla Dominam, discipula Magistram, homo Deum. Malo ut quem hîc scribo librum, Vulcano tradatur millies, quàm minimus fidei articulus (si quid, quod ad fidem spectat, parvum dici possit) tantùm per eum labefactetur.

SECTIO IV.

Nonnulli ejusdem auctoris propositiones circa accidentia in Eucharistiâ remanentia, discutiuntur.

I. OStensum jam est, Theologorum, imò Catholicorum omnium, ipsiusque adeò Ecclesiæ sensum esse, panis & vini species in Sanctiss. Sacramento, peractâ consecratione, remanentes, esse accidentia. Ut tamen Catholica hæc veritas magis eluceſcat; operæpretium erit propositiones nonnullas, quas ad illius oppugnationem profert, sigillatim discutere.

II. Primò itaque rem hanc adeò captu difficilem esse ait, ut vel hoc nomine meritò rejiciendam censeat, *Non potest*, inquit, *humana mens cogitare accidentia panis esse realia, & tamen absque ejus substantiâ existere, &c.* At sanè miror quam is tantam sibi hac in re fingat difficultatem, ut divinâ virtute hoc fieri nequeat. Certè virum nullum doctum unquam conveni qui hoc sibi captu diceret esse difficile, multò minùs impossibile. Imò ex Theologiæ vel etiam Philosophiæ auditoribus postquam stadium illud aliquantulum fuerat ingressus, neminem vidi, qui accidentis sine subjecto existentiam à magistro sibi declaratam audivisset, non agnoscere se hoc commodè percipere.

Ait, intelligi non posse accidentia realia existere sine substantiâ, ac proinde esse negandum.

III. Sed fac id esse difficile: hæccine causa tibi sufficiens videtur, ut doctrina à fidelibus omnibus admissa, communi Theologorum consensione approbata, quodque caput est, Ecclesiæ auctoritate tradita ac stabilita rejiciatur, & à viro Catholico impugnetur? Hoc tuo discursu Divini Verbi Incarnationem alius, alius Mysterium Trinitatis, alius hunc, alius illum fidei articulum, si ad stomachum non faciat, negabit; si causam cur id præstet roges, tuis verbis respondebit, *quòd* scilicet *humana mens cogitare hoc non possit.* Quantò modestiùs ac sapientiùs magnus Augustinus Epist. 3. ad Volusianum, paulò antè medium, ubi de arcanis fidei loquens, *Hic*, inquit, *si ratio quæritur, non erit mirabile, si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti, est potentia facientis.*

Contrà: ergo omnia mysteria fidei erunt rejicienda.

Sententia hac in re S. Augustini.

IV. *Atque hac*, inquis, *præcipua ratio esse videtur, ob quam nonnulli hac in parte ab Ecclesiâ Romanâ dissenserunt.* Ex iis nimirum erant hominibus, quibus, ut ait S. Aug. serm. 147. de tempore, *tota regula intelligendi est consuetudo cernendi*; qui scilicet fidei suæ normam, non Deum per Ecclesiam loquentem, sed sensus statuunt, & rerum, quæ credendæ proponuntur, veritatem, non secundùm Dei potentiam, ejusque in dicendo infallibilitatem, sed penes captum suum metiuntur, eosdemque Divinæ virtutis, & sui intellectûs esse limites volunt, illorum nempe hominum similes, qui dum Christi sermonem de hoc ipso Sacramento instituerit Joannis 6. dicebant, *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* sicque inquit Evangelista, *multi discipulorum ejus abierunt retrò.* Quod videns Christus, ab Apostolis petiit, num & ipsi abire vellent; Respondens Petrus, *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.*

Hanc, inquit, ob causam nonnulli videntur ab Ecclesiâ Romanâ dissensisse.

Ubi

V. *Ecclesia Romana mater est ac magistra omnium Ecclesiarum.* Ubi notandum, eundem ipsum sermonem, qui nonnullis durus videbatur, indeque occasionem sumebant Christum, ac fidem deserendi, aliis cælestem visum esse, & divinum, *verbaq; vitæ æternæ*, seu ad salutem conducentia in se complecti. Sic in præsenti, dum Ecclesia Romana, quæ *mater est ac magistra omnium Ecclesiarum*, à Spiritu sancto edocta, in cælesti hoc Sacramento accidentia manere decernit sine subjecto: hanc ejus doctrinam alij, non naturali vi ingenij, sed intellectu fide illustrato intuentes, ut Divinam, cæloque delapsam amplectuntur; alij suo cuncta modulo & captu metientes, & hunc fidei articulum mero naturæ lumine, & nescio quibus speculationibus considerantes, atque ut illi Christo, ita hi Ecclesiæ obloquentes, *Durus*, inquiunt, *est hic sermo, & quis potest eum audire?* retroque, ut illi, abeunt. Tanti interest quo quis animo ad Christum, ad Ecclesiam accedat, qua, inquam, aure divina percipiat quo oculo res fidei scrutetur.

VI. *Nullibi unquam, quod sciam*, inquis, *docuit Ecclesia species panis & vini remanentes in Sacramento Eucharistiæ, esse accidentia, &c.* ita sanè existimo, nec enim mihi persuadere possum, si hoc sciviſſes, unquam te doctrinam Ecclesiæ definitionibus tam apertè contrariam fuisse traditurum.

VII. *Majori cum cautelâ procedere debuit hic auctor.* At cùm tam parum in rebus Theologicis sis versatus, ut hîc apertè indicas, viri certè prudentis non erat, in has non lecto priùs Theologi saltem alicujus hac de re scripto, te ingerere. Habebas ad manum doctissimum opus Cardinalis Peronij, cujus apud omnes Orthodoxos jure magna est auctoritas. Habebas Doc. Gammachæi eruditissimos commentarios, ubi hanc quæstionem optimè discussam reperisses. Prostabant ubique Bellarminus, Lugo, Stapletonus, Suarez, Vasquez prima Theologorum capita. In promptu erant alij multi, quibus lectis, facilè hac de re instrui potuisses; horum ne uno quidem inspecto, rem tantam aggredi, quanta incuria! Omnes loci illius, ubi hic tuus liber prodiit, aquæ, hanc à te inconsiderantiæ notam non eluent.

Amstelodami.

VIII. *Non satis sibi in dictis suis constat.* Nec tamen hac in parte satis tibi constas, ais enim, *ex eo quòd Ecclesia Romana hanc de accidentibus in Eucharistiâ post consecrationem relictis, doctrinam tradiderit, nonnullos ab ea dissensisse:* manifestum est ergo sciviſſe te hanc Romanæ Ecclesiæ doctrinam esse, nec enim quòd unus vel alter inter Catholicos id sentiret, recesserunt, sed quòd Ecclesiæ Romanæ dogma esset, quam proinde hoc nomine tacitè carpis, quòd ejusmodi scitum tradat, quod aliis sit offendiculo, occasionemque à fide & Ecclesiâ resiliendi præbeat.

IX. *Ratio ei inunda ne ejus scripta simpliciori-bus deinceps sint offendiculi.* Sed sive id anteà noveras, sive non noveras, sive noveras simul & non noveras, (hoc enim verba tua præseferre videntur) hîc saltem Catholicam hanc veritatem, Theologorum auctoritate firmatam, ipsisque Ecclesiæ sanctionibus productis, ante oculos positam cernis. Sicut ergo, salvâ fide, hanc Ecclesiæ doctrinam ampliùs negare non potes, ita ineunda aliqua tibi ratio est, ne, qui simpliciores sunt, scriptum illud tuum perlegendo, occasionem sumant ab Ecclesiâ deficiendi: dogma enim, quod illa, docente Spiritu sancto, omnibus credendum proponit, iis coloribus depingis, ut tractatus ille ad quemvis, nisi in his rebus sit versatus, ab Ecclesiâ, ejusque statutis avertendum sufficiat.

X. *Mirum ejus pronuntiatu.* *Ausim sperare*, inquis, *venturum tempus aliquando, quo illa opinio, quæ ponit accidentia realia, à Theologis explodetur ut parum tuta in fide.* Mirabuntur, quibus Theologicarum, ac divinarum rerum familiaris est tractatio, hominem qui his in rebus peregrinum adeò se ostendit, ut nullius unquam Theologi scriptum inspexisse videatur, ita tamen fidenter de iis rebus loqui, ut articulo, communi Doctorum consensu probato, & ipsius Ecclesiæ calculo firmato, tam gravem censuram inurat, ut eum parum in fide tutum pronuntiet. Rem haud dubiè non ferendam judicabunt, parcent tamen fortasse, nec aliud dicent, quàm *cæcum judicasse de coloribus.*

XI. *Provocat ad pios Theologos.* *Sed provoco*, inquis, *ab his ad pios & orthodoxos Theologos.* Ubi gentium, quæso, pios hosce tuos Theologos reperies? Habemus S. Thomam, S. Bonaventuram, Peronium, Bellarminum, Gamachæum, Mæratium pro Italia & Gallia; habemus S. Anselmum, Alensem, Scotum, Waldensem, Alanum, Stapletonium, Kellisonum pro Anglia; habemus Lugo, Suarez, Vasquez, & alios pro Hispania; pro Belgio Taperum, Sylvium, Coninchum, Præpositum; Valentiam, Tannerum, & alios pro Germania; viros quosque doctissimos pro Eburonibus. Quò ergo te conferes ut pios hosce Theologos reperias? Catholicum, mihi crede nullum invenies: qui enim obstinato animo in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento manere accidentia negat sine subjecto, quisquis est, Catholicus esse desinit. Malo itaque cum his omnibus impius à te censeri, quàm contradicendo Ecclesiæ inter pios tuos Theologos annumerari.

Qui in Eucharistia accidentia negat manere sine subjecto, Catholicus esse desinit.

XII. BENE SCRIPSISTI DE ME THOMA. Ut ergo tandem huic quæstioni finem imponam: si verum est, quod de S. Thoma fertur (de quo nemo pius dubitat) dum ante imaginem Christi cruci affixi aliquando oraret, hoc eum sibi à Christo dictum audivisse, *Benè scripsisti de me, Thoma*, (quod de hoc præcipuè Sacramento omnes intelligunt) si, inquam, Veritatis voce laudetur S. Thomas, præclarumque hoc elogium meruerit, quòd benè de hoc mysterio scripserit, quid de iis censendum, qui S. Thomæ hac in parte è diametro sunt oppositi, ejusque doctrinam, ut *parum in fide tutam è scholis explodendam sperant, suamq; ut ajunt, in illius locum substituendam?*

SECTIO V.

Argumentis à ratione ductis ostenditur dari accidentia realia.

I. *Accidentia quædam realia dari certum est.* SI sermo universim sit de accidentibus realibus, certiùs est aliqua hujusmodi dari, quàm ut, etiam seclusâ fide, in dubium vocari possit. Primò enim actus illi quibus Angeli & anima rationalis objecta sibi proposita repræsentant, variaque de iis judicia, ac discursus formant, absque omni dubio sunt accidentia; sunt enim quid ab Angeli & animæ substantiâ realiter distinctum, & ab iis verè pro objectorum varietate eliciti. Idem est de actibus sensuum, de actu ex. g. quo visus colorem, auditus sonum, & sensus reliqui suum quisque objectum percipiunt; hi enim actus sunt vitales, & tunc primùm à potentiis eliciti, cùm objecta ipsis proponuntur: in iisdem etiam potentiis eos recipi certum est, ergo à potentiis realiter distinguuntur, & ut quid adventitium, & accidentale ipsis accedunt. In his verò omnia solvi debent quæ contra quæcumque accidentia realia adduci possunt.

Actus vitales sunt accidentia.

II. *Secundò, dum aer de tenebroso fit lucidus, dari debet verum accidens.* Secundò probo præter actus hos vitales, & intentionales, dat etiam alia accidentia. Aër de tenebroso fit lucidus, ferrum, æs, lignum, de frigidis calida, & è contrà, ut quotidianâ constat experientiâ, sed hæc sunt aliquid ab harum rerum entitate distinctum, & extra conceptum illarum essentialem, ut est manifestum, cùm pereunte luce, aër in suâ entitate permaneat, & idem est de cæteris, ergo sunt accidentia.

III. Respondet primò, esse modos. Sed contrà, parum perspectum sibi ostendit naturam modorum, quos Philosophi & Theologi fatentur ita essentialiter

Respondet primo accidentia illæ esse modos.

liter subjectis affixos esse, ut sine iis nec divinitùs existere possint : quantitas autem, calor, color, & reliqua accidentia in sacrosanctâ Eucharistiâ miraculosè existunt sine subjecto ; imò, ut ipse fatetur, (quamvis malè, ut suprà ostendi) naturaliter, ergo manifestum, est non esse modos Sed sint modi, vel accidentales modi sunt, vel substantiales : si primum, jam concedis accidentia ; si secundum, in opinionem incidis sec. sequente impugnandam, & apertè, ut ostensum est, contradicis Ecclesiæ.

IV. *Parte 4. Princip. Philos. n. 29.*

Secundò, & præcipuè, dicit calorem esse motum localem, exempli g. calorem in terrâ receptum nihil aliud esse asserit, quàm agitationem particularem terrestrium, quas, inquit, radij solares diversimodè agitant, & variis modis huc illuc impellunt.

Calorem ait consistere in motu locali.

Hanc verò agitationem, non causam caloris esse vult, sed in eâ formaliter calorem consistere. Ad rem autem tam insuetam, tam contra omnem rationem & experientiam, atque est calorem in motu locali situm esse, nullum planè argumentum affert, sed credendam obtrudit pro Oraculo.

V. *Saltem sequitur motũ esse accidens.*

Contrà primò, gratis enim jam admisso (quod mox ostendam esse falsissimum) calorem esse motum localem, adhuc remanet tota prioris argumenti difficultas. Unde eodem modo jam de motu argumentor, quo priùs argumentabat de calore. Hic motus, qui jam recipitur in iis terræ particulis, est quid ab iis realiter distinctum, & non de earum essentiâ, antè enim erant particulæ illæ terræ, quàm hoc modo moverentur, ergo motus est aliquid ipsis accidentaliter adveniens, ergo dicendo calorem esse motum, non solvitur difficultas.

VI. *Ostenditur calorem in terrâ non consistere in motu.*

Contrà secundò, causæ illæ (ut radij solares, ignis &c.) quæ terram maximè calefaciunt, maximè particularum illius motui obsistunt ; ad motum enim localem requiritur laxitas quædam, & mollities, ignis autem, & radij solares terram constipant & indurant : sicut enim aqua concrescit frigore, ita terra igne incrustatur & constringitur, ut videmus dum in lateres coquitur. Causa itaque caloris motum impedit, & quo gradu calor crescit, motus decrescit, ergo evidens est calorem non esse motum.

VII. *Si calor sit motus, sequitur continuum dividi in omnes suas partes.*

Contrà tertiò, lapis igni injectus, incalescit illicò, &, si aliquantisper illic persistat, ingentem concipit calorem ; sed partes ejus non moventur, ergo. Probatur minor, si enim moveantur ullæ ejus partes motu illo heterogenio, quo se partes intersecant, moventur omnes, omnes siquidem calorem contraxerunt, cùm igni sufficienter fuerint applicatæ, si autem omnes motu illo moveantur, omnes discontinuabuntur : cùm enim intra idem spatium seu dimensionem moveantur (superficies enim extima illius silicis non occupat majus spatium calida, quàm frigida) discontinuari omnes necessariò debent, ergo continuum simul dividitur in omnes suas partes, quod implicat.

VIII. *Partes lapidis discontinuatæ, non possent iterũ conjungi.*

Contrà quartò particulæ illius lapidis, quæ per hunc motum discontinuantur, quo iterum pacto coalescunt ? videmus enim, si ulla lapidis particula à parte sibi proximâ disjungatur, non posse eam iterum reuniri. Cùm ergo totus lapis incaluerit, comminui, secundùm hunc Philosophandi modum, illius particulæ deberent in arenulas, sicque dissilire lapis, ac penitus dissolvi.

IX. *Si calor sit motus percipieretur tactu.*

Contrà quintò, si calor sit motus, sicut calor in lapide percipitur, ita perciperetur & motus, imò multò faciliùs, tum quia motus duobus sensibus deprehenditur, tactu scilicet & visu, calor autem unico ; tum quia motus etiam levis in magnâ distantiâ discernitur, non sic calor, nisi sit intensus.

X. *Quantumvis partes motæ sint exiguæ, cum tamen sint multæ percipientur.*

Dices ; partes illæ sunt adeò exiguæ, ut sensus percipi non possint, sicque nil mirum quòd illorum motus non deprehendatur. Contrà primò, licèt una aliqua pars sola, si moveretur, ob exiguitatem fugeret sensum, ubi tamen multæ simul moventur, & faciunt cumulum, percipi necessariò deberent : sicut licèt musca una à longè volitans non discernatur, si tamen multæ sibi invicem socientur, ac veluti nubeculam quandam, ut fit, conficiant, in magnâ etiam distantiâ videntur. Contrà secundò, particulæ hæ insensibiles non sunt minores ut motæ quàm ut non motæ, sed ut non motæ percipiuntur, ergo & percipi possunt ut motæ. Contrà tertiò, partes istæ, quantumvis minutæ & insensibiles, sensu percipiuntur esse calidæ, ergo & sensu percipi possunt moveri, idem enim, secundùm ipsum, est eas moveri, & esse calidas. Imò, ut dixi, motus faciliùs sensu deprehenditur, quàm calor.

XI. *Sequitur omnia frigida esse æqualiter frigida.*

Contrà sextò, si calor sit formaliter motus, ergo frigus est formaliter quies, cùm nihil aliud inveniri possit, quod ei opponatur : hinc autem sequitur, omnes partes quæ sunt frigidæ, esse æqualiter frigidas, quies enim est negatio omnis motûs, ergo non admittit magis & minus : sicut quia mors est negatio omnis unionis inter animam & corpus, destructio est suspensio omnis actionis conservativæ, & sic de cæteris, quidquid moritur, vel destruitur, moritur, & destruitur æqualiter, ergo omnis pars quæ est frigida, est æqualiter frigida, si enim quiescat æqualiter quiescit, ut ostensum est. Conf. sequeretur in aquâ tepidâ nihil remanere frigoris, nam omnes ejus partes sunt utcunque calidæ, ergo omnes aliquantulum moventur, ergo nulla quiescit, ergo nulla habet in se quidquam frigoris.

XII. *Quidvis facilè dicitur, si sine probationibus dicatur.*

Contrà septimò, si hoc modo divinando liceat procedere, & cuilibet nullâ allatâ ratione sua proferre, affirmabat alius è contrario frigus esse formaliter motum, & calorem quietem : si quis verò pronuntiati hujus ab eo rationem poscat, respondebit, non magis teneri se ad rationem sui effati reddendam quam tu reddere tenebaris tui, sicque cuivis integrum erit quidlibet suo arbitratu fingere, & philosophari pro libitu ; cùm facile sit quævis dicere, si sine probationibus dicantur.

SECTIO VI.

Refertur, & impugnatur alius modus defendendi species panis & vini in Eucharistiâ, non esse accidentia.

I. *Dicunt aliqui accidentia esse tantũ atomos, & corpuscula.*

TErtius modus defendendi species Eucharicas non esse accidentia, est, quo dicitur illas esse corpuscula quædam fluida intra poros panis & vini contenta, quæ licèt sint substantia, utpote entia completa, & per se subsistentia, non tamen, inquiunt, sunt substantia panis & vini, cùm sint extra conceptum eorum essentialem, & aliquid pane & vino posterius ; sicque licèt in se sint substantia, respectu tamen panis & vini sunt accidens, quia illis accidunt.

II. *Hic modus omnium minimè placet.*

Hæc responsio omnium maximè displicet, longeque magis, meo judicio, à veritate aberrat, quàm duæ præcedentes : eam proinde & ex Theologicis, & Philosophicis principiis breviter refellam.

III. *Est contra communem sententiam Theologorũ.*

Primò itaque reclamant Theologi universi, qui, ut suprà vidimus, sect. 2. species panis & vini talia esse dicunt accidentia, quæ anteà inerant subjecto, & nunc non per se subsistunt, sed (Deo in genere causæ efficientis concursum materialem subjecti supplente) absque omni subjecto miraculosè conservantur : communi autem Theologorum consen-

sui

sui in re ad fidem spectante refragari, ut dixi, est absque dubio ad minimum temerarium.

IV. *Ecclesia docet hæc accidentia aliquando habuisse subjectum, ergo non sunt hujusmodi corpuscula.*

Eodem modo, ut sec. 3. ostendi, loquitur Ecclesia, species scilicet panis & vini esse accidentia, & in sacrosancto Eucharistiæ sacramento, factâ consecratione, sine subjecto persistere. Quibus verbis satis declarat Ecclesia, ut suprà dixi, illa aliquando habuisse subjectum: quid enim miri jam ea manere sine subjecto, si subjectum nunquam habuissent, imò, secundùm hanc sententiam, habere nunquam potuissent. Dicere ergo species sacramentales verè & realiter esse substantiam, easque appellare accidentia, est nomen quidem accidentis retinere, rem ipsam penitùs tollere, & Ecclesiæ decretis illudere, ac voce tenus cum illâ sentire, re tamen verâ dissentire, ejusque funditùs doctrinam evertere.

V. *Sequitur Christum non esse sub speciebus panis & vini.*

Tertiò, cùm Corpus Christi succedat pani, eoque præcisè sit loco, ubi antè erat substantia panis, hæc autem juxta hanc sententiam non fuerit intimè penetrata cum speciebus, sed solùm illis intermixta, & intercalatim cum iis posita, sequitur Christi Corpus non eo modo esse sub speciebus sicut Theologi affirmant, nempe ita ut speciebus intimè sit præsens, sed sicut aqua miscetur vino, quæ per tenues quosdam meatus sese sibi invicem insinuant, ita tamen ut unumquodque locum sibi proprium occupet, ab alio diversum, ac separatum.

VI. *Non alio modo Christi corpus contineretur sub speciebus, quàm arbor sub cortice.*

Dicunt substantiam Christi claudi saltem superficie extimâ continuâ specierum panis & vini, ficque ratione hujus dici posse sub speciebus illis contineri. Contrà primò, sic enim non alio modo Christi Corpus contineretur sub speciebus panis ex. g. quàm arbor sub cortice, aut liquor aliquis in utre, quod dici nullo modo potest. Contrà secundò, nam in hac sententiâ non datur hujusmodi superficies extima continua, quæ panis substantiam ante consecrationem, vel, eâ perfectâ, Christi corpus ambiat, & circumplectatur: cùm enim superficies hæc ex solis hisce corpusculis juxta illos compingatur, hæc autem corpuscula, ut aiunt, sint tantùm in poris, hi verò, cùm vacuitates tantùm sint, seu intervalla inter partes panis, ultra illius substantiam non protenduntur, ergo extimas panis partes non ambiunt, ergo nec easdem ambiunt hæc corpuscula, seu species, ergo nec modò post consecrationem ambiunt Corpus Christi, quod loco panis succedit. Conf. hinc enim ulteriùs sequitur Corpus Christi in multis locis hostiæ consecratæ, in extimâ scilicet illius parte existere, & non sub speciebus, seu non illis cinctum, sicque in Sacramento existere non sacramentaliter.

VII. *Non esset Corpus Christi sub quavis parte speciei panis.*

Quartò, sequeretur Corpus Christi non esse sub quavis parte speciei panis contra Concil. Trid. sess. 13. cap. 3. sequela probatur, cùm enim hi pori, & consequenter species in iis inclusæ, habeant aliquam crassitiem, sub iis tantùm specierum partibus dici propriè potest esse Corpus Christi, quæ illi sunt proximæ, ergo non est sub remotioribus, sicque nec sub omni parte specierum.

VIII. *Conservarentur species sine miraculo.*

Quintò, sequeretur species panis & vini in Eucharistiâ conservari sine miraculo, destructâ eorum substantiâ, quod licèt hic auctor concedat, nullo modo tamen debet admitti, ut latiùs suprà, sec. 3.

IX. *Impugnatur rationibus Philosophicis.*

Jam verò rationibus Philosophicis impugnatur hæc sententia, primò: saltem enim admittere debent actus intellectûs, imò & sensuum esse accidentia, ut suprà dixi, nisi in animâ etiam, & Angelis poros statuere velint, & corpuscula, seu pulviculos quosdam spirituales, ac vitales atomos, quibus repleantur: nisi inquam, Angelos rimas agere velint, & satisfacere sicut corpora.

X. Secundò, sequeretur quoties calor, frigus, lux, color, aut aliud quodpiam accidens producitur, agentia naturalia, solem v. g. ignem, aut candelam creare, contra axioma ab ipsis pro primo principio admissum. *Ex nihilo nihil fit*, quam propositionem aiunt esse æternæ veritatis. Sequela probatur, hæc enim corpuscula, juxta hunc philosophandi modum, sunt substantiæ completæ, ab omni subjecto independentes, ergo quoties aqua, aut aliud quidpiam de frigido mutatur in calidum, toties nova corpuscula creantur, seu ex nullius subjecti potentiâ educuntur, & priora eodem modo annihilantur: vel incident in opinionem Anaxagoræ, à scholis dudum explosam, tanquam Philosopho indignam. *Sequeretur agentia naturalia creare.*

Tertiò, ad dandam denominationem albi, calidi, lucidi, &c. non sufficit quòd albedo, lux, calor, & hujusmodi alia accidentia sint alicui rei proxima, sed uniri ipsi debent, alioqui quoties manum apponit quis parieti albo, aut nigro, manus redderetur alba aut nigra.

XI. *Omnes partes aëris non essent lucidæ, nec ignis calidæ.*

Quartò, etiam dato ad has denominationes sufficere solam propinquitatem; sequitur non omnes partes aëris aut vitri illuminati esse lucidas, nec omnes partes ferri candentis esse calidas, imò tot esse non calidas, quot sunt calidæ, quod tamen apertè videtur falsum. Sequela probatur, intra poros in quibus latent calida & lucida hæc corpuscula, seu lux & calor, interponitur semper pars aëris, aut ferri determinatæ magnitudinis, corpuscula autem illa non toti huic parti sunt proxima, sed extimis tantùm illis particulis, ergo particulæ intermediæ illius partis non possunt ab his corpusculis denominari lucidæ, vel calidæ, cùm iis non sint proximæ.

XII. *Hoc clariùs cernitur in iis rebus, quæ pauciores habent poros.*

Hoc in ferro, marmore, & aliis, quæ pauciores habent poros, clariùs constat, in his enim pars substantiæ interjecta longè major est, quam in aliis. Omnium verò clarissimè hoc cernitur in rebus illis, quæ multis simul afficiuntur accidentibus, in pane scilicet aut vino, quod hæc quinque in se habet accidentia, frigus, vel calorem, odorem, saporem, colorem, & lucem. Hæc itaque accidentia si sint corpuscula, & penetrari inter se nequeant (utpote substantiæ completæ; quæ proinde non magis inter se invicem penetrari possunt, quàm cum vino) non possunt omnia ulli substantiæ vini parti simul applicari, sed unum uni, aliud alteri, sicque multæ partes vini erunt quæ nullum habeant saporem, aliæ quæ nullum odorem, imò & multæ, quamvis supra ignem ebulliat, quæ nullum omninò habeant calorem.

XIII. *Lux in aëre, & chalybe non esset continua.*

Quintò, lux in iis rebus maxima producitur quæ pauciſſimos, & arctiſſimos habent poros, ut in ære, vitro, chalybe, ergo nisi diffundatur per harum rerum substantiam, non apparebit lux illa continua, sed intercisa, ac veluti stellulæ quædam hinc inde intermicantes, & à se ad spatium aliquod disjunctæ.

XIV. *Sequitur per solam compressionem minui rerū odorem, colorem, &c.*

Sextò, si calor, color, odor, sapor, & hujusmodi accidentia aliud nihil sint, quàm corpuscula poris rerum, quæ his afficiuntur, inclusa, sequitur, quo magis hi pori occluduntur, colorem, odorem, & reliqua accidentia minui: imò dum aliquid summâ vi premitur, in prælo ex. gr. deberet colorem omnem, odorem, & alias hujusmodi affectiones amittere, cum pori omnes penitùs occludantur: quod tamen est manifestè contra experientiam, charta enim quantumvis in prælo summa vi prematur, non solùm non colorem suum omnem, odorem, & reliqua accidentia amittit, sed nec ullam eorum imminutionem patitur. Imò, si antequam hoc modo in prælo præmeretur, nullum habuisset odorem, ab ipso prælo, si quo fortè id odore imbutum sit, odorem contrahit. Manifestum ergo videtur accidentia ista hæc in hujusmodi corpusculis, intra poros rerum collocatis, non consistere.

XV. *Sole oriente esset semper vehemens aëris commotio.*

Septimò, si lux sit hujusmodi corpuscula in poris aëris producta, sequitur, oriente sole, magnam in toto aëre futuram commotionem, dum lux in poros immissa, alia inde corpuscula dispellit, aut condensat, aut demum poros magis dilatat nova in eos corpuscula immittendo, quæ omnia fiunt per motum localem.

XVI. *Fieret motus in instante.*

Octavò, Fieret motus in instante, lux enim secundùm omnes, producitur in instante, ergo motus ille, qui vel in dimotione corpusculorum è poris, vel in eorum constipatione, aut pororum dilatatione, ad lucis productionem contingit, fit similiter in instante.

XVII. *Etiam admissis corpusculis, fateri debent dari aliqua accidentia.*

Nonò tandem, nam etiam admissis hujusmodi corpusculis, fateri nihilominus debent dari aliqua accidentia: corpuscula enim hæc non sunt ex essentiâ suâ in poris illis inclusa, ergo includi illa poris aliquid est præter hæc corpuscula, & poros. Inquiro quid hoc sit? Dicunt esse eorum ad poros applicationem. Contrà, insisto priori argumento, hæc applicatio vel est aliquid à corpusculis & poris distinctum, vel non: si nihil sit ab iis distinctum, ergo esse nullo modo possunt hæc corpuscula & pori, quin poris illis includantur, cùm esse nequeant sine suâ entitate; hoc autem falsum est, ut ipsi etiam adversarij fatentur. Si verò applicatio sit aliquid à corpusculis & poris distinctum, inquiro iterum quid illud sit? Respondent esse eorum *sic se habentium*. Contrà, inquiro ulteriùs, *sic se habentia* ista vel à poris & corpusculis distinguitur, vel non; huc semper res redit. Favillas sorbebunt citiùs, & sua ipsi corpuscula, quàm hunc nodum solvant, velint, nolint, aliquid, quod substantia non sit, agnoscere debent, vel procedetur in infinitum.

XVIII. *Plura auctoris hujus placita alibi refello.*

Plura in his libellis continentur, quæ à veritate, sanæque Philosophiæ rationibus plurimùm aberrant; quæ quisquis legerit, mirabitur unde tam miri, sine probationibus maximè, philosophandi modi chartis irrepsere. Eorum tamen confutationem aliis relinquam, si, quis fortè in eo tantum operæ collocare velit. Quædam tamen ex iis posteà refellam.

XIX. *Ecclesiæ sanctiones vitâ chariores esse debent.*

Hanc verò de accidentibus dissertationem omittere non debui: tum quia opinio tollens accidentia, Philosophiam omnem rerumque naturalium constitutionem evertit, tum maximè, quod communi Theologorum, ut vidimus, imò Catholicorum sensui, ipsisque adeo fidei principiis, Ecclesiæque sanctionibus adversetur; quæ cuivis Orthodoxo vitâ chariores esse debent. Sed institutum prosequamur.

SECTIO VII.

Nova quædam opinio de speciebus sacramentalibus.

I. ALiam adhuc quorundam esse audio de speciebus Sacramentalibus sententiam, quam, cùm de accidentibus disputationem instituamus, ut plena sit hujus rei tractatio, non erit abs re hîc inseruisse.

II. *Dicunt aliqui species sacramentales non esse accidentia realia, sed intentionalia.*

Dicunt ergo aliqui, species Eucharisticas, quæ destructâ panis & vini substantiâ, in sacramento remanent, esse quidem accidentia, non tamen realia, sed intentionalia, id est, ejusmodi quæ ad operationes tantùm intentionales ordinentur, visionem scilicet, olfactum, gustum &c. quâ de causâ, inquiunt, vocantur à Concilio Tridentino *species*. Negare ergo videntur manere in hostiâ consecratâ colorem ullum, odorem, saporem, frigus, & alia hujusmodi, quæ vocant accidentia realia, sed tantùm eorum species, quas ob rationem jam dictam vocant accidentia intentionalia.

III. *Hæc sententia diversissima est à sententiâ Cartesij.*

Hæc sententia longè diversa est ab illâ, quam totâ hac disputatione impugnavi. Primò enim admittit vera & realia accidentia, talia nimirum quæ verè & realiter insint subjecto, illudque physicè & realiter immutent, quæ est definitio accidentis realis à Philosophis assignata, licèt ea vocet intentionalia, quia ad actus intentionales eliciendos ordinantur: unde dici possunt accidentia hæc, intentionalia objectivè, subjectivè realia. Secundò differt hæc sententia à priore, quòd non dicat hæc accidentia, quæ vocat intentionalia, manere extra subjectum sine miraculo sed ait ea miraculosè conservari à Deo, materialem concursum subjecti in genere causæ efficientis per se supplente. Unde non tam clarè est contra definitiones Ecclesiæ, nec tam apertè ex Conciliis convincitur, ac præcedens.

IV. *Accidentia in Eucharistiâ sunt realia.*

Hæc tamen sententia nullo modo est amplectenda. Primò, quia est contra communem Theologorum sententiam, quos retuli sectione secundâ. Secundò, non satis consonat hæc sententia definitionibus Ecclesiæ circa has species, & existentiam Christi in Eucharistiâ: definit enim Ecclesia totum Christum esse sub singulis partibus specierum, in hac autem sententiâ non esset omnino sub ullâ parte hostiæ, species enim intentionales albedinis exempli g. non recipiuntur in objecto, cujus sunt species, sed ab objecto emittuntur in aërem, & corpora diaphana circumjecta, ergo Corpus Christi non alio modo est sub speciebus, quàm quòd cingatur extimâ superficie aëris ambientis, quod tamen dici nullo modo potest.

V. *Accidentia Eucharistica non manerent sine subjecto.*

Tertiò, definit Ecclesia, ut vidimus sectione tertiâ, species panis manere sine subjecto, ergo per species non intelligit species intentionales ab objecto emissas, harum enim subjectum est tantùm aër circumstans, unde hæ species, destructâ panis, & vini substantia, non manent sine subjecto, sed existunt & subjectantur etiamnum in illo aëre, sicut antè. Quare certum est Ecclesiam per species panis & vini non intelligere species hasce intentionales.

VI. *Præcipua impugnatio præditæ sententiæ.*

Quartò & præcipuè, Concilium Constantiense citatum sectione tertiâ docet, post consecrationem manere accidentia panis, accidentia autem panis sunt color, odor, sapor, & alia, sub quibus antea latebat substantia panis, ergo juxta doctrinam Concilij manent in sacrosanctâ Eucharistiâ accidentia realia, & non tantùm illa intentionalia, ut volunt auctores hujus sententiæ. Conf. nulla enim reddi potest ratio, cur albedo, frigus, sapor, odor, & reliqua accidentia realia in hostiâ consecratâ destruantur, magis quàm intentionalia. Ac proindè censeo hanc sententiam, salvâ doctrinâ Ecclesiæ, sustineri non posse.

VII. *Tanguntur in Eucharistiâ frigus, duritiesque, ergo ibi sunt.*

Quintò, dum quis tangit hostiam consecratam, verè aliquid tangit, sentit frigus, duritiem &c. ergo ibi sunt; vel inquiro quid tunc sentiat? dici nequit quòd sentiat species, species enim non percipiuntur, sed solùm sunt principium effectivum sensationum, id verò quod tangimus, gustamus &c. est aliquid à speciebus distinctum, alioqui esset perpetua sensuum illusio. Conf. objecta enim gustûs & tactûs non emittunt species, sed per se immediatè sensationes illas producunt, ut ostendi d. 16. de Ani. sec. 11. species enim solùm ordinantur ad supplendum vicem objecti, ubi ergo objecta ipsa semper adsunt, ut in his contingit, quæ tunquam agunt nisi applicentur sensui, non egent omnino speciebus, ergo nullæ hujusmodi species manent, cùm nullæ antea illic fuerint.

VIII. Dices, Concilium Tridentinum vocat accidentia Eucharistica species, ergo non sunt accidentia realia,

Quâ ratione Concil. Trident. Accidentia Eucharistica vocet species

realia, sed tantùm intentionalia. Contrà primò: alia Concilia indiscriminatim dicunt peractâ consecratione manere accidentia panis, ergo volunt non solùm manere accidentia intentionalia, sed etiam realia. Contrà secundò: cùm Theologi omnes eo tempore per species Eucharisticas intellexerint odorem, saporem, colorem, & alia accidentia realia, Concilium in sensu Theologorum illius temporis est loquutum, cùm præstantissimi quique ex omni terrarum orbe Theologi eidem interfuerint. Contrà tertiò: Ecclesia siquidem accidentia Eucharistica vocat signa, ait enim,

Sub diversis speciebus
Signis tantùm, & non rebus
Latent res eximiæ,

ergo vult illic manere accidentia realia, quæ sensu percepta ducant in cognitionem alterius, species autem, ut dixi num. 7. non percipiuntur sensu, sicque non sunt signa, nec accidentia illa, quæ hîc juxta mentem Ecclesiæ remanent. Nullâ ergo ratione hanc sententiam existimo probandam.

DISPUTATIO XIII.

De Modis.

Res, rerum series.

TRes sunt rerum species: quædam sunt, quædam insunt, quædam adhærent. In primâ serie sunt substantiæ completæ, ut Angeli & corpora simplicia, siqua fortè hujusmodi sint possibilia, anima item rationalis, & materia prima, hæc enim omnia ita per se sunt, ut causæ alterius creatæ adminiculo non egeant. Secunda classis est, formarum materialium, & accidentium hæc enim ita subjectis insunt, ut nullâ naturæ vi existere sine iis possint, quamvis possint divinitùs, ut constat in speciebus Eucharisticis. In tertiâ demum serie sunt Modi, non tam res, quàm rerum appendices, quæ rebus quarum sunt modi, ita adhærent, ut ab iis separati existere nec divinitùs quæant. De his in præsenti nobis sermo.

Modi non tam sunt res, quam rerum appendices.

SECTIO PRIMA.

In quo situs sit conceptus essentialis Modi.

I. *Non consistit Modus in inseparabilitate.*

NOtandum primò, non in eo præcisè consistere notionem Modi, ut volunt nonnulli, quòd sit quid inseparabile in existentiâ à re cujus est Modus: primò, quia sic Pater æternus esset modus respectu Filij. & è contrà & uterque respectu Spiritûs Sancti, cùm separari in existentiâ non possint. Secundò, quia creaturæ omnes essent modi respectu Dei, cum existere non possint, & Deo non coëxistere.

II. *Nec in eo quòd sit entitas nullius effectûs operativa.*

Secundò Notandum, nec in eo consistere naturam modi, quod dicunt aliqui, nempe ut sit entitas nullius effectûs operativa: Primò enim esto hoc conveniret modo, adhuc esset solùm proprietas modi, non ejus essentia, cùm videatur esse negatio, sicut non est essentia hominis non esse leonem, aut aliud quodpiam animal, licèt hoc essentiam illius necessariò sequatur. Secundò, materia in aliquorum opinione, nullius rei est operativa. Tertiò, cur saltem non potest Deus creare rem absolutam ita imperfectam, ut nihil possit producere? Quartò, actus visionis, & omnium sensuum quid producunt? Quintò, modi, in sententiâ relationes admittente, operativi videntur relationum per quas ad se invicem, & res alias referuntur.

III. *Modus est entitas incompleta intrinsecè, & essentialiter affixa alteri.*

Omissis variis, quæ confusissimè de naturâ modi hic à nonnullis congeruntur, Dico, essentialem modi conceptum in hoc consistere, quòd sit *entitas quædam incompleta intrinsecè per se & immediatè affixa essentialiter alteri*, unde nec divinitùs sine re cujus est modus, existere potest. Ita ferè P. Arriaga d. 1. Metap. sect. 1. ubi definitiones modi ab aliis assignatas bene impugnat.

Hinc infero, actionem transeuntem non esse propriè modum respectu agentis, sed tantùm respectu termini, si fit creatio, vel respectu termini simul & subjecti ex cujus potentiâ educitur, si fit generatio. IV. *Actio transiens non est propriè modus.*

Addo, actionem nec esse modum respectu Dei, tum quia intrinsecè Deum non afficit, nec ei unitur (sicut Unio Hypostatica intrinsecè unitur Verbo, quâ de causâ est illius modus) tum quia Deus ad res creatas concurrit in genere causæ efficientis, qui concurrendi modus est & rebus, & actioni extrinsecus. Quòd autem Deus actioni intimè semper sit præsens, non est exigentia actionis, sed Dei, qui ob infinitam suam in existendo perfectionem, seu immensitatem, petit esse ubique. Si autem Deus, sicut res creatas elevare potest ad agendum in distans, posset etiam ipse in distans operari, actio quâ Deus in cœlo tantùm vel sole existens, hominem hîc, aut leonem produceret, eodem modo persistere. Quod secus contingeret in unione Hypostaticâ, si enim dum Christus in terris degeret, Verbum per impossibile ad cœlum vel solem ita se recepisset, ut solis vel cœli unius se finibus contineret, relictâ humanitate in terrâ, periisset necessariò unio Hypostatica, nec in illo casu, vel per Divinam potentiam, conservari potuisset. V. *Actio non est modus respectu Dei.*

Ex quibus à fortiori constat quomodo res aliæ creatæ, ut terra, ignis, aqua, animalia, plantæ, &c. non sint modi respectu Dei, licèt existere non possint quin Deo coëxistant, eique intimè sint præsentes. VI. *Terra, aqua &c. non sùt modi respectu Dei.*

Licèt verò essentialis conceptus modi in hoc, ut dixi, consistat, quòd per se immediatè & intrinsecè alteri rei uniatur, necessitas tamen modos in universo statuendi fuit indeterminatio & indifferentia in rebus creatis ad effectus varios, & munera, ad quæ cùm seipsis determinatæ non sint, per modos determinantur, qui proinde naturâ suâ sunt actuales determinationes, nec ulteriori determinatione indigent, sic enim daretur processus in infinitum. Ex. g. forma ignis indifferens est ut hoc vel illo loco sit, huic vel illi parti materiæ uniatur, ab hoc vel illo agente producatur, &c. aliquid aliud ergo ei addi debet per quod ad hoc in particulari agens, locum, & materiam determinetur, actio scilicet, ubicatio, & unio, per quam triplicem determinationem triplex illa indifferentia tollitur. VII. *Unde proveniat necessitas statuendi modos.*

Nec contra hoc urget quod objicit P. Arriaga d. 1. Met. s. 1. n. 3. ubicationem scilicet & durationem esse modos, quæ tamen subjectum, cui adhærent, ad nihil determinant, spatium enim & tempus imaginarium nihil sunt. Resp. tamen primò, ubicationem & durationem fortè non esse modos, de quo postea. Secundò dico, spatium & tempus imaginaria, non VIII. *Vbicatio, & Duratio, si sint modi, determinant ad aliquid.*

esse purè nihil, sed negationes, de quo, suo loco; ad negationem autem dari potest respectus realis, ut constat tum in aliis, tum in potentiâ liberâ, quæ non respicit tantùm operationem, sed negationem operationis, seu omissionem, utpote quæ ita operatur, ut possit non operari.

IX. *Essentia modi non consistit in hac determinatione.*

Addo tamen in hac determinatione non consistere essentialem conceptum modi: unde non est cur hoc nomine subsistentiam quis à ratione modi excludat, quòd subjectum cui affigitur, cum aliquâ aliâ re non connectat: si enim sit immediata & essentialis unio sui cum subjecto, erit modus, licèt illud ad nihil determinet.

X. *Actio & unio in eâ ratione, in quâ sunt indifferentes, egent determinatione.*

Dices; non forma tantùm aut materia, sed ipsa etiam actio & unio indifferentes sunt ut sint hoc vel illo loco, nam nec actio nec unio perit quoties compositum aliquod loco movetur, sicut nec actio conservativa materiæ & animæ rationalis, cùm incedit homo, ergo modi ipsi egent ulteriore determinatione. Resp. distinguendo consequens, egent ulteriore determinatione in ea ratione in quâ sunt determinationes, nego consequentiam; in aliâ, concedo. Quoad aliud enim modi sunt quid absolutum. Sic punctum, vel linea continuativa, quæ unit immediatè partes formæ materialis, vel accidentis, quantitatis scilicet, vel albedinis, estque respectu illarum partium, modus, unitur tamen materiæ per unionem, vel inhærentiam distinctam, quia scilicet punctum illud vel linea non est modus respectu materiæ, sed solùm respectu partium formæ. Sic eodem modo unio vel actio non sunt modi in ratione connectendi partes cum spatio, sed actio ordinatur ad illas cum agente connectendas, unio ad connectendas inter se.

Idem est de unionibus continuativis quantitatis.

XI. *Modus, in eâ ratione in quâ est modus, numquam est indeterminatus.*

Numquam ergo modus est indeterminatus in eâ ratione in quâ est modus, quòd autem in aliâ sit, nihil refert ob rationem dictam. Actio itaque non potest produci aliâ actione, nec unio aliâ unione uniri, & alia hujusmodi, sic enim daretur processus in infinitum. In omnibus ergo prædicatis quæ sunt per participationem talia, veniendum est ad aliquid quod sit tale per essentiam: unde sicut cùm creatura sit ens per participationem, arguimus debere esse principium aliquod seu primam causam, quæ sit ens per essentiam, seu quod necessariò existat, & aliunde suũ esse non accipiat, ne procedatur in infinitum; ita similiter in aliis etiam rebus tandem deveniendum est ad unum aliquid, quod sit per essentiam tale, ex quo alia denominationem illam accipiant, alioqui, ut dictum est, procedetur in infinitum.

SECTIO II.

Vtrùm Modus sit possibilis.

I. *Opinio asserens modos esse impossibiles.*

INgeniosus quidam Recentior ita modos omnes aversatur, ut non solùm eos tanquam inutiles è scholis ablegandos censeat, sed rejiciendos etiam ut impossibiles, utpote Deo injuriosos, ejusque libertati ac pleno in res omnes dominio contrarios.

II. *Arguitur primò, quod modus deroget libertati Dei.*

Arguit primò: Modus talis est naturæ, ut sine subjecto suo seu termino existere nequeat, nec divinitùs, ergo non potest Deus creare modum, quin velle debeat rem aliam, vel alias, si sit modus plurium, unà cum illo producere, hoc autem apertè cum plenâ Dei libertate & dominio pugnat, cùm disponere de rebus creatis pro libito non possit, unamquamque scilicet independenter ab aliâ producendo & conservando, hic enim, ad nutum quasi modi res quasque perfectissimas creare tenetur, ut hominem vel Angelum, si ubicationem ex. g. humanam creare velit, vel Angelicam. Hoc autem Deum non parùm dedecere videtur.

III. *Contrà: modus pro nullo priori est ad rem modificatam.*

Sed contrà, hoc enim argumentum procedit quasi modus supponeretur jam positus, & postmodum in instante aliquo, tempore vel naturâ posteriore, ad illius exigentiam necessitetur Deus rem aliquam ab eo modificandam apponere, sicque veluti vim quandam Dei libertati inferre, cùm non pro suâ voluntate, sed pro modi exigentiâ cogatur hominem aut Angelum producere. Hæc autem suppositio est planè contra naturam modi, is etenim semper vel simul est, vel etiam posterior re modificatâ, hæc enim à modo est independens, & sine eo existere, etiam naturaliter potest, ut anima rationalis sine unione; modus autem sine re modificatâ existere nequit, nec divinitùs.

IV. *Ostenditur per modum non derogari dominio, vel libertati Dei.*

Resp. itaque nullam hîc vim vel libertati Dei inferri, vel dominio: ad plenam enim & perfectam libertatem sufficit quod possit Deus quovis instante rem quamcunque producere vel destruere, ut hîc contingit, licèt enim posito quòd velit modum producere, necessarium ei sit eodem instante rem illam producere, ad quam modus essentialem dicit ordinem, ut actualis illius affectio, simpliciter tamen in plenâ Dei potestate est ifthæc omnia hoc instante producere, vel non producere, sicque integra ei perstat libertas.

V. *Aliud est, si modus existeret independenter à voluntate Dei.*

Verum est quidem, si modus independenter à Dei voluntate existeret, infringeretur ejus libertas: tum quia rem extra se positam producere vel annihilare pro libito non posset, tum quia independenter à suâ voluntate cogeretur ex intrinseco ad rem aliam (modo id exigente) producendam, sicque manifesta vis & libertati ejus inferretur, & dominio.

VII. *Arguitur secundò: implicat duratio potens durare per horam, ergo & modus.*

Arguit secundò: dari nequit creatura, duratio ex. g. extensivè indivisibilis, seu quæ essentialiter petit durare per horam, vel diem. Cujus ratio est, quia ejusmodi duratio derogaret libertati & dominio Dei, quòd scilicet teneretur eam conservare per horam, ergo etiam repugnat creatura quæ Deum necessitet ad producendam aliam, cùm non minùs infringatur Dei libertas, si teneatur novam creaturam ad alterius exigentiam producere, quàm si eamdem teneatur conservare.

VII. *Multi dicunt non implicare hujusmodi durationem.*

Resp. asserere multos ejusmodi durationem non implicare, inter quos est P. Arriaga d. 15. Phy. s. 2. nu. 64. & alij, qui aiunt, non derogare eam dominio Dei, quia absolutè in ipsius potestate erat producere eam primò, vel non producere, ipso facto autem quòd videns eam semel productam ante horam destrui non posse, vult nihilominus illam producere, volendo producere, vult virtualiter eam per horam conservare.

VIII. *Disparitas inter hujusmodi durationem, & modum.*

Ego hujusmodi durationem existimo aliâ de causâ esse impossibilem, ut postea ostendam. Dico tamen ab hujus impossibilitate nullam deduci consequentiam ad impossibilitatem omnis modi. Ratio disparitatis est manifesta, quam ante assignavi, in hoc enim sita est libertas Dei, & dominium in res creatas, quòd quovis instante integrum ei sit rem quamvis absolutè producere, vel non producere, conservare, vel instruere: hæc autem duratio, licèt liberè in instante A sit producta, non potest in instante B & reliquis usque ad finem horæ destrui, sicque derogat libertati Dei.

IX. *Arguitur tertiò ab incommode.*

Arguit tertiò: si possit dari modus, seu entitas quæ essentialiter petat ad productionem sui rem aliam existere, ergo & dari creatura potest, quæ petat essentialiter ut pluat singulis diebus Dominicis, & alia ejusmodi.

Contrà primò, qui statuunt potentiam obedientialem

X.

Aliud quoad exigentiam naturalem est in conditionibus physicis, & moralibus.

tialem latam, dicunt posse gratiam poni in lapide, albedinem in Angelo, &c. Nullus tamen, opinor, dicet esse possibilem gratiam, vel albedinem, quæ poni tantùm possint in Angelo & lapide diebus Dominicis. Ratio est, quia esse diem Dominicum est quid morale: sicut nec dicet quisquam esse possibilem calorem qui informet eum tantùm hominem, qui appellatur Petrus. Imò, qui admittunt conditiones physicas extrinsecas, (quas universim nemo negare potest) ut in communi sententiâ dicitur Angelum non posse connaturaliter recipere speciem intuitivam completam rei existentis donec res illa existat: nullus tamen propterea dicet esse possibilem ignem qui stuppam sibi applicatam comburere tantùm possit diebus Dominicis, aut aquilâ versus orientem volante. Est Ergo modus in rebus, & certi à naturâ præscripti fines, qui ad effectus quoscunque exoticos, sive in genere causæ formalis sive efficientis non sunt extendendi.

XI. *Hoc inconveniens non minùs sequitur in naturali exigentiâ, quàm in essentiali.*

Contrà secundò, admittunt omnes dari res aliquas quæ saltem connaturaliter exigant productionem aliarum, calor ex. g. ut octo petit productionem formæ ignis, aqua petit frigus intensum, & sic de aliis. Inquiro ergo utrùm hinc sequatur dari posse creaturam quæ connaturaliter petat ut pluat diebus tantùm Dominicis, aut fele murem comedente? Negabunt omnes. Idem ergo dictum esto de exigentiâ essentiali.

XII. *Quod dictum est de exigentiâ, idem dicendum de exclusione è rerum naturâ.*

Arguit quartò: si possint dari hujusmodi entitates, quæ essentialiter petant productionem alicujus alterius, ergo possibilis est creatura quæ essentialiter alias omnes è rerum naturâ excludat, quâ proinde productâ, nihil aliud produci poterit, vel divinitùs. Sed contrà, aliquæ res sunt, quæ connaturaliter postulant aliarum quarundam ex eodem subjecto exclusionem, ut calor frigoris, una forma substantialis, alterius; & ex eodem loco homo hominem propellit; malè tamen hinc quisquam intulerit, formam aliquam esse possibilem, quæ connaturaliter petat ut nulla alia res producatur, aut hominem quempiam, qui naturaliter exigat homines reliquos ex omni loco, ipsaque adeò rerum naturâ expelli, ac destrui. Malè ergo hoc idem infertur de exigentia essentiali.

XIII. *Certum videtur dari inter res aliquas essentialem antipathiam.*

At verò inter res aliquas dari hujusmodi essentialem antipathiam & exigentiam; videtur negari non posse. Ut enim omittam de amore & odio, gratiâ & peccato, rectitudine & curvitate ab eodem subjecto in eodem loco sese mutuò excludentibus. De unione certè Hypostaticâ nullo modo dicendum videtur posse eam simul cum peccato consistere, summa enim sanctitas & pulchritudo summam fœditatem secum eidem animæ unitam non patitur.

XIV.

Dicet fortasse aliquis, uniri quidem eidem posse unionem Hypostaticam & peccatum, neutram tamen denominationem suam illi homini daturum, sicque in illo casu nec denominaretur peccator per peccatum, nec sanctus per unionem, sicut multi philosophantur de gratiâ habituali & peccato, amore & odio, & similibus.

XV. *Unio Hypostatica & peccatum stare simul nequeunt, nec divinitùs.*

Contrà primò, quicquid sit de gratiâ & peccato, de unione tamen Hypostaticâ peculiaris est difficultas, verè enim homo ille esset Deus, mirum autem est quòd unio Hypostatica eum in hoc casu denominaret Deum, & non denominaret sanctum. Contrà secundò, sicut hîc auctores isti ut unio, gratia, amor, scientia, & aliæ hujusmodi entitates dent suas denominationes, tanquam conditionem essentialem requirunt absentiam peccati, erroris, odij, &c, idque sine præjudicio vel libertatis, vel dominij Dei, quidni & nos sine eorumdem præjudicio requirere easdem conditiones poterimus, ut res illæ existant?

Positâ ergo modorum possibilitate, priùs quàm ad modos in particulari descendamus, nonnulla generatim de eorum existendi, & terminos afficiendi modo inquiramus, ut illorum natura clariùs innotescat.

SECTIO III.

Utrùm modus possit creari.

I. *1. Sent. negat posse modos creari.*

PSuarez d. 16. Met. s. 2. n. 16. negare videtur posse modum creari, saltem quoad modos accidentales. Vasq. idem absolutè asserere videtur quoad omnes, 1. p. d. 174. c. 6. n. 16. & alij non pauci.

II. *Modi omnes, præter actionem, possunt creari.*

Dico tamen modos omnes, exceptâ actione, creari posse. Ita P. Hurtado d. 12. Phy. s. 5. Oviedo cap. 13. Phy. p. 5. & plurimi recentiores. Ante probationem conclusionis. Notandum, modum, unionem, e.g. duplicem habere rationem & conceptum respectu sui subjecti, seu rei modificatæ: primus est conceptus intimæ affectionis, & modificationis, quâ ita essentialiter affigitur modus subjecto, ut nec divinitùs dimoveri ac divelli ab eo possit, ita ut existat: cùm enim sit ex essentiâ suâ actualis affectio & modificatio sui subjecti, si separaretur ab eo, non illud modificaret actu, ac proinde mutaret essentiam. Altera ratio est quâ pendet modus à subjecto tanquam à sustentante, seu influente in illum materialiter per actionem eductivam: cùm ergo hoc non habeat modus per se, sed per actionem distinctam, poterit Deus hanc causalitatem subjecti in modum supplere, & loco actionis generativæ, seu eductivæ substituere creativam, ita ut subjectum, licèt necessariò semper sit subjectum intimæ affectionis, seu adhæsionis. non tamen sit subjectum sustentationis, seu subjectum influens in modum per ullam causalitatem & influxum.

Duplex ter pendet modus à subjecto.

III. *Ostenditur unionem posse creari.*

Cùm ergo unio, ubicatio & ejusmodi alij modi non sunt ex conceptu suo intrinseco actio, seu influxus, sed habeant effectum formalem longè ab actione diversum, sicque pendeant à subjecto per actionem à se distinctam, licèt communiter generentur seu producantur per actionem eductivam, dum scilicet producuntur ab agentibus naturalibus, quidni tamen possit Deus solus modum illum producere sine concursu subjecti, & sic eum creare?

IV. *Quòd modus essentialiter dependeat à subjecto, non obstat creationi.*

Dices; ideò non posse, quia modus omnis est essentialis dependentia à subjecto. Distinguo, est essentialis dependentia, id est, necessariò afficit subjectum, concedo, est dependentia à subjecto tanquam ab influente, nego: hæc autem sola dependentia est quæ impedit creationem. Et cùm dicitur id generari quod producitur dependenter à subjecto, sensus est, si producatur dependenter à subjecto influente, cùm sola passio propriè dicta sit quæ tollit creationem, passio autem propriâ dicta est influxus subjecti in actu secundo. Licèt ergo modus sit ex essentiâ suâ dependentia à subjecto, non tamen est necessariò dependentia à subjecto influente, sed dependet ab eo per actionem & influxum à se distinctum, qui proinde suppleri à Deo potest, sicut influxus ad res alias absolutas.

V. *Modi omnes, præter actionem, pendent à subjecto per actionem distinctam.*

Quid autem modus omnis præter actionem pendeat ab agente, & consequenter à passo, seu subjecto sustentationis per actionem & influxum à se distinctum, probatur: eâdem enim unio successivè conservari potest à diversis agentibus, ut unio & forma ignis jàm ab hoc, jàm ab illo ignè, jàm à Deo; à quocunque autem conservetur, semper habet eundem effectum formalem uniendi & immediatè afficiendi suum subjectum, ergo distinguitur ab actione & influxu

influxu agentis, ergo & ab influxu passi & subjecti, seu à passione, cùm actio & passio identificentur, ergo si actio distinguitur realiter ab unione, passio realiter ab eâdem distinguatur necesse est.

VI. *An modi essentialiter pendeant à subjecto à priori.*

Dices; modus essentialiter pendet à subjecto à priori, ergo non potest creari. Resp. si per pendere à subjecto à priori intelligatur pendere ab illo essentialiter per verum & physicum influxum, nego antecedens; licèt enim aliqui modi hac ratione pendeant à subjecto, non tamen est ipsis hoc essentiale, nec de conceptu modi: Si autem per pendere à priori intelligatur solùm pendere à subjecto tanquam ab aliquo, quod quocunque modo requiritur ut modus sit, concedo antecedens: hoc autem non obstat creationi, sed solùm influxus materialis seu passio quæ est dependentia à subjecto sustentante, & influente, hac autem dependentia non est modò essentialis, ut ostensum est. Sic Verbum Divinum est aliquo modo prius unione Hypostaticâ, & tamen non dependet verè unio Hypostatica ab illo propriè à priori, seu tanquam ab influente. Est ergo priorias subjecti respectu modi solùm quasi subsistendi consequentiâ; benè enim sequitur, *est hic modus, ergo est hoc subjectum*, non tamen è contrà, *est hoc subjectum, ergo hic modus*, hæc tamen non est vera dependentia per verum & physicum influxum, ut constat in exemplo proximè allato de Verbo Domini respectu unionis Hypostaticæ.

VII. *Duplex modi dependentia declaratur exemplo visionis.*

Unde Modus, quà talis, non pendet à subjecto, seu termino propriè ut à priori, seu ab influente, sed solùm ut à conditione aliquâ antecedente, vel comitante; sicut ignis pendet ab approximatione, ut comburat, vel aptiùs ad rem nostram, sicut visio duplici modo pendet ab objecto, & ut à terminante per suam entitatem, & movente, seu influente in actum per speciem, & Deus potest supplere hoc secundum, primum autem secundùm multos supplere non potest: sic in Modo supplere potest Deus influxum subjecti, non tamen dependentiam per intimam affectionem, cùm hæc sit ipsa essentia Modi.

VIII. *Totum compositum potest creari.*

Hinc infertur totum compositum creari posse; de formâ enim & materiâ nulla est difficultas sed etiam creari potest unio, ut ostensum est, ergo. Sicut autem licèt utraque pars creetur, si tamen unio generetur, dicitur ratione illius compositum generari, ita si unio crearetur, licèt utraque pars generaretur, videtur compositum dici posse creari, nempe formaliter, seu in ratione compositi.

SECTIO IV.

Inquiruntur quædam circa naturam Modorum.

I. *An modus respicere possit subjectum vagè.*

QUæres primò, possitne modus respicere subjectum indeterminatè, & vagè? Resp. si subjecta aliqua ita essent essentialiter determinata ad aliquem unum Modum in particulari, ut non forent indifferentia ad alios, tunc posset Modus indeterminatè respicere varia subjecta, licèt in eo casu vice versâ subjecta illa essent modi, & hujusmodi modi res absolutæ. Si autem dicatur & subjecta esse indeterminata, & etiam modos, tunc non possent modi respicere subjecta vagè, sic enim alio egerent determinativo, cùm utrimque foret indeterminatio & indifferentia, sicque essent res absolutæ. Conf. non minùs essentialem ordinem physicum dicit modus ad subjectum, quàm visio ad objectum, sed visio non potest esse indeterminata ad objectum, ut in Logicâ probavi d. 44. s. 6. &. d. 45. s. 1. cùm sit imago & similitudo hujus objecti, & non alterius, ergo nec modus indeterminatus esse poterit ad subjectum. Ratio autem à priori est, quia modus est ex essentiâ sua determinatio actualis rei indifferentis, ergo non debet ipse esse indifferens, sic enim egeret alio determinante, & non esset actualis determinatio per suam essentiam, sed solùm aptitudinalis, adeoque non modus.

II. *Dari potest unio, qua plures terminos inter se connectat.*

Quæres secundò, utrùm dari possit unio, quæ connectat plures terminos inter se? Negat P. Suarez To. 1. in 3. p. d. 13. s. 1. *Deinde quod*, & alij. Dico tamen, id non videri impossibile: primò enim naturaliter contingit, idem enim punctum in centro cujusque rei habentis trinam dimensionem, unit lineas ab omni parte in centrum confluentes: & idem est de quacunque unione continuativâ. Unde puto, dari posse unionem informationis, quæ sit connexio duarum vel plurium formarum eidem materiæ, & è contrà; & unionem etiam Hypostaticam, quæ tres Personas Divinas eidem humanitati, & unam Personam tribus humanitatibus uniat. Ratio est, quia cùm duæ vel plures formæ uniri supernaturaliter possint eidem materiæ, & plures naturæ eidem Personalitati Divinæ, quid vetat esse possibilem unam unionem per quam iis connectantur?

III. *Modus, qui est purè modus, non potest uniri per unionem distinctam.*

Quæres tertiò, an possit modus per unionem distinctam uniri alteri subjecto? suppono sermonem esse de eo qui est purè modus, qualis est unio inter animam & corpus; aliqua enim sunt quæ quamvis sint modi respectu aliquorum, ut uniones continuativæ partium albedinis, & formæ substantialis materialis, ut dixi suprà s. 1. n. 10. respectu tamen aliorum sunt formæ absolutæ, unde tota quantitas & albedo unitur materiæ per unionem distinctam. Loquendo itaque de purè modo, existimo hoc fieri non posse. De quo plura infrà d. 41. sec. 8. n. 5. 6. & septimo.

IV. *Modus existere nequit sine termino suo adæquato.*

Quæres quartò, utrùm existere possit modus sine termino suo vel adæquato vel inadæquato? Quoad terminum adæquatum, certum omnino est, modum, unionem ex. g. uno tantùm loco existentem, non posse esse sine termino adæquato, cùm, ut vidimus s. 1. sit modo essentiale actu termino suo uniri. Idem existimo licèt modus statuatur in diversis locis disjunctis, ut unio inter animam & corpus Petri hic statuatur, & Londini, existimo vtrobique necessariò statuendum esse & corpus & animam Petri: cùm enim unio sit essentialiter actualis nexus utriusque, ubicunque est unio, debet actu ea unire, alioqui esset alicubi sine suâ essentiâ.

V. *Difficultas est de termino modi inadæquato.*

Quoad terminum inadæquatum, non est usque adeò certum, imò omnes absolutè dicunt, non esse necessarium ut modus ubicunque est, habeat terminum suum adæquatum, sed sufficere si habeat inadæquatum. Ad hanc ergo difficultatem enodandam statuam sectionem sequentem.

SECTIO V.

Dari ne possit Actio, unio, vel ubicatio indivisibilis.

I. *Modus est Relatio transcendentalis ad terminum existentem.*

SUppono cum Philosophis omnibus qui modos admittunt, modum esse relationem transcendentalem, sicque per se adæquatè esse determinationem essentialem ad subjectum suum seu terminum, ita ut totus hic respectus modi ad terminum existentem non minùs in solâ modi entitate situs sit quàm relatio transcendentalis in Angelo, homine, aut igne respectu actuum & effectuum possibilium.

II. Notandum, tripliciter posse unionem vel actionem indivisibilem concipi respicientem terminum divisibilem, hominem ex. g. Primò, ita ut totus homo

Unio, actio, &c. concipi possunt indivisibiles tripliciter.

mo seu omnes ejus partes ponantur in unico puncto, vel indivisibili spatij, in quo etiam puncto sit actio & unio. Secundò, ita ut actio & unio indivisibilis & terminus non sint in unico solo indivisibili spatij, sed utrumque extensum per spatium aliquod divisibile, ita tamen, ut totus terminus, & omnes illius partes sint in singulis partibus & punctis spatij, sicut & ipsa actio & unio, eâ scilicet ratione qua Corpus Christi indivisibiliter totum existit sub singulis partibus & punctis specierum Sacramentalium. Tertiò demum ita, ut licèt actio vel unio, utpote indivisibiles, sint totæ in toto, & totæ in qualibet parte spatij, terminus tamen sit extensus per spatium secundùm diversas sui partes, ita ut una pars termini sit in hac parte spatij, altera in aliâ, &c. & de omnibus his tribus modis procedere potest quæstio.

III. *Res divisibilis in puncto uniri potest unione indivisibili.*

Prima conclusio: primo modo nullum videtur dubium, quin possit unio vel actio indivisibilis afficere terminum indivisibilem. Ratio videtur clara, cùm enim partes omnes sint in eodem indivisibili, seu puncto spatij inter se penetratæ, nihil obstare potest quo minùs, saltem divinitùs, eadem indivisibilis actio vel unio eas afficiat.

IV. *Res tota in toto, & tota in qualibet parte, uniri etiam potest unione indivisibili.*

Secunda conclusio: nil etiam impedit quo minùs detur actio & unio indivisibilis, quæ respiciat rem divisibilem secundo modo suprà in notatione positio, seu totam in toto, & totum in qualibet parte existentem. Probatur & explicatur conclusio ex præcedente: sicut enim non implicat ut detur aliqua unio indivisibilis, quæ respiciat plures partes ejusdem rei in indivisibili seu puncto constitutæ, ita quidni multiplicari poterit tam res quoad omnes partes, quàm unio, sicque unio in singulis partibus & punctis spatij habebit terminum suum adæquatum? Quæ omniâ clariora fient ex tertiâ conclusione.

V.

Difficultas ergo præcipuè procedit de tertio modo, quo scilicet modus aliquis indivisibilis determinaretur ad rem vel spatium divisibile, ita scilicet, ut actio, unio, vel ubicatio sint totæ in singulis partibus & punctis spatij, terminus verò non totus in singulis partibus, sed secundùm diversas sui partes per spatium extensus, ita ut una ejus pars sit in unâ parte spatij, alia in aliâ, sicut de unione spirituali, quam ponunt multi in homine, & de ubicatione Angelicâ indivisibili respectu spatij divisibilis plerique philosophantur. Hujusmodi ergo actionem, unionem, & ubicationem non repugnare tenent auctores quos vidi omnes, cum P. Hurt. d. 2. de Anim. s. 3 imò ipse de facto dari asserit unionem spiritualem in homine, & indivisibilem, quæque tota singulas ejus corporis partes afficiat, sicut anima indivisibilis eas omnes ubique tota informat. Idem cum ipso docent ij omnes qui ubicationem Angeli, quâ occupat spatium divisibile, esse aiunt indivisibilem, & totam singulis spatij partibus eum affigere. Et à fortiori dicent illi hujusmodi ubicationem aut unionem non repugnare, qui cum P. Arriaga hîc d. 15. s. 2. n. 64. asserunt possibilem esse durationem indivisibilem petentem essentialiter durare per horam, de quo posteà.

Communis sententia est hujusmodi unionem indivisibilem non repugnare.

VI. *Implicat unio indivisibilis respectu termini divisibilis divisibiliter existentis.*

Tertia conclusio: non solùm unio quæ est inter animam & corpus in homine, & ubicatio omnis Angelica figens Angelum spatio divisibili, est divisibilis, & constans ex partibus integrantibus, sed probabiliùs existimo implicare unionem, actionem, vel ubicationem, quæ in se indivisibiles correspondeant spatio, materiæ, aut termino divisibili, connaturaliter, seu divisibiliter existenti.

VII. *Ratio à priori.*

Probatur primò, ubicatio, actio, & unio si sint indivisibiles, ubicunque sunt, debent habere totam suam essentiam, sed si respiciant locum, terminum, & materiam divisibiles divisibiliter existentes, non possunt ubicunque sunt, habere totam suam essentiam, ergo non potest dari hujusmodi unio, actio, & ubicatio, Major est certa, si enim sint indivisibiles entitativè, ubicunque sunt, totæ sunt, ergo ubique est tota earum essentia, cùm partes non habeat. Minor itaque, in qua est difficultas, probatur: essentia ubicationis indivisibilis diffusæ ex. g. per totum hoc gymnasium (idem est de unione & actione respectu suorum terminorum & subjectorum) est actu figere Angelum toti huic gymnasio, seu omnibus ejus partibus, sed hæc ubicatio, ubicumque est, non figit Angelum toti gymnasio, seu omnibus ejus partibus, ergo. Probatur minor, in angulo orientali non figit Angelum angulo occidentali, nec è contrà, in medio non figit eum extremitatibus, in extremitatibus non affigit medio &c. ergo ubicunque est, non habet eandem essentiam, sed diversa prædicata, in una parte spatij, & in aliâ.

Dices; essentia quidem ejus est figere Angelum toti spatio, sed non est necessarium ut ubique exerceat totam suam essentiam, sicque est ubique tota essentia, non tamen ubique tota exerceat. Contrà, essentia hujus ubicationis est actuale exercitium, & in actu secundo seu actualis fixio Angeli in toto illo spatio, ergo idem est essentiam ejus esse in toto spatio, & in toto esse exercitam, nam esse est exercere, ergo ubique totum exercet quod ullibi exercere potest.

VIII. *Quorum essentia est exercitium, ubique illam exercere debent.*

Secundò probatur conclusio, & declaratur magis præcedens ratio; hæc ubicatio in spatio A, habet reale prædicatum, quod non habet in spatio B, ergo realiter distinguitur ubicatio in hac parte spatij ab ubicatione in illâ, ergo habet diversas partes. Prima consequentia videtur certa, cùm ideò duo equi, leones, vel homines distinguantur realiter, quia diversa habent prædicata realiter distincta. Antecedens itaque probatur, actu figere Angelum spatio B, est reale prædicatum realiter identificatum cum hac ubicatione, sed hoc non habet in spatio A, ergo. Probatur minor, hæc ubicatio in spatio A, non figit Angelum spatio B, sed solâ spatio A, cùm in spatio A Angelus & ubicatio non sint intimè præsens alteri spatio quàm spatio A, nulli autem spatio figit Angelum in spatio A, nisi cui illic reddit eum intimè præsentem, ergo si in spatio A, non reddat Angelum intimè præsentem spatio B, non figit ipsum ibi spatio B; sed figere Angelum spatio B, est reale prædicatum, & hoc non habet in spatio A, ergo in spatio B, habet reale prædicatum quod non habet in spatio A, ergo ubicatio in spatio B, est realiter distincta ab ubicatione in spatio A, vel saltem diversa pars ejusdem ubicationis, sicque habet partes, & consequenter non est realiter indivisibilis.

IX. *Sequitur talem ubicationem in uno loco habere reale prædicatum, quod non habet in alio.*

Implicat ubicatio Angelica indivisibilis.

Dices; essentia hujus ubicationis est ut habeat hoc totum, nempe ut sit affectio totius seu omnium partium illius spatij, ita ut hîc sit affectio hujus partis spatij, ubi illius. Sed contrà; hoc enim est perinde ac dicere essentiam ipsius esse, ut non habeat ubique totam suam essentiam, sed hîc unam partem, ibi aliam, cùm essentia ipsius juxta hanc responsionem sit; ut hîc habeat prædicatum aliquod reale quod ibi non habet, ergo ubicatio hæc non est indivisibilis sed divisibilis secundùm diversas partes integrantes heterogeneas.

X. *Hæc ubicatio haberet, & non haberet partes.*

Probatur tertiò: Si possit modus esse alicubi sine termino inadæquato, modò illum alibi habeat, ut unio illa hominis tota esse in pede, absque eo quòd illic afficiat manum, sequitur posse modum esse alicubi sine omni termino, modò illum alibi habeat, sicque posset actio qua Angelus conservatur in cælo, protendi ad terram, Angelo in cælo tantùm existente. Ratio est quia non est magis actio illa essentialis affectio totalis termini, quàm partialis, ergo

XI. *Si modus possit esse sine termino inadæquato poterit similiter esse suis adæquato.*

non

non magis potest ullibi sine hoc existere, quàm sine illo.

XII. *Possint ubicatio, actio & unio singulis instantibus mutare terminos.*

Quartò: ideò non potest hæc ubicatio, actio, vel unio in secundo instante afficere novum aliquod spatium, terminum, vel subjectum, quod non afficiebat in primo, ut si in primo instante figebat Angelum huic gymnasio, non potest eadem ubicatio secundo instante figere Angelum illum palmo spatij proximo, esto retineat totum spatium in quo antè fuit: cujus ratio est, quia sic in primo instante non habuisset totam suam essentiam, cùm in secundo instante haberet novum prædicatum reale, quod non habebat in primo, sicque non esset eadem ubicatio, sed diversa, saltem partialiter, non minùs autem implicat, si est ubicatio indivisibilis, ut hîc habeat prædicatum aliquod reale, quod non habet ibi, quàm ut nunc habeat prædicatum reale quod non habuit anteà: sicut enim quod semel est, semper est, ita quod hîc est, ibi est, ergo.

XIII. *Posset unio inter materiam & formam ignis esse alicubi sine altero extremo.*

Quintò; apud omnes in confesso est non posse unionem inter materiam & formam ignis, vel aquæ constitui in alio loco sine toto suo termino, seu absque eo quòd uniat duo illa extrema, quia scilicet est essentia illius connectere illa inter se, & ubicunque est, debet habere totam suam essentiam, sed non minùs est de essentiâ unionis vel ubicationis indivisibilis actu afficere omnes partes termini, & spatij, ergo ubicunque est, afficere debet omnes, cùm ubicunque est, non minùs habere debeat totam suam essentiam, quàm unio inter materiam & formam equi, ignis, vel aquæ.

XIV. *Idem est de unione triũ formarum cum eâdem materiâ.*

Sextò: ponamus unionem cujus essentia esset connectere tres formas eidem materiæ, non potest, nec per Divinam potentiam hæc unio ita statui in tribus locis, ut in uno connectat materiæ illi formam A solam, in alio solam formam B, & in tertio formam C, licèt enim tunc videatur habere totam suam essentiam, cùm ex essentiâ suâ solùm petat unire has tres formas, quas in hoc casu uniret, non tamen existimo à quoquam hoc concedendum. Cujus ratio unica est, quia cùm essentia ipsius sit actualis unio trium formarum, ubicunque est, actu unire debet tres formas, ergo idem est in nostro casu.

XV. *Implicat ut actus repræsentativus trium colorũ non sit illorum ubique repræsentativus.*

Septimò tandem: actus intellectùs indivisibilis, quo homo quispiam repræsentat tres colores, albedinem videlicet, nigredinem, & viriditatem, secundùm multos diffunditur per totum corpus, sicut anima quam informat, secundùm omnes est in loco divisibili in capite e. g. ponamus itaque diffundi per totum corpus, hic actus quia est indivisibilis: ubicunque est, est repræsentatio horum trium colorum, in capite ex. g. est repræsentatio omnium trium, in pede eorundem, in manu &c. ita ut Angelus intuitivè videns hunc actum, sive illum in pede intueatur, sive in capite, sive in aliâ quacunque corporis parte, videat eum esse repræsentationem indivisibilem trium, nec potest ullibi esse, & non esse repræsentatio trium, sic enim non haberet ubique eandem essentiam. Idem ergo est in præsenti de unione in homine respectu capitis, manûs, pedis, &c. & ubicationis respectu diversarum partium spatij.

XVI. *Angelus intellectivus ut quatuor, ut cunque est, est intellectivus ut quatuor.*

Conf. Angelus aliquis cujus essentia est esse intellectivum ut quatuor, etiamsi extendat se per totum hoc gymnasium, imò totam civitatem, & ad ultimum suæ sphæræ, adhuc in singulis partibus & punctis illius spatij, necessariò esse debet intellectivus ut quatuor in actu primo, quia hæc est ejus essentia, nec magis potest esse intellectivus ut quatuor in hac parte spatij, ut tria in illâ, ut unum in aliâ, & sic de cæteris, quàm potest dari res aliqua quæ hîc sit aqua, ibi aër, alibi terra, lignum, lapis, &c. ita ut ratio lapidis non distinguatur realiter à ligno, & reliquis: sicut nec color quispiam dari potest, qui hîc sit albedo, ibi nigredo, &c.

SECTIO VI.

Argumenta contendentia possibilem esse ubicationem aut unionem indivisibilem respectu termini divisibilis.

I. *Ostenditur aperta disparitas inter Angelum, & modos.*

OBjici potest primò; anima rationalis & Angelus sunt indivisibiles, & tamen correspondet illa diversis partibus corporis, hic spatij, ergo nil obstat quominùs detur unio vel ubicatio indivisibilis, quæ simili modo correspondeat spatio vel materiæ divisibili. Respondetur negando consequentiam, in animâ enim non sequitur hoc inconveniens, nempe quòd haberet prædicatum reale in uno loco, vel parte corporis, quod non habeat in aliâ, cùm non sit prædicatum essentiale animæ actu uniri corpori, sicut est unionis, unde & existere potest separata ab omni corpore, quod tamen non posset, si uniri corpori esset prædicatum realiter cum animâ identificatum, seu illius essentia.

II. *Obic. Angelus per unionem est totus in toto, & totus in qualibet parte, ergo & ejus ubicatio.*

Objicies secundò; Angelus diffusus per totum hoc gymnasium est totus in toto & totus in qualibet parte hujus spatij, & hoc habet formaliter ab ubicatione, ergo ubicatio ipsa debet esse tota in toto & tota in qualibet parte illius spatij, nihil enim dare potest in genere causæ formalis, nisi quod in se habet formaliter, alioqui dabitur effectus formalis sine causâ formali. Hoc argumento usi sunt quidam recentiores ad probandum omne ubi Angelicum, & animæ rationalis de facto esse indivisibile, ac totum in toto, & totum in qualibet parte spatij. Sed contrà, nam adversarij ipsi non negant posse per Divinam potentiam poni rem aliquam totam in toto, & totam in qualibet parte spatij, per ubicationem divisibilem, & quæ habeat partes, imò plurimi ex ipsis de facto ajunt ejusmodi esse unionem Corporis Christi in Eucharistiâ, ergo in hoc solvere ipsi debent suum argumentum, cùm non minùs ibi sequatur esse effectum formale sine causâ formali, quàm hîc.

III. *Contrà: sustentatur omnes Angelũ per duas ubicationes totales posse esse in hoc gymnasio.*

Et saltem per Divinam potentiam, in hoc gymnasio ita statui potest Angelus, ut per unam ubicationem totalem sit in unâ medietate scholæ, & per aliam in aliâ: vel quando Angelus est in unâ parte suæ sphæræ, non negabunt adversarij posse eum se extendere ad aliam; & acquirere novam ubicationem totalem, seu non unitam præcedenti, idque non amittendo priorem: sicut etiam quidni, saltem divinitùs, posset anima, dum simul movetur manus & pes, acquirere duas ubicationes distinctas, illis motibus correspondentes? in quibus omnibus casibus eadem est difficultas atque in nostrâ sententiâ.

IV. *Resp. itaque ubicationem non debere esse totam in toto spatio, ut quod, sed ut quo,*

Resp. itaque distinguendo consequens, ergo ubicatio ipsa debet esse tota in toto, & tota in qualibet parte, *ut quod*, nego consequentiam; *ut quo*, id est, debet esse ratio illa per quam Angelus est totus in toto, & totus in qualibet parte, concedo. Ad hoc autem perinde est sive sint plures ubicationes disparatæ, seu inter se non unitæ, sive una composita ex multis partialibus: tamen ipso facto quòd intelligatur pars hujus ubicationis figere Angelum totum in hoc puncto, vel parte spatij, & alia pars eum totum figere in proximâ, & sic de cæteris, sufficienter, imò necessariò intelligitur constituere ipsum totum in toto; & totum in qualibet parte spatij. Quid hinc clarè ostenditur, nam unio materialis & corporea in homine unit animam totam toti corpori, & totam

tam cuilibet illius parti, & tamen unio hæc non est tota in toto corpore, & tota in qualibet illius parte, sed diffusa & extensa secundùm diversas sui partes per totum corpus, ergo idem præstare poterit ubicatio divisibilis respectu spatij.

V. Objici potest tertiò; nil sequi implicatorium ex eo quòd detur hujusmodi ubicatio indivisibilis, nam in puncto A est formalis fixio Angeli in tali puncto, virtualis respectu aliorum punctorum & partium spatij, & in puncto B formalis fixio respectu illius, & virtualis & aptitudinalis respectu aliorum, & sic de cæteris. Contrà primò, nihil omnino est aptitudinale, seu in actu primo in hac ubicatione vel unione, sed est formalissimè actualitas, exercitium, & actus secundus, non minùs quàm actio respectu termini: imò si esset aliquid hîc aptitudinale, & in actu primo, deberet uniri per aliam unionem, aut ubicationem, ut fit in animâ & Angelo, quod tamen hîc non contingit. Contrà secundò, cur pari modo dici non posset, ubicationem hanc in hoc instante esse formalem determinationem Angeli respectu hujus spatij, & virtualiter seu aptitudinaliter respectu spatij proximi pro instante sequente, & sic mutare posset ubicatio locum, saltem inadæquatum, pro diversis instantibus, vel partibus temporis, quod tamen nullus concedit. Contrà tertiò, in hoc ipso affertur implicatio, nam in puncto A est formalis affixio Angeli ad punctum A, & non ad punctum B, ergo in puncto A habet reale prædicatum, quod non habet in puncto B, & è contrà, nam per suam entitatem solam habet actu figere Angelum in puncto B, ergo est actualis fixio illius, sed in puncto A non est actualis fixio Angeli puncto B, sic enim in puncto A deberet actu figere Angelum puncto B, ergo.

Cum in his nihil sit aptitudinale, debent ubiq; habere totum suum terminum.

Objici potest quartò; Deus est sua præsentia per immensitatem secum identificatam, & tamen est totus in toto, & totus in qualibet parte spatij, ergo non implicat aliqua ubicatio indivisibilis essentialiter respiciens spatium divisibile. Negatur tamen consequentia, Deus enim per infinitas quasi partes virtuales immensitatis suæ ubique præsens, sibi suum est spatium. Deinde, esto hoc concederetur Deo per virtualem quandam distinctionem, nempe ut per solam eandem ipsissimam entitatem indivisibilem possit correspondere diversis partibus spatij, sicut multa alia ipsi hujusmodi per virtualem distinctionem conceduntur, ut actus liberi, productio Relationum in Filio & Spiritu Sancto, non productâ essentiâ, non tamen hæc propterea concedenda sunt creaturis, ut ipsi adversarij fatentur, cùm, ut supponitur, tota ratio diversitatis ex parte ubicationis consistat in solâ entitate ubicationis, cùm sit relatio transcendentalis ad spatium. VI. *Aliud quoad hoc est de immensitate Dei, aliud de ubicatione creatâ.*

Quintò objicitur; ubicationem Angeli si habeat diversas partes correspondentes diversis partibus spatij, fore quantam, commensurativam, corpoream, &c. Solutio hujus pendet à quæstione illâ, in quo sita sit ratio corporis & spiritûs, de quo Deo dante, agetur in libris de Animâ, disp. septima. VII.

DISPVTATIO XIV.

De Vnione.

Variè variy de unione philosophantur.

MAgna hîc opinandi varietas; unionem negantibus aliis, aliis astruentibus. Nec unionis assertores satis hac in parte inter se conveniunt: nonnulli enim in negatione eam sitam volunt, alij rem esse aiunt usquequaque positivam. Quidam in composito aliquid agnoscunt ab extremis distinctum, à necessariâ tamen & fatali illâ cum iis connexione immune. Quare, Nodum dicunt esse, non modum. Alij demum nexum hunc, Modum statuunt, eamque expeditissimam difficultates, quæ in compositi constitutione occurrunt plurimæ, enodandi viam autumant. Nullâ ergo in re, in his octo libris, est vel major sententiarum diversitas, vel acrior disceptatio: ut mirum sit unionem tantum peperisse discordiæ.

Quidam modum agnoscunt non modum.

SECTIO PRIMA.

Refertur sententia negans unionem distinctam & primus modus eam defendendi refellitur.

I. *1. sent. negat unionem distinctam.*

PRima sententia unionem negat distingui ab extremis. Ita Cajet. 3. p. q. 2. a. 7. Medina, Valentia To. 4. d. 1. q. 2. p. 5. Fonseca 7. Met. cap. ultimo. Conimb. hîc, c. 9. q. 11. a. 4. quam etiam sententiam amplectuntur entitatum non prodigi Nominales, illi ducis sui baculo innixi, *Non sunt multiplicanda entia sine necessitate:* Quamvis Ockamus ipse in 3. q. 1. fateatur negari nullo modo posse unionem Hypostaticam esse entitatem aliquam à Verbo & Humanitate realiter distinctam. Quem proinde Tartaretus Scoti auditor, ei veluti insultans, sic affatur; *Domine R. P. Th. Comptoni Philosophia Ockam, dic, quid coëgit te ad hoc dicendum? certè, evidentissima ratio, quæ est ista? Impossibile est transire de contradictorio in contradictorium, sine deperditione vel acquisitione alicujus positivi &c.*

Ockamus fatetur distingui unionem Hypostaticam.

Prima conclusio: unio non est sola extrema nudè & secundùm se sumpta. Hæc conclusio non eget probatione, jam enim exiitit materia & anima S. Petri ex. g. & tamen non uniuntur, nec constituunt compositum, ergo uniri extrema aliquid est ab iis distinctum. II. *Vnio non potest consistere in solis extremis.*

Secunda conclusio: unio inter materiam & formam non est sola intima earum præsentia. Probatur primò, potest Deus, etiam dum intimè sibi sunt præsentes materia & forma impedire quo minùs hæc informet materiam seu illi uniatur, ergo uniri materiam & formam non est formaliter esse illas sibi intimè præsentes. III. *Vnio non consistit in solâ intimâ præsentiâ.*

Secundò probatur, ponamus, in materiam informatam animâ Petri ingredi localiter, & reddi intrinsecè præsentem animam Pauli separatam à materiâ Pauli: si informare materiam nihil aliud sit, quàm esse illi intimè præsentem, anima Pauli informabit corpus Petri, sicque erit materia illa naturaliter duabus simul formis unita. Casus verò iste naturaliter potest, & facilè, contingere, si anima aliqua ex iis quæ subinde in terrâ separatæ versantur, materiæ alterius hominis adhuc viventis intimè se reddere vellet præsentem. IV. *Si unio sit intima præsentia, duæ animæ possunt simul informare eandem materiam.*

Dices; id non sequi, jam enim materia est informata priori animâ, ergo licèt secunda sit intimè illi præsens, non tamen eam informabit, cùm sit quasi præoccupata materia à priori. Contrà, si unio nihil aliud sit quàm intima præsentia, ergo tam informat secunda quàm prima, quod probatur manifestè, nam mat- V. *Secunda anima tam est intimè præsens materiæ, ergo tam informat*

nam essentia unionis secundùm hos auctores consistit formaliter in solâ intimâ præsentiâ, sed tam est intimè præsens secunda quàm prima, ergo tam unitur secunda quàm prima: sicut si aliquid esse album nihil aliud sit quàm albedinem esse intimè præsentem subjecto apto, si sit illi intimè præsens, non poterit subjectum non esse album.

VI. *Nec dici potest, uniri connotare absentiam alterius formæ.* Dices secundò; ideo non uniri secundam animam, quia uniri connotat non esse aliam formam intimè præsentem materiæ. Contra, ergo quando illa alia anima redderetur intimè præsens, jam nec prior informaret. Quod probo, nam ut forma informet connotat aliam non esse intimè præsentem, ergo si alia sit intimè præsens, non informat, ergo cùm primùm alia anima redditur intimè præsens, desinit prior informare materiam: quare enim posterior, ut informet, connotat aliam non informare, seu non esse intimè præsentem, potiùs quàm prior? Dices; quia prior informat antequàm adveniat altera. Contrà, si informare nihil aliud sit quàm esse intimè præsentem, jam etiam informabit secunda, cùm non minùs sit intimè præsens materiæ. Conf. si per Divinam potentiam lapis in eodem loco seu intimè penetratus ponatur cum arbore, necessariò est in illo loco, nec connotat arborem ibi non esse, ergo eodem modo si informare materiam nihil aliud sit, quàm esse illi intimè præsentem, non potest connotare aliam formam non esse unitam, nisi connotet non esse intimè præsentem, sed neutra, ut dixi, unietur, ubi alia accesserit, vel uniètur utraque.

VII. *Vlteriùs ostenditur informationem non esse intimam præsentiam.* Dices tertiò; ideo informare primam, non secundam, quia Deus vult ut illa informet, non hæc; forma autem, ut informet, connotat talem voluntatem Divinam. De hoc modo philosophandi postea: interim contrà primò, Deus vult primam informare, non secundam, ergo primam informare est aliquid aliud, quàm esse intimè præsentem, nam tam est intimè præsens materiæ secunda, quàm prima.

VIII. *Manente intimâ præsentiâ potest Deus velle unam informare non alteram.* Contrà secundò, ponamus Deum velle ut secunda anima informet, quæ priùs, licèt esset intimè præsens, non informabat, juxta hos auctores, quæro, quid aliud velit Deus, quàm priùs volebat? si velit aliud quàm esse eam intimè præsentem materiæ, ergo formam uniri materiæ est aliquid aliud quàm esse illi intimè præsentem, ergo est alia hæc voluntas, quàm voluntas ut sit intimè præsens, hæc enim erat antea, & non efficiebat illam uniri materiæ. Quod magis declarabitur postea. Conf. si Deus velit Petrum, Paulum, & Joannem esse in hoc gymnasio, non potest non velle esse illic tres homines, hæ enim voluntates sunt synonymæ, ergo nec poterit non velle ut forma uniatur materiæ, si sit illi intimè præsens, si idem sit eam uniri & esse intimè materiæ præsentem.

IX. *Possunt duæ animæ esse intimè præsentes eidem materiæ, & una tantum informare.* Tertiò probatur conclusio, ponamus duas formas ejusdem rationis, duas animas rationales ex. g. vel formas ignis, esse intimè præsentes eidem materiæ, & alteram solùm ex iis informare, nempe formam A, postea velit Deus ut dum manent intimè præsentes, forma A desinat informare, & forma B informet, quæro quid vult Deus minùs ex parte prioris formæ, & magis ex parte secundæ quàm antea? si quid aliud velit præter meram præsentiam localem, ergo unio non est sola præsentia localis, hæc enim est æqualiter adhuc volita in utràque formâ, ergo aliquid aliud vult, nempe deunionem, seu destructionem unionis ex parte unius, & productionem unionis ex parte alterius, nec enim apparet quid aliud velit. Conf. Angelus formas illas videns intuitivè, quid diversum in unâ videbit ab alterâ, & quam mutationem, quando Deus secundam vult informare materiam, quæ eam priùs non informabat?

Dices; si videat voluntatem Divinam, videbit quæ informet, quę non, non tamen si videat sola extrema. Contrà primò, ergo non potest Angelus videre utrùm forma aliqua substantialis vel accidentalis informet materiam, nisi videat voluntatem Divinam, quo nihil magis peregrinum in Philosophiâ dici potest. Contrà secundò, ergo Angelus viribus naturæ nullum compositum intuitivè videre potest, cùm voluntatem Divinam naturaliter videre nequeat, cùm sit ipse Deus. Contrà tertiò, voluntas Divina non ingreditur constitutionem hominis in genere causæ formalis, sed solùm efficienter concurrit ad constitutionem & destructionem compositi, quatenus scilicet præbet, vel suspendit concursum ad productionem unionis, aut alterius ex extremis. X. *Vt videat Angelus animam informare non est opus ut videat voluntatem Divinam.*

Quartò probatur, si sola indistantia localis, seu intima præsentia sufficiat ad rationem formalem unionis, Humanitas Christi tam fuisset unita Patri & Spiritui Sancto, quàm Filio, cùm æquè à duabus illis Personis indistans sit, quàm à secundâ. Imò omnes tres Personæ Divinæ sunt intimè præsentes humanitatibus, & Angelis, quibus non uniuntur Hypostaticè. XI. *Sequitur humanitatem Christi fuisse unitam Patri.*

Quintò, si uniri nihil aliud sit quàm intima duorum præsentia proportionem inter se habentia ut uniantur, sequeretur, si dæmon aut anima aliqua separata, quæ non est in gratiâ, intimè se redderet præsentem Petro, verbi causâ, in gratiâ existenti, sequeretur inquam, non minùs dæmonem, vel animam illam informatum iri gratiâ, quàm hunc hominem, cùm ibi sit tota essentia informationis, nempe intima præsentia gratiæ cum animâ illâ, vel dæmone. XII. *Eadem gratia informaret duas animas sibi intimè præsentes.*

Si autem recurratur ad illud; quòd Petrus priùs gratiam illam habuerit, hoc impugnatum est suprà n. 5. 6. & 7. Deinde, non vitatur difficultas: ponamus enim animam illam separatam, quæ est sine gratiâ, intimè se reddere præsentem in instante A, Petro item sine gratiâ existenti, si Petro in instante B conferatur gratia, æquè reddet animam illam gratam, si gratiam informare nihil sit aliud, quàm esse eam animæ præsentem, cùm utrique sit æquè præsens. Et idem est si anima, quæ est in gratiâ, ut quatuor, intimè se reddat præsentem alteri, quæ habet gratiam ut sex, hæc enim gratia quoad excessum illum duorum graduum illam informabit, & illius gratiam intendet. XIII.

SECTIO II.

Præluduntur tres aliæ viæ negandi unionem distinctam.

DIcunt ergo alij, unionem nihil esse aliud quàm corpus, animam, & talem complexionem accidentium, seu dispositionum. Contrà primò, sic enim homo esset partim compositum accidentale, cùm dispositiones sint accidentia, quod idem est de igne, equo, & omni alio composito. Confirmatur, dispositiones sunt quid præsuppositum ad unionem, ergo non sunt unio. Antecedens patet ex ipsa significatione nominis, calor enim & siccitas disponunt materiam ligni ad ignem, & non sunt aliquid substantiæ ignis. Conf. secundò, ipsa dispositio unitur: inquiro per quid? non per aliam dispositionem, sic enim abiretur in infinitum, ergo per unionem. Contrà secundò, potest per Divinam potentiam constitui compositum substantiale, ignis v. g. vel lignum cum dispositionibus contrariis, ergo à fortiori indici poterit forma in materiam conservatam sine omni dispositione, ergo dispositiones non sunt de essentiâ I. *Vnio est aliquid præter materiam, formam, & talem complexionem accidentium.* *Potest forma stare cum dispositionibus contrariis.*

sentiâ physicâ compositi, ergo unio est quid ab illis distinctum, cùm nec per Divinam potentiam compositum sine unione, seu compositione fieri possit.

II. Contrà tertiò, gratis enim dicitur requiri talem determinatam complexionem accidentium ad formam numero tantùm ab aliâ distinctam, cùm plurima videamus accidentia manere in genito & corrupto.

III. *Saltem in gratiâ concedenda est unio distincta.* Contrà quartò, saltem in gratiâ, & qualitatibus supernaturalibus concedenda est unio distincta, alioquin anima reddens se alteri intimè præsentem, esset grata per gratiam alterius, hîc enim nullæ requiruntur dispositiones.

IV. *Vnio non potest esse nova formalitas.* Tertiò, alij unionem asserunt tantùm esse formalitatem quandam à materiâ, formâ, & dispositionibus formaliter non realiter distinctam. Hæc opinio est omnium difficillima, dicit enim esse jam aliquid physicè & realiter quod anteà physicè & realiter non erat, & tamen non distingui realiter ab eo quod physicè anteà & realiter erat, quod est inintelligibile. Longè ergo præstat modum realiter distinctum statuere, quàm miram hanc formalitatem.

V. Secundò, si emergat de novo hæc formalitas; ergo aliqua actio de novo ad eam terminatur, alioqui non produceretur, sed esset à se, quod dici nullo modo potest.

VI. *Vnio realiter petit, ergo non est formalitas.* Tertiò, cùm anima deunitur, unio realiter petit, quæ anteà realiter existebat, ergo realiter distinguitur à materiâ, formâ, & dispositionibus, cùm hæ adhuc realiter maneant, idem autem nequit realiter esse simul & non esse.

VII. *Eodem modo dicet alius albedinem esse tantum formalitatem.* Quartò, quia hoc modo dicere quis posset albedinem & omnes colores nihil esse aliud quàm novas formalitates: &, si dicas, ad oculum patere albedinem & accidentia perire. Contrà, non minùs certum est & quotidianâ experientiâ compertum destrui uniones inter materiam & formas substantiales & accidentales, ergo si illa experientia arguat distinctionem realem, hæc etiam arguet. Certè existimo, eâdem planè probabilitate & facilitate sustineri unum posse atque alterum.

VIII. Quintò itaque, nonnulli unionem ajunt esse materiam, formam, & talem voluntatem virtualem Dei.

IX. *Vnio non potest consistere in voluntate Dei.* Contrà primò, non enim apparet quænam sit hæc voluntas Divina, diversitas enim hæc voluntatis Divinæ desumi debet ex diversitate objecti, ergo si objectum hîc & nunc sit planè idem atque antè, voluntas non potest esse diversa. Si autem objectum in quod per hanc voluntatem fertur Deus, sit diversum, quæro quidnam illud sit? non intima præsentia, nec dispositiones, ut ostensum est, ergo nihil aliud esse potest quàm modus ab utroque extremo distinctus.

X. *Dicere eodem modo quis posset ignem esse calidum per voluntatem Dei.* Contrà secundò, eâdem enim probabilitate & facilitate (ut suprà dixi in simili) defendi posset parietem esse album, calidum, aut frigidum, aërem esse lucidum, nihil aliud esse quàm parietem aut aërem cum tali voluntate divinâ: eodem enim modo dici posset parietem cum tali virtuali voluntate divinâ esse aptum disgregare visum sine novâ qualitate superadditâ, sicut hîc dicitur materiam & formam esse unitas sine novâ unione, ex solâ additione talis voluntatis divinæ.

XI. *Quid velit aliud Deus, quando vult tas uniri, & non uniri.* Dices; materiam & formam, cùm sint entia incompleta, esse apta ut uniantur seipsis, si Deus velit. Contrà primò, possunt existere etiam intimè præsentes & non uniri, ut ostensum est suprà sec. 1. ergo uniri est aliquid aliud. Nec dicas deesse voluntatem Divinam, quia, ut dixi, si voluntas Divina ut uniantur, nihil aliud sit quàm voluntas ut sint intimè præsentes, tam est illa voluntas quando non uniuntur, quàm posteà, nam eadem est: si sit diversa, assignetur quid diversum velit ab aliâ, & si aliquid aliud velit ex parte objecti, habeo intentum, jam enim est unio, & aliquid aliud præter materiam, formam, & voluntatem Divinam.

XII. *Voluntas Dei non est quid intrinsecè constituens ignem, aut hominem.* Contrà 2. voluntas Divina non est quid intrinsecè constitutivum hominis, aut alterius compositi, sed solùm quid extrinsecum, & efficienter tantùm, non formaliter concurrit ad unionem, vel deunionem formæ à materiâ, in quantum scilicet præbet vel subtrahit concursum ab unione, sicque solùm mediatè concurrit ad constitutionem, vel destructionem compositi, quatenus scilicet immediatè producit aut destruit unionem per quam formaliter compositum constituitur.

XIII. *Angelus non posset videre ullum compositum.* Conf. sic enim, ut dixi sec. præcedente n. 10. Angelus numquam intuitivè videre poterit ullum compositum naturale, sive substantiale illud sit, sive accidentale, cùm voluntatem Divinam videre naturaliter non possit.

SECTIO III.

Peculiaris quidam modus negandi unionem distinctam.

I. *Novus Philosophandi modus circa unionem.* ALij tandem, ut unionem negent, & simul argumentis jam factis satisfaciant, sic procedunt. Primò itaque accidentia omnia ad tale numero subjectum determinata esse asserunt, ita ut alteri inesse non possint: albedinem A ex. g. aut calorem ita ajunt hunc numero parietem, aut manum, quibus insunt, respicere, ut alteri manui aut parieti ineſſe nequeant vel divinitùs. Idem dicunt de qualitatibus supernaturalibus; unde gratiam, quæ est in animâ Petri, affirmant nullo modo uniri posse animæ Pauli, vel alteri numero distinctæ. Unde, inquiunt, licèt albedo, calor, gratia, & alia omnia accidentia conservari possint à subjectis separata, non tamen aliis uniri, hæc enim sunt prædicata diversa, & separari ab invicem possunt. *Accidens unius tantùm subjecti informativum.*

II. *Idem dicunt de formâ substantiali.* Eodem modo philosophantur de formâ substantiali materiali; ajunt enim, licèt materia plurium successivè formarum sit susceptiva, quævis tamen, non forma tantùm, sed formæ particula illam, cui ineſt, materiæ particulam ita respicit, ut aliam materiæ partem informare nullâ ratione possit.

III. *Quomodo non necessaria unio distincta.* Hinc inferunt, ut vel accidens aliquod, vel forma materialis subjectum suum informet, non esse opus unione distinctâ: unio enim statuitur ad tollendam indifferentiam, hîc autem nulla est indifferentia, cùm forma omnis ad hoc numero subjectum sit determinata, nec aliud informare possit. In solo homine, quia anima successivè informat diversas partes materiæ, statuunt unione à corpore & animâ distinctam, non quidem modalem, seu extremis essentialiter affixam, sed quæ loco ab iisdem separata existere possit, alia tamen quàm hæc numero extrema afficere non potest.

IV. *Quid de homine dicendum.* Hoc modo salvant quo pacto duæ animæ sibi invicem intimè præsentes, non reddantur gratæ eâdem gratiâ: quo pacto etiam duæ similiter animæ cum eodem corpore penetratæ, non simul illud informent, sed prior tantùm, si una accedat post aliam, & materiam ab eâ informatam inveniat. Si verò simul cum materiâ penetrentur, neutra eam informabit, donec Deus determiner utra unionem sui cum materiâ producet. Denique hac viâ difficultates omnes commodè expediri existimant, quæ pro unione modali hactenus sunt propositæ.

V. Hic modus philosophandi, quo ingenioſi quidam

dam recentiores utuntur, omnium minimè displicet, & meo judicio, propiùs abest à veritate. Abest tamen.

VI. *Impugnatur hic discurrendi modus.* Primò, non enim satis firmum adferunt fundamentum ad rem tam miram probandam, atque est non posse illam lucis particulam, quæ est in hac parte aëris, produci vel divinitùs in aliâ, nec gratiam quæ est in animâ Petri, aliam animam informare numero tantùm distinctam.

VII. *Aliud est de formis absolutis, aliud de modalibus.* Dicunt primò; hoc non magis mirum esse in luce, gratiâ, igne, & aliis formis, tum substantialibus, tum accidentalibus, quàm in unione ejusdem lucis cum illâ parte aëris, quam tamen nos asserimus alteri aëris parti uniri non posse, vel divinitùs. Sed contrà, unio enim ex conceptu suo habet quòd sit affectio, vel adhæsio talis partis lucis ad hoc numero subjectum, at in luce, calore, gratiâ, & formis substantialibus corporeis nullum relucet ejusmodi prædicatum, & si quis in eis tale aliquod prædicatum ponat, gratis ponit.

VIII. Dicunt secundò; nullum dari hujus rei indicium, quòd scilicet calor, qui est in hac parte manùs, vel forma aquæ, quæ est in hac materiâ, possit informare aliam, etiam divinitùs. Contrà, nec ullum est indicium quòd possit causa aliqua efficiens agere in distans, aut corpus circumscriptivè esse in duobus locis, & similia, quæ tamen hi auctores passim admittunt.

IX. *Secundo impugnatur hæc sententia.* Secundò impugnatur hic procedendi modus: Ponamus materiam dispositam, & formam equi existere, sed loco à se invicem disjunctas, ponat Deus posteà formam illam intimè præsentem materiæ: jam secundùm ipsos, est equus, & novum compositum physicum, quæro quid hîc substantiale de novo producatur, & ad quid nova actio substantialis, qua equus jam producitur, terminetur? non ad materiam, nec ad formam, nec ad utramque, anteà enim ad utramque terminabatur actio.

X. *Prima responsio rejicitur.* Dices; non terminabatur antè ad utramque unitam. Contrà, esse eas unitas, est aliquid substantiale distinctum à materiâ & formâ, vel non: si non sit quid substantiale ab iis distinctum, ergo vel anteà erant substantialiter unitæ, vel jam non sunt, cùm nihil substantiale modò fit, quod antè non erat; si verò esse eas unitas sit aliquid substantiale à materiâ & formâ distinctum, ergo datur tertia entitas substantialis in equo præter materiam, & formam, nempe unio.

XI. *Si totum sit sola materia & forma, anteà erat totum.* Dices; illud tertium quod jam est, & anteà non erat, est totum. Contrà, insisto priori argumento, vel hoc totum est quid substantiale distinctum à materiâ & formâ, vel non: si non, ergo anteà erat totum; si sit quid substantiale ab iis distinctum, ergo unio, quod intendimus. Conf. Angelus intuitivè videns equum hunc, vel aliquid substantiale videt, quod in partibus anteà non videbat, vel non: si nihil novi videat, ergo non magis videt equum jam, quàm anteà; si videat, videt unionem, ergo.

XII. Idem argumentum fit in destructione equi, si nimirum Deus formam equi non destruat, sed à materiâ separatam conservet, tunc enim equus verè destruitur, corpus enim equi putrescet, & in vermes ac saniem diffluet, non minùs quàm si forma destrueretur. Cùm ergo totum hîc destruatur, & utraque pars substantialis maneat, totum necessariò includit aliquid distinctum à partibus.

XIII. *Partes simul sumptæ aliquid includunt præter partes.* Dices; includit aliquid substantiale distinctum à partibus sigillatim, non tamen simul sumptis. Contrà, ergo partes simul sumptæ aliquid substantiale diversum includunt à materiâ & formâ. Inquiro quid hoc sit? non præsentia localis, hæc enim est accidens, productio autem vel destructio substantialis habere debet terminum substantialem, ergo hic terminus est unio, cùm nihil excogitari aliud possit.

XIV. *Idem offenditur in productione hominis.* Eadem difficultas est in homine in hac sententiâ statuente unionem non modalem, sed absolutam, si enim existere possit unio separata ab extremis, ergo homo est aliquid aliud præter animam, corpus, & unionem, & quando hæc unio redditur intimè præsens corpori & animæ, & homo seu totum substantiale producitur, compositum hoc novum substantiale aliquid substantiale includit, quod anteà à parte rei non existebat, ac proinde aliquid aliud præter corpus, animam, & unionem. Quidquid responderint, recurrunt argumenta omnia contra materiam & formam equi superiùs posita. Idem est quando homo non per destructionem unionis, sed per solam illius separationem ab animâ & corpore, destrueretur.

XV. *Nihil horum sequitur si ponatur unio distincta.* Dices; eadem est difficultas in sententiâ statuente unionem modalem. Nihil minus. Primò enim illius sententiæ auctores in productione & destructione hominis semper statuunt novum terminum substantialem, nempe unionem. Deinde, unionem talis dicunt esse naturæ, ut nec divinitùs ab extremis separari possit, quin destruatur. His autem circa unionis naturam statutis, facilè solvuntur omnia, quæ contra hunc philosophandi modum suprà sunt allata, ut consideranti patebit.

SECTIO III.

Vnio in composito est modus ab extremis distinctus.

I. *Ostenditur unionem esse modum distinctum.* ITa Suarez d. 15. Met. s. 9. Vasq. to. 1. in 3. p. d. 19. nu. 23. Tann. 3. p. d. 1. quæst. 3. dub. 4. Albert. in Prædic. subst. d. 4. sect. 1. Hurt. hîc d. 5. s. 1. Arriaga hic d. 4 s. 1. Oviedo controv. 4. Phys. p. 1. Tolet. Rubius, Murcia, & alij. Et videtur S. Thomæ 3. p. q. 2. ar. 7. corp. saltem quoad unionem Hypostaticam. Ratio à priori hujus conclusionis, est quam suprà declaravimus quia scilicet nil excogitari aliud potest in quo conceptus unionis statuatur. Confirmatur, realis separabilitas est signum evidens realis distinctionis, sed materia & forma possunt separari realiter ab unione, ut patet in materiâ & animâ cujusvis hominis morientis; in accidentibus item Eucharisticis, & divinitùs quævis forma materialis conservari potest separata à materiâ; sed in his casibus manent extrema, & perit unio, ergo unio realiter ab iis distinguitur.

II. *Probatur secundo, quia productio hominis est generatio.* Secundò probatur, quando homo producitur, est vera generatio substantialis, ergo actio illa habere debet terminum aliquem substantialem, sed non est alius quàm unio, ob quam scilicet generatam immediatè, & ut est terminus formalis generationis, dicitur totum generari, ergo. Major est certa, nam actio substantialis terminum habere debet substantialem. Minor probatur, materia & anima creantur, ergo non est aliud quod generetur, nisi unio, ergo in hac generatione dari debet unio distincta & à materiâ & animâ, ratione cujus dicatur homo generatus. Hanc autem unionem in homine esse debere modalem probatum est sec. præcedente, uti etiam idem ostendi in hominis destructione.

III. *Totum generari nequit, nisi ratione alicujus in toto inclusi.* Dices primò: licèt materia & anima creentur, & maneant, totum tamen in productione hominis generari, & totum in ejusdem corruptione destrui. Contrà, totum quà totum non potest generari, nisi ratione alicujus substantialis in toto inclusi, sed nihil in toto, nempe homine, inclusum generari potest, seu educi ex potentiâ materiæ, præter unionem, ut constat; ergo ut dicatur homo generatus, generari

ri debet unio, quæ est formâ compositi, seu totius ut totum est.

IV. *Productio accidentis non sufficit ad generationem substantialem.*

Dices secundò; dispositiones educi, & ratione illarum dicitur compositum, seu homo generari. Contrà primò, productio dispositionum non est substantialis actio, sed accidentalis cùm dispositiones sint accidentia, ergo alius dari debet terminus substantialis, ratione cujus generatio hominis dicatur generatio substantialis. Contrà secundò, productio dispositionum est naturâ prior generatione substantiali hominis, aut alterius compositi, ergo productio dispositionum non est formaliter illius generatio prius enim est materiam esse dispositam seu aptam, quàm formam vel unionem in eâ recipi aut educi. Contrà tertiò, potest Deus producere aut conservare hominem concursu generativo sine omni dispositione, ergo ratione alicujus alterius dici debet homo ille generari, non creari.

V. *Subsistentia non est de essentiâ compositi.*

Eodem modo impugnatur eorum solutio, qui dicunt actionem generativam terminari ad subsistentiam. Contra quod est, quia subsistentia non est de conceptu compositi ut compositum est formaliter, sed solum quid illud consequens. Deinde potest Deus conservare compositum sine omni subsistentiâ. Præterea, in generatione Christi ad quid terminabatur actio generativa, cùm ibi nulla fuerit subsistentia creata? ergo &c.

VI. *Compositio formalis, & effectiva.*

Manet ergo unionem esse aliquid realiter ab utroque extremo distinctum, & rationem formalem per quam materia & forma inter se uniuntur, & constituunt unum per se, ac proinde esse formam compositi ut compositum est, seu ipsam compositionem formalem. Actio verò productiva unionis est compositio effectiva, seu quæ efficit compositionem formalem. unde agens effectivè constituit compositum, ac remotè; partes verò & unio immediatè, & formaliter. Quod autem de composito substantiali dicimus, dici eodem modo debet de accidentali, cùm saltem divinitus conservari possint accidentia separata à subjecto, ut fide constat in Eucharistiâ.

SECTIO V.

Argumenta contendentia unionem non distingui ab extremis.

I. *Mens Aristotelis & S. Thomæ de unione.*

OBjicies primò; Aristotelem 8. Met. c. 7. & S. Thomam ibidem, qui affirmare videntur materiam & animam immediatè & sine nexu alio uniri. Resp. Aristotelem, ut ex contextu conjicitur, solùm velle non uniri per aliquid quod mediet *ut quod*, sicut ferrumen, aut gluten mediatin artefactis, hoc enim disjungeret illas potius, sicut truncus arboris ramos disjungit a radice, esto enim illa inter se connectat, immediatius tamen conjungerentur si truncus abesset. S. Thomas autem solùm negat uniri animam materiæ mediis dispositionibus accidentalibus, sic enim homo esset partim compositum accidentale. Quando ergo ajunt Aristoteles & S. Thomas uniri animam & corpus sine aliquo medio, intelligendi sunt de eo quod est propriè medium, unio enim, sicut & modi omnes, censetur quasi idem cum extremis, cum existere sine iis nequeat, vel divinitus, ac propterea à multis dicitur modaliter, non realiter ab iis distingui. Quòd autè dicat Aristoteles unionem esse aliquid distinctum à partibus, clarè cernitur 8. Met. cap. 6. initio, ubi expresè ait; Totum esse aliquid distinctum à partibus & quidiis superadditum includere.

II. Objicies secundò; si aliquid mediet inter materiam & formam, ergo non uniuntur immediatè, contrà omnes. Resp. mediationem unionis non impedire immediatam earum connexionem, hæc enim necessariò mediare debet, alioqui non omnino connectentur. Ratio ergo uniendi non impedit immediatam connexionem, cùm solùm mediet *ut quo*, seu ut ratio formalis quâ uniuntur extrema, non *ut quod*, seu quod egeat novâ unione. Sic agens dicitur immediatè agere licèt mediet actio. Sic in omnium sententiâ oculus immediatè videre dicitur colorem, licèt mediet visio, imò hæc necessariò mediare debet, alioqui omnino non videret, cùm visio sit ratio formalis per quam redditur oculus videns.

Unio non obstat immediatæ partium connexioni.

III. *Quid sit aliqua uniri immediatè.*

Tunc ergo dicuntur aliqua immediatè uniri, videri, aut produci, cùm nihil inter illa intervenit quod non sit unio, visio, vel actio, quod autem hæc interveniant, est necessarium, cùm sint ipsæ rationes formales uniendi, videndi, & agendi.

IV. *Ex unione distinctâ non sequitur processus in infinitum.*

Objicies tertiò; sequi processum in infinitum, cum unio egeat aliâ unione ut uniatur. Resp. negando sequelam, sicut enim juxta Aristotelem, ut suprà vidimus, actionis non datur actio, ita nec unionis unio. Cujus ratio est, quia unio est actualis unitio per essentiam, ac proinde uniendo extrema *ut quod*, seu ut illa quæ uniuntur, unit ea illis *ut quo*, seu ut ratio formalis illa connectendi: ad hoc autem non eget aliâ unione, cùm hoc habeat per essentiam, & sit essentialiter ipsum exercitium uniendi.

V. *Voluntas divina non est de formali conceptu compositi.*

Objicies quartò, extrema cum voluntate divinâ, quâ scilicet vult Deus ut uniantur, tam non sunt indeterminata, seu indifferentia, sed maximè determinata ad se invicem, ergo non requiritur unio distincta ab extremis, cùm ob indeterminationem poni soleat unio, hic autem per voluntatem divinam penitus tollitur indeterminatio, ergo &c. Contrà primò, eodem modo posset quis dicere, parietem album nihil esse aliud quàm parietem cum tali voluntate divinâ, nempe cum voluntate ut sit albus. Dico itaque, sicut ibi intelligi non potest paries albus une albedine, quantumcunque ponatur voluntas Dei ut sit albus, ita nec extrema hîc unita sine unione, cùm esse unitum æquè sit novus effectus physicus, ac esse album. Ad id autem quod dicitur, extrema esse determinata à voluntate divinâ, distinguo, sunt determinata *effectivè* (quo etiam modo paries per eandem est albus) concedo antecedens; *formaliter*, nego. Voluntas enim divina tantum *effectivè* concurrit, tum in uno, tum in alio, nec nisi mediatè, hîc scilicet producendo unionem, ibi albedinem; immediatè autem & formaliter sunt extrema unita per unionem, sicut paries formaliter & immediatè est albus per albedinem.

Voluntas Divina determinat ad unionem effectivè.

VI. Objicies quintò; sicut in probabili sententiâ, potest paries albus esse similis alteri meræ per solam positionem alterius sine modo superaddito, ita & partes uniri sine aliquo intrinseco superaddito. Resp. primò, in illâ similitudine unius parietis albi ad alterum, saltem aliquid superaddi, nempe alium parietem, ergo & hîc debet aliquid superaddi, nihil autem aliud addi potest præter unionem, ut jam probavimus. Resp. secundò, omisso pro præsenti antecedente, negando sequelam, nam ibi nihil aliud requiritur ut sint similes in albedine, nisi ut existat uterque albus, ita ut positâ utriusque existentiâ in albedine, non possint, nec per divinam potentiam impediri quo minus sint similes secundùm illam sententiam: at hîc positis materiâ & formâ, potest non constitui compositum, ergo constitui compositum est aliquid aliud præter materiam & formam.

Differentia inter unionem, & Relationem.

SECTIO VI.

Vtrùm unio in Composito naturali una sit, vel duplex.

I. *Sermo præcipuè est de homine.*

SErmo est de essentiali, & in eâdem parte materiæ, nam certum est, integraliter tot esse uniones, quot partes in composito distinctas, alia enim est unio capitis, alia pedis, &c. Et difficultas præcipuè procedit in homine, qui cùm duas habeat partes, ita inter se diversas, alteram scilicet spiritualem, alteram corpoream, & unio utramque attingere debeat, variè opinandi auctoribus occasionem præbuit.

II. *P. Suarez unam statuit in homine, & spiritualem.*

P. Suarez itaque d. 15 Met. s. 3. fine, & d. 18. s. 2. unam ait esse unionem in omni composito; inter animam verò & corpus hominis unam, eamq; spiritualem. Cujus ratio videtur esse, quia tota activitas agentis est circa formam, ergo quicquid de novo facit agens est in formâ. Resp. tamen agens non intendere formam quomodocunque, sed formam unitam, ac proinde vult illam in materiâ, ergo hoc non obstante esse poterit unio etiam in materiâ, adeoque duplex. Deinde in homine anima creatur, ergo nulla activitas agentis creati exerçetur circa formam, nisi ut unitam.

III. *P. Vasq. unam etiam ponit, & spiritualem.*

P. Vasq. Unam etiam unionem ponit in homine, & spiritualem, ob quam causam ait subjectari in solâ animâ, quia spirituale in materiali subjectari, inquit, non potest. Resp. posse rem spiritualem subjectari in aliquo materiali; sicut è contrà dicunt multi actus vitales materiales in homine, ut actus visionis, & omnium sensuum subjectari partialiter in animâ rationali spirituali.

IV. *P. Hurtado duplicem statuit in omni composito.*

Tertiò, P. Hurtado, quem multi sequuntur ex recentioribus, ait duplicem ponendam in omni composito naturali unionem, alteram se tenentem ex parte materiæ, & in eâ subjectatam, quam materializationem appellat, alteram subjectatam in solâ formâ, quam vocat informationem, ex quibus per aggregationem una coalescit unio totalis, per quam completè constituitur compositum.

V. *In quovis composito una tantum est unio.*

Dicendum, in quovis composito substantiali unam tantùm esse unionem. Ratio à priori, quia unica unio sufficit ad faciendum compositum, nam unio ex essentiâ suâ est connexio duorum extremorum, ac proinde petit essentialiter utrumque afficere, & connectere, ergo ex conceptu suo essentiali unio est nexus duorum, & eorum compositio, nec ulla potest dari unio tam partialis quæ non sit duorum unio. Ad argumentorum verò solutionem.

VI. *In quo sita sit ratio perfectivi & perfectibilis.*

Notandum, rationem perfectivi & perfectibilis non in eo universim consistere, ut volunt aliqui, nempe ut id, quod aliud perficit, ex illius potentiâ educatur, nec enim minus perficeretur materia ab animâ rationali, vel aliâ formâ, quoad perfectionem essentialem seu substantialem spectantem ad compositum, si unio inter animam & corpus crearetur, quam modò dum generatur; nec minus perfectus esset ille homo substantialiter, cujus unio crearetur, quàm alter, cujus unio generaretur; ad perfectionem enim hominis parum refert quâ actione unio producatur, generatione an creatione, naturali an supernaturali: imò si omnino nullâ actione produceretur unio, sed esset à se, non minus esset ille homo perfectus, nec materia minus haberet omnem perfectionem in ratione primi subjecti, & constitutione compositi naturalis, quàm modò. Verum quidem est, si crearetur unio, non habituram in se materiam actionem generativam, sicque non omnem perfectionem hoc sensu, quam haberet, si unio generaretur: per actionem autem illam non perficitur omnino materia in ordine ad compositum, ut diximus, sed solùm accidentaliter. VI

In hoc verò consistit ratio perfectibilis, quod ex naturâ suâ incompletionem quandam habeat, seu potentialitatem ad actuationem aliquam, ita ut quædam quasi sit in re illa vacuitas, quæ per formam, vel quasi formam compleatur. VII.

Ex his deducitur, quare, licèt Verbum Divinum intrinsecè uniatur humanitati, & sit terminus intrinsecus illius unionis, ab eâ tamen non perficiatur, sicut materia & forma à se invicem, & ab unione perficiuntur. Ratio ergo est, tũ quia Verbum ex essentiâ suâ est immutabile, tum etiam quia non est quid incompletum, nec potentialitatem in se ullam, aut quasi vacuitatem continet. E contrà, cùm ratio perfectivi ut sic in eo consistat, ut possit per intimam conjunctionem cum alio conferre ipsi aliquid quod deerat, licèt nihil conferenti desit si id non conferat, Verbum Divinum potest esse perfectivum alterius, cùm possit perfectiori modo supplere defectum alicujus creati per intimam sui exhibitionem, & conjunctionem cum illo. Non tamè potest Verbum esse forma, quia forma ex conceptu suo essentiali est quid incompletum. VIII. *Cur Verbum Divinum non mutatur per unionem Hypost.*

Objicies primò, utrumque extremum debet perfici, ergo debet esse duplex unio, altera materializatio per quam perficiatur materia, altera informatio per quam perficiatur forma. Resp. Unicâ unione utramque perfici posse, cùm per unicam utraque accipiat suam compartem, & perfectionem sibi connaturaliter debitam ad munus ad quod à naturâ ordinatur. Si verò sermo sit de perfectione formali, de quâ suprà, diti posset non esse propriũ formæ perfici hoc sensu, sed solius materiæ, cùm forma sit incompleta activè, non passivè, seu incompleta ut perficiat, non perficiatur per modum subjecti. Verè tamen perficitur & à materiâ & unione, cùm per utramque compleatur. IX. *Vtraque pars perficitur eâdem unione.*

Objicies secundò, Relatio prædicamentalis in opinione Aristotelis & S. Thomæ qui illam distinguunt realiter à fundamento & termino, debet dari duplex ut sit perfecta, altera fundamenti ad terminum, altera termini ad fundamentum, ergo. & hic unio duplex, altera quæ referat materiam ad formam, altera quæ formam referat ad materiam, Resp. disparem esse rationem de relatione, & de materiâ & formâ in ratione unionis, cùm enim duo parietes sint loco dissiti, non possunt referri eâdem relatione, cùm illa in duobus simul locis esse nequeat. X. *Perfici passivè est solius materiæ, non formæ. Cur inter duas res sit duplex relatio, non duplex unio.*

Sed urgebis, quando duæ res sunt necessariò semper conjunctæ, ut materia & forma materialis, vel accidens, res & modus &c. tunc nihilominus requiruntur duæ relationes, ergo pari modo & duæ uniones in composito. Resp. primò, tunc etiã fore duplicem relationem, quia debet relatio respicere terminum ut purè terminum, id est, non dando ei aliam denominationem quàm denominationẽ extrinsecam respecti, quod non contingeret si subjectaretur relatio tam in termino quàm in fundamento. Unio autem, cùm sit respectus compartis ad cõpartem, videtur debere esse tantum una, cùm ipso facto quòd sit unio inter compartes, illas inter se unat proportionatè & constituat ex eis unũ per se. Secundò dico probabile esse posse eandem relationem in eo casu referre illa duo extrema ad se invicem. Tunc verò dicendum, vel non esse puram relationem, vel respicere adhuc terminum ut purè terminum, licèt in quantum etiam illum refert ad aliud, eum informet, sed tunc respicit ipsum ut subjectum, XI. *Relatio respici terminum ut purè terminum, non unio.*

jectum, seu ut fundamentum, non ut terminum.

XII. *Multiplicitas sine necessitate non ponenda.*

Objicies tertiò; perinde est ponere unam totalem unionem, ac duas partiales. Resp. negando antecedens, nec enim ponenda est in rebus multiplicitas, nisi ubi est urgens aliqua necessitas, quæ hìc nulla est: alioqui in sole tot ponemus principia partialia realiter distincta, quot sunt effectus diversi, ut aliam virtutem ad lutum indurandum, aliam ad ceram emolliendam, aliam ad lucem, aliam ad colorem, & sic de cæteris.

XIII. *Eadem forma diversis subjectis diversam dat denominationem.*

Objicies quartò; si materializatio & informatio sint eadem, ergo forma materializabit & materia informabit. Nego consequentiam, quid enim frequentius quam eandem formam diversis subjectis diversam dare denominationem? sic visio oculum denominat videntem, & parietem visum; actio generativa formæ materialis causam efficientem denominat agentem, materiam patientem, & formam seu terminum productum. Materializatio ergo & informatio non sunt duo conceptus realiter distincti, sed ad summum ratione, nam eadem unio, ut se tenet ex parte materiæ, est materializatio, & ut se tenet ex parte formæ, informatio.

SECTIO VII.

In quo subjecto sit unio in composito.

I. *Res materialis subjectari potest in spirituali.*

Dico primò: nullam apparere implicantiam, licèt unio sit corporea, quo minus recipiatur & in materiâ & formâ ut in subjecto, præsertim si dicamus cum aliquibus actus vitales materiales, ut visionis, auditionis &c. recipi partialiter in animâ rationali, ut in subjecto; ut idem asserunt alii de subsistentiâ totali. Nulla proinde est implicantia ut res materialis subjectetur, saltem partialiter in spirituali.

II. *Unio subjectatur in solâ materiâ.*

Dico tamen secundò: mihi probabilius videri, unionem subjectari in solâ materiâ, idque tam in aliis compositis substantialibus, quàm in homine. Licèt enim implicantia afferri non possit, cur nequeat etiam unio subjectari in formâ, sufficit tamè major aliqua congruentia ut dicatur potiùs in materiâ subjectari, quàm in formâ. Sicut licèt manifesta implicantia afferri non possit, cur unio in homine non sit spiritualis, sed corporea, in sententiâ eorum qui eam ponunt unicam, sufficit tamen, inquiunt, major quædam congruentia, ut dicatur esse corporea.

III. *Primò, quia sola materia disponitur.*

Primò ergo dici potest, subjectari unionem in solâ materiâ, quia materia solâ disponitur ad receptionem unionis. dispositiones enim recipiuntur in solâ materiâ, non in formâ. Dices; disponi materiam ad receptionem formæ, non unionis. Contrà, non ad receptionem formæ quomodocunque, sed formæ unitæ, ergo etiam disponitur ad receptionem unionis. Cùm ergo forma non disponatur, signum est non recipi unionem in formâ, sed in solâ materiâ; alioqui sicut potest naturaliter recipi in formâ sine dispositionibus, cur etiam non poterit sine iis recipi similiter in materiâ?

IV. *Secundò, quia Forma concurrit per modum actus, non potentiæ.*

Secundò & præcipuè, quia forma non eodem modo concurrit ad constitutionem compositi, sicut materia, sed propriâ & sibi peculiari ratione, nempe ut actus, non ut potentia: unde munus ipsius circa compositum non est per modum potentiæ, seu ad recipiendum, sed per modum actus, & ad aliud actuandum, & hic modus est illi maximè proportionatus. Conf. sicut materia in ratione constitutionis compositi physici est pura potentia, ita forma est purus actus physicus; & hoc est quod dicunt Philosophi, *materiam & formam habere se sicut actum & potentiam.* Et hoc modo facilè intelligi potest quod ait Aristoteles de principiis corporis naturalis, nempe, *ea esse opposita*, quod non de formâ tantùm & privatione, sed de materiâ etiam & formâ intelligi potest, quæ opposito modo concurrunt ad constitutionem compositi, illa ut potentia, & purè recipiendo, hæc ut actus, & purè actuando.

V. *Cur forma non recipiat unionem, sicut recipit subsistentiam.*

Dices primò; forma etiam recipit subsistentiam, & modos aliquos, ut ubicationem, durationem &c. ergo & recipere poterit unionē. Nego consequentiam, disparitas est, quia forma est solum actus physicus, non potentia in constitutione compositi physici ex materiâ & formâ: unde in hoc munere constituendi debet esse actus, non potentia. Hoc autem non impedit, quin respectu subsistentiæ sit potentia, & subjectum, cùm hoc non sit quid spectans essentialiter ad physicam constitutionem compositi, cùm tota essentia compositi substantialis esse possit sine subsistentiâ. Sicut licèt materia sit pura potentia physica in constitutione cōpositi physici, producit tamen secundùm multos per emanationē suas passiones, ut quantitatem &c. imò etiam respectu subsistentiæ est hoc modo materia activa.

VI. *Quomodo Forma sit perfectibilis.*

Dices secundò; forma est perfectibilis, ergo petit connaturaliter perfici, ergo debet in se recipere unionem per quam perficiatur. Distinguo antecedens, forma est perfectibilis per modum actus, concedo antecedens; per modum potentiæ, nego. Unde essentia formæ est actuare, non actuari, hoc enim est proprium materiæ, & subjecti, sicque forma est incompleta activè, non passivè, ut suprà diximus, id est, ordinatur essentialiter ad complendum aliud, seu ad illud informandum, non autem petit ut ipsa hoc modo compleatur, seu ut informetur ab aliquo alio, saltem in modo constituendi compositum, cùm in hoc munere sit purus actus physicus, non potentia.

VII. *Forma etiam perficitur à materiâ, & unione.*

Urgebis, ergo est perfectivum, non perfectibile. Distinguo consequens, si per perfectibile intelligatur aliquid ordinatum ut sit potentia, seu subjectum in constitutione physicâ compositi, concedo consequentiam; hoc enim sensu forma est actus, non potentia, ut cum Aristotele docet communis Philosophorum sententia, & consequenter congruentius est ut in munere constitutionis compositi removeatur à formâ omnis ratio potentiæ. Si autem per perfectibile intelligatur id quod petit ut aliud ipsi addatur per intimam unionem, ad munus aliquod præstandum, nego formam non esse perfectibilem, hoc enim modo forma perficitur etiâ intrinsecè, id est, accipit suam perfectionem intrinsecè sibi conjunctam per unionem, & est quid incompletum respectu, non suæ compartis tantùm, seu materiæ, sed etiam unionis. Unde videtur fermè quæstio de nomine, utrùm unio sit etiam in formâ, modò dicatur non sustentari à formâ, nec ejus potentiâ educi. Certum enim est formam intrinsecè per unionem conjungi materiæ.

VIII. *Quid sit esse terminum intrinsecum.*

Restat solùm hìc explicandum, quid sit esse terminum intrinsecum. Ad quod, notandum, ut in superioribus diximus, res quasdam esse quæ dicunt essentialem ordinem ad alia, quæ proinde ordines seu relationes transcendentales vocantur, ea verò quæ respiciunt hi ordines, sunt istarum rerum seu ordinum termini. Quapropter relationes istæ vocantur viæ & tendentiæ ad illa; sic actio est via ad effectū, visio ad objectum, &c. Cùm ergo hi ordines ita respiciunt terminos, ut physicè illis annectantur, & non solùm extrinsecè terminentur, ut visio; & cognitio respiciunt objecta quibus non uniuntur physicè sed solùm intentionaliter & extrinsecè tunc, in-

quam, termini illi dicuntur intrinseci, ut effectus respectu actionis, forma respectu unionis, & sic de aliis.

IX. *Quid sit respicere ut purè terminum intrinsecum.* Respicere autem aliquid ut purè terminum intrinsecum, est ita illud respicere, ut intrinsecè quidem illi uniatur, non tamen ut in re il â cui unitur, sit aliqua incompletio, seu potentialitas, ut sec. præcedente dictum est n. 7. Ex quo infertur, Verbum Divinum respectu unionis hypostaticæ esse purum terminum, utpote quod est usquequaque completum. Qua de re fusè dixi disp. 1. de Incarn. s. secundâ.

SECTIO VIII.

Sitnè unio eadem realiter cum actione productivâ formæ.

I. *Duæ oppositæ sententiæ.* Affirmat P. Suar. d. 13. Met. s. 9. n. 22. & alii ex recentioribus, quoad unionem formarum materialium. Negat P. Hurt. d. 5. Phy. s. 2. & 3. P. Arriaga d. 4. Phy. l. 3. n. 77. & plurimi ex recentioribus.

II. *Actio productiva animæ rationalis non est unio.* Dico primò: distinguitur realiter unio ab actione productivâ animæ rationalis. Ratio est clara, nam anima creatur, unio autem in productione hominis generatur: cùm producatur vi agentium naturalium, illa autem juxta communem sententiam creare non possunt, saltem de facto nunquam creant.

III. *Possunt aliquando identificari unio & actio.* Dico secundò: nulla apparet implicantia cur actio eductiva formæ materialis non possit esse illius unio cum subjecto. Quæ enim implicatio ut hi duo conceptus, qui aliquando inveniuntur separati nonnunquâ inveniantur in eâdem entitate identificati, cùm nullam involvant in se contra dictionem vel oppositionem? Sic eadem entitas est relatio similitudinis & dissimilitudinis ad albedinem & nigredinem, eadem est visio albedinis & nigredinis, eadem ratio vegetativi, sensitivi, rationalis, &c.

IV. *Eadem potest esse visio albedinis, & nigredinis.* Quæ tamen non ita capienda sunt quasi visio quæ semel est albedinis tantùm, postea fiat visio nigredinis, aut è contrà, sed quod detur tertia visio quæ in se contineat rationes utriusque, & essentialiter sit visio albedinis simul & nigredinis, nec possit esse visio albedinis tantùm. Sic licè: unio, quæ de facto est inter materiam & formam materialem, non sit illius eductio, sed aliud sit actio quâ producitur seu educitur è potentiâ materiæ, aliud unio per quam informat materiam; quid tamen vetat hos duos conceptus in entitatem tertiam coalescere, & in eâ reperiri identificatos? Sicut etiam non apparet implicatio cur non possit actio creativa animæ esse unio animæ & corporis, & habere in se duos illos conceptus identificatos, qui communiter reperiuntur separati, nempe creationis & unionis, licèt tunc anima eâdem actione non possit conservari unita & separata. Tandem multi dicunt materiam & animam separatas habere suas partiales subsistentias, quando autè uniuntur, perire partiales illas subsistentias, & aliam totalè resultare, quæ contineat in se rationes duarum partialium, & reddat materiam & formam subsistentes, per unam subsistentiam totalè, quæ antea subsistebant duabus partialibus.

Creatio animæ potest esse illius unio.

V. *Vnio distinguitur ab actione eductivâ.* Dico tamen tertiò: actio eductiva, seu generativa formæ materialis non est illius unio cum subjecto, unio inquam, informationis per quam forma illa verè informat materiam, & constituit compositum: unde si per divinam potentiam daretur actio generativa sine unione informationis, non constitueret compositum substantiale. Ita Hurt. & Arriaga citati, & alij.

VI. *Ratio est primò, quia nulla est hujus necessitas.* Ratio conclusionis est primò; quia licèt, ut dixi, non repugnet; ut hi duo conceptus subinde identificentur, non tamen propterea sequitur identificari eos necessariò semper in omni actione eductivâ: sicut etiam juxta ipsos adversarios, licèt non sit implicatio, cur unio materiæ & formæ sit earum subsistentia, aut cur unio sit sua ubicatio & duratio, cùm conceptus unionis, & ubicationis, aut durationis inter se non opponantur, adhuc tamen unionem ponunt distinctam ab ubicatione, duratione, & subsistentiâ, poni ergo similiter debet unio distincta ab actione generativa.

VII. Dices; disparem esse rationem, idcò enim unio distinguitur ab ubicatione, quia alioqui sequeretur, quoties compositum movetur loco mutari & perire unionem, & novam emergere. Sed contrà, idem enim hic sequitur inconveniens, quoties liquidem mutatur causa conservativa ignis, si unio formæ ignis sit actio ejus productiva vel conservativa, toties etiam mutabitur unio, cùm, agente mutato, cesset necessariò actio.

VIII. Dices; hoc non sequi, nam licèt primò producatur ignis vel calor ab alio igne, postea tamè amoto illo igne conservatur à solo Deo, & sic ad summum semel mutatur ejus unio cùm semel tantùm mutetur actio. Contrà, Deus non operatur per se solum, nisi ut suppleat defectus causarum secundarum, ergo quoties succedit causa secunda potens producere & conservare hanc formam, Deus non debet eam solus conservare, cùm hîc nulla urgeat necessitas supplendi defectum, quippe ubi defectus non est. Quoties itaque applicatur aliud agens naturale potens effectum illum conservare, Deus eum solus conservare desinit, ac proinde toties etiam mutabitur actio conservativa formæ, & consequenter unio, cùm secundùm hanc sententiam sint idem.

Deus non supplet defectus causarum secundarum, nisi ubi est necessitas.

IX. Hinc infero, sequi ex hac sententiâ, ignem productum à sole, esse specie inadæquatâ distinctum ab alio producto à solo Deo, aut ab igne, & universim loquendo, quoties agens est specie diversum, effectus erunt specie inadæquatâ diversi. Unde etiam Adamus & Eva in primâ sui productione diversam specie habuissent unionem ab omnibus posteris, utpote producta à solo Deo. Sic etiam idem numero homo, Petrus v.g. productus à suis parentibus & conservatus à solo Deo, esset specie physicâ diversus à se, cùm tota unio mutaretur specie physicâ ad mutationem agentis, sicut ad ejusdem mutationem specie mutatur actio.

Adamus & Eva haberent uniones specie distinctas ab unionibus posterorum.

X. *Diversus est conceptus actionis, & unionis.* Secundò probatur conclusio à priori: conceptus unionis ut unionis præcisè & formaliter, non est conceptus actualis dependentiæ, seu influxus ab aliquo agente, sed solùm connexionis materiæ & formæ inter se, ad constituendum unum compositum, & non ut connectantur quomodocunque, sed ut forma informet materiam, & materia recipiat denominationes formæ, ed hoc totum potest habere absque eo quod sit influxus in formam, ergo dicendum est ita esse, præsertim cùm, ut dixi, sit contra communem sensum omnium, non posse eundem omnino & adæquatè numero ignem conservari successivè à diversis agentibus, sed pro varietate causarum mutari etiam unionem.

SECTIO IX.

Solvuntur argumenta contendentia unionem esse actionem eductivam.

I. Objicies primò, licèt omnis unio materiæ & formæ non sit influxus ejusdè in formam, seu actio generativa, ut constat in animâ rationali, &, si

Deus

Fundamentum præcipuum contrariæ sententiæ.

Deus accidentia Eucharistica, aut formam materialem conservatam actione creativâ uniret materiæ, è contrà tamen omnis actio generativa est unio, cùm ex vi illius, terminus connectatur inseparabiliter cum materiâ, ergo est nexus formæ cum subjecto, ergo unio.

II. *Cujusdam responsio circa actionem generativâ.*

Huic objectioni ut respondeat quidam recentior, ait actionem generativam non esse ex conceptu suo connexionem intimam termini seu formæ cum subjecto, sic enim, inquit, esset informatio. Ait ergo partem A materiæ influere ex naturâ suâ in partem B formæ sibi proximam, & non in partem intimè sibi præsentem, ita ut tandem aliqua pars formæ possit connaturaliter, quantum est ex vi hujus actionis, esse planè extra materiam, nisi unio partes quasi cohiberet, & eas in ordinem redigeret.

III. *Passio intrinsecè immutat subiectum.*

Sed contrà primò, nam passio ut passio ex conceptu suo essentiali immutat subjectum, & illud denominat passum, ergo conceptus passionis est ut sit intrinseca subjecto, sed omnis actio eductiva est passio, seu influxus materialis, ergo omnis actio eductiva denominat subjectum passum intrinsecè, sicut actio denominat agens extrinsecè, cùm passio; juxta Aristotelem & omnes Philosophos, debeat esse in passo, & passum pati à passione, & per illam immutari.

IV. *Eodem modo posset tota forma esse extra subjectum.*

Contrà secundò, eâdem probabilitate dici posset totam formam posse esse extra materiam, modò sit illi proxima, atque quod parva aliqua ejus pars sit extra materiam: cùm enim nulla pars sit quæ non sit divisibilis, non apparet cur non æquè possit materia influere in paulò majorem partem formæ extra ipsam, sicut potest influere in illam, sicut in efficiente, ut ignis producat ignem, sufficit esse ignem producentem proximum ligno, quod in ignem convertit.

V. *Quomodo forma pendeat à materiâ divisibiliter.*

Dices; forma dependet divisibiliter à materiâ, ergo ex vi actionis generativæ non est in materiâ. Distinguo antecedens, si per dependere divisibiliter, intelligatur ita dependere formam à materiâ, ut tota materia non influat in singulas partes formæ (sicut contingit in agente, quod totum producit omnes partes formæ, & actionis) sed ita ut singulæ partes formæ, & actionis correspondeant singulis partibus materiæ seu passi, concedo; si autem per dependere divisibiliter, intelligatur, formam dependere à materiâ separabiliter, id est, quòd stante hac actione dividi à materiâ & separari possit formâ, nego. Ita ergo pendet actio ab agente, ut ablata vel minimâ parte agentis necessariò pereat tota actio, & consequenter hoc sensu pendet actio ab agente indivisibiliter, à materiâ verò non item, sed pars A formæ & actionis pendet à parte A materiæ determinatè, & pars B formæ & actionis à parte B materiæ, & sic de cæteris: unde ablatâ parte B materiæ, non aufertur aut perit pars A actionis, sed solùm pars B ipsi correspondens, ablatâ autem parte B in agente, aut alia quacunque minimâ parte perit tota actio, sicut ablata minima parte objecti, perit tota visio, quia indivisibiliter respicit totum objectum.

Actio materiam respicit divisibiliter, causam efficientem indivisibiliter.

VI. *Actio eductiva qua ratione uniat formam materiæ.*

Ad argumentum ergo n. 1. positum respondeo distinguendo antecedens, omnis actio eductiva est unio aliquâ ratione, concedo antecedens; est unio informationis, nego: hæ enim diversa habeunt munera, actio eductiva ut faciat formam dependere à materiâ, per modum in illam influentis, unio autem informationis ut eam faciat informare materiam & constituere compositum; qui duo conceptus sunt separabiles. Sicut licèt subsistentia totalis, quam multi ponunt in composito, sit unio materiæ & formæ, cùm uniat se utrique, & actio alligativa quâ Deus alligat Corpus Christi speciebus, licèt sit unio aliqua, neutra tamen est unio informationis, hæc siquidem est peculiaris unio, & ex essentiâ suâ ordinata ad faciendum compositum, & ut denominet formam informantem, & tribuentem suos effectus formales materiæ, non dependentem ab eâ tanquam à causâ influente, ut clarè constat in unione animæ rationalis, quæ illam denominat informantem materiam, non tamen ab illâ dependentem.

VII. *Per actionem generativam forma non est in materiâ, ut actus in potentiâ.*

Dices, per actionem generativam forma est in materiâ, ut actus in potentiâ, ergo per eam informat materiam. Nego antecedens, licèt enim per illam actionem sit actus in potentiâ, forma enim, ubicunque est, est actus in actu primo, & materia est potentia; non tamen est in materiâ ut actus, ut enim reducatur ad actum secundum informativum, requirunt peculiare genus unionis, non per modum influxûs (ut constat si forma materialis conservaretur priùs sine omni subjecto, seu concursu creativo) sed ad hoc opus est unione alterius rationis, cujus munus sit illam reddere informantem, non dependentem: sicut è contrà munus generationis est reddere dependentem, non informantem. Et idem argumentum confici posset de subsistentiâ totali, actione alligativâ; & ubicatione duplici, per quam anima necessariò est in materiâ, & actus in potentiâ, cùm stante hac duplici ubicatione, anima non possit non esse intimè præsens materiæ. Non tamen est in eâ ut actus in potentiâ, quia scilicet non habet talem unionem qualis ad hoc minus exigitur.

VIII. *Quæ necessitas sufficiat ad multiplicanda entia.*

Objicies secundò; non sunt multiplicanda entia sine necessitate, sed per nos potest dari actio eductiva, quæ simul sit unio informationis, ergo debet semper esse hujusmodi. Resp. non esse multiplicanda entia sine necessitate saltem secundùm quid, seu ad melius esse. Sicut licèt non sit absolutè necessarium ut ubicatio distinguatur ab actione conservativâ cujusque rei, communiter tamen negatur de facto ita esse, quia res mutare possunt locum, & consequenter ubicationem, sine eo quod mutetur actio earum conservativa. Cùm ergo in conceptu unionis non reluceat hoc prædicatum, quod scilicet ex se ab uno agente dependeat magis quàm ab alio, non est cur identificetur cum actione.

IX. *Unio involvit actionem, & passionem concomitanter.*

Objicies tertiò; omnis motus & mutatio involvens actionem & passionem, consistit formaliter in actione & passione, sed unio involvit actionem & passionem, ergo consistit, in illis. Resp. distinguendo minorem, unio involvit actionem & passionem concomitanter: transeat minor; formaliter, nego: involvere autem hæc concomitanter, non requirit ut ipsa entitas unionis sit actio, vel passio formaliter, sed ut habeat actionem & passionem se concomitantem, quâ educatur è subjecto. In ordine tamen ad Divinam potentiam unio non requirit passionem, ne quidem concomitanter, cùm nulla sit repugnantia cur non possit creari, ut ostendi d. præced. s. tertiâ.

X. *Quo sensu materia patiatur ab unione.*

Dices; materia patitur ab unione, ergo unio est passio. Conf. materia recipit formam per unionem, ergo unio est receptio, & consequenter passio. Ad argumentum distinguo antecedens, si per pati solùm intelligatur mutari quomodocumque, & accipere novum effectum formalem, concedo antecedens; si verò per pati intelligatur influere materialiter in actu secundo, nego. Ad confirmationem Resp. si receptio capiatur latè, sicut materia etiam dicitur recipere animam rationalem per unionem creatam, concedo antecedens; si pro strictâ receptione seu influxu, ut communiter capi solet, nego.

XI. *Quomodo unio subjecto suo uniatur mediatè.*

Instabis, ergo unio unitur subjecto suo mediatè, nempe per actionem generativam seu passionem, ergo non est intima affectio sui subjecti. Distinguo consequens, in ratione unionis, nego consequentiam;

tiam; in ratione termini producti, concedo. Per aliam ergo unionem informationis uniri non potest suo subjecto, sicut nec actio alia actione produci, sic enim daretur processus in infinitum: ut terminus tamen productus subit legem aliorum terminorum, & effectuum, & sicut producitur per actionem distinctam ab agente, sicut illi, ita & unitur subjecto sustentationis per passionem à se distinctam. Unde si divinitùs existeret actio generativa formæ ignis sine unione informationis (quod multi putant posse contingere) non esset in eo casu ignis, nec paries foret albus si non haberet aliam unionem albedo, præter meram actionem eductivam, si in compositis etiam accidentalibus dicatur distingui unio seu inhærentia ab actione eductivâ, quod mihi videtur probabilius, saltem in non vitalibus. Actio proinde eductiva dici potest radicalis unio informationis, id est, petens formalem, non tamen est formalis unio informationis.

Vnio accidentium distinguitur ab eorum eductione.

DISPVTATIO XV.

De Composito substantiali.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm Compositum distinguatur à partibus simul sumptis.

I. *Totum non distinguitur à partibus simul sumptis.*

Conclusio: Compositum substantiale non distinguitur à partibus simul sumptis seu unitis. Ita S. Thomas 1.p.qu.11.ar.2.ad 2.& q. 75.a.4.corp.& 4.cont.Gentes q.81. Suar.d.36.s.5. P.Hurt.d.6.phy.s.1.P.Arriaga d.5.s.1.Rub.1.Phy. t.39.q.1.P. Oviedo c.5.Phy.p.1.n.2.Tol. Murcia, & alij: & videtur expressa mens Aristotelis 8. Met. c. 6. in hoc distinguentis totum per aggregationem, quale est acervus lapidum, à toto per se uno, quale est lignum, lapis &c. quod illud nihil addat supra partes simul sumptas localiter, hoc verò aliquid aliud superaddat, nempe unionem, & nihil aliud, ergo juxta Aristotelem compositum non distinguitur à partibus unitis.

II. *Conceptis partibus compositis concipitur compositum.*

Ratio à priori est, quia positâ materiâ & formâ inter se unitis, omni alio secluso, intelligitur compositum, æquè ac posito Petro ac Paulo in gymnasio intelliguntur illic esse duo homines, ergo non est opus aliquo alio, nec potest intelligi quid aliud sit totum, aut nova illa entitas, in qua ponunt nonnulli rationem totius. Conf. totum substantiale duo dicit, alterum pro materiali, nempe partes, alterum pro formali, compositionem scilicet, seu unionem, ergo his positis, æquè intelligitur totum, ac positâ albedine in subjecto intelligitur album, seu concretum accidentale, ergo positis partibus & unione, intelligitur tota ratio formalis constitutiva compositi substantialis, ergo intelligitur compositum, ubi enim est tota essentia rei, est ipsa res. Conf. secundò, positâ unione inter partes intelligitur unitum formaliter, ergo compositum formaliter, ergo nullo alio superaddito est opus, nec esse aliud potest in quo consistat compositum. Conf. tertiò, illa entitas in equo v. g. quam volunt esse distinctam à partibus unitis, vel est simplex, vel composita, non primum, est enim implicatio in terminis ut idem sit compositum, & omnino simplex: Deinde materia & forma equi non essent partes illius compositi, seu equi. Non secundum, quia tunc haberet suas partes distinctas à materiâ, formâ & unione, ergo de illis idem posset fieri argumentum, & sic in infinitum.

Entitas illa distincta nec potest esse simplex, nec composita.

III. *Probatur secundò ex definitione hominis.*

Secundò probatur: definitio physica hominis est, quòd sit *quid constans ex materiâ & animâ rationali unitis*, sed hoc nihil aliud est quam materia, anima rationalis, & unio illas connectens, ergo homo nihil aliud est quàm hæc tria. Conf. id quod superadditur his tribus, vel est de essentiâ hominis, vel non: si non, ergo illa tria sunt tota essentia hominis, ergo totum compositum; si sit de essentiâ hominis, ergo illa non est perfecta hominis definitio, utpote quæ non convertatur cum definito, nec explicet totam quidditatem rei. Conf. secundò, nam illud totum produci deberet actione aliquâ, nec enim esset à se, ergo crearetur, nec enim educi potest ex potentiâ alicujus subjecti, cùm non sit forma.

Totum illud à partibus unitis distinctum debens creari.

IV.

Nec præter materiam, formam, & unionem requiritur aliqua alia integritas, vel totalitas quam volunt aliqui superaddi, positis enim materiâ, formâ, & unione, nihil aliud requiritur ad totalitatem & integritatem compositi, & si quid adderetur, de eo formari posset idem argumentum, vel saltem de materiâ, formâ & unione simul cum illo. Unde nec derivatur aliquod aliud esse substantiale in materiam à formâ, ut vult Vasquez To.1.in 3.p.d.19.n.29. sed positis his tribus intelligitur totum quod requiritur ad essentiam completam & integritatem compositi substantialis, ut compositum substantiale est.

Opinio P. Vasquez circa compositum.

V.

In contrariâ sententia sunt Scotus, Cajetanus, & alij apud Conimbric.1.Phys.ca.2.qu.1.ar.1.qui eam etiam amplectuntur. Objiciunt ergo hi auctores primò, estque intricatissima difficultas in hac materiâ.

Opinio Scoti, Caiet. & Conimb.

VI. *Argumentum difficile.*

Causa adæquata distingui debet ab effectu, sed materia & forma unitæ sunt causa adæquata compositi, ergo debent distingui ab illo, alioquin essent causa sui, quia secundùm nos ipsa sunt compositum. Retorqueo argumentum, quicquid adversarij ponunt in composito præter hæc tria, est pars aliquo modo constitutiva illius, ergo unà cum materiâ, formâ, & unione illud constituit causam adæquatam compositi, & tamen non distinguitur compositum à materiâ, formâ, unione, & illo superaddito, ergo tam debent ipsi solvere hoc argumentum, quàm nos, nisi fortè dicant, his tribus positis resultare quasi effectivè tertiam aliquam entitatem, quam vocant compositum, quod est inintelligibile, & contra rationem causandi causæ intrinsecæ, qualis est materia, forma, & unio. Impugnatur præterea tertia hæc entitas argumentis omnibus suprà factis. Deinde, tertia illa entitas quæ est homo, vel includit animam rationalem, vel non: si includat, ergo anima est pars illius constitutiva, sicque redit prior difficultas, si non includat animam, ergo anima non est de essentiâ hominis.

Retorquetur argumentum.

Impugnatur ulteriùs hæc sententia.

VII. *Resp. primo argumento suprà facto.*

Ad argumentum ergo Resp. primò distinguendo minorem; materia, forma, & unio sigillatim & disjunctivè sumptæ, sunt causa compositi, concedo minorem; simul & copulatim sumptæ, nego. Sic enim non sunt causa compositi, sed ipsum compositum; utroque autem modo sunt à parte rei.

Hæc

VIII. *Hæc solutio gravem patitur difficultatem.*

Hæc solutio est utcunque probabilis, gravem tamen patitur difficultatem, partes enim sigillatim seu distributivè sumptæ non distinguuntur realiter à partibus collectim sumptis, cùm ergo partes collectivè sumptæ non sint causa compositi, nec erunt illius causa partes sumptæ sigillatim, alioqui eisdem entitatibus à parte rei idem physicè, & realiter conveniret, & idem physicè & realiter non conveniret.

IX. *Secunda prioris argumenti solutio.*

Resp. itaque secundò, probabilius videri non posse dari causam unam adæquatam intrinsecam respectu compositi, sicut potest dari causa adæquata extrinseca respectu tam compositi, quàm cujusvis alterius effectûs producti. Ratio est, nam ipso facto quòd intelligantur partes collectim & per modum unius, intelligitur ipsum compositum, nihil autem potest naturaliter esse causa sui.

X. Quamvis ergo singulæ partes à se invicem adæquatè distinguantur, & inadæquatè à composito, utraque tamen simul sumpta nullo modo distinguitur à toto, nec distingui potest, cùm tradendo se constituant compositum, unde ipso facto quòd sit utraque conjuncta, est compositum, & in hoc differt causa intrinseca & extrinseca. De quo iterum redibit sermo infrà d. 22. s. 2. n. 1.

XI. *Tertia solutio, causam adæquatam intrinsecam non distinguit ab effectu.*

Tertiò responderi posset, non esse inconveniens concedere, causam adæquatam intrinsecam non necessariò distingui realiter à re causatâ, cùm totum non sit propriè effectus illius, nec causa adæquata propriè in illud influat; nec enim causa intrinseca est propriè causa, cùm verum influxum non habeat: proinde cùm dicitur conceptum causæ esse ad aliud, intelligi debet de eo quod est propriè causa, qualis non est causa intrinseca, saltem adæquata, & copulatim sumpta.

XII. *Compositum non est unum simplex*

Objicies secundò; Compositum est unum, & ejus productio una, ergo distinguitur à partibus, hæ enim à duabus actionibus producuntur. Distinguo, est unum simplex, nego; unum compositum, concedo: productio autem ejus dicitur una, vel aggregatione, vel ratione unionis, quæ in quovis composito substantiali est tantùm una.

XIII. *Sex non sunt bis tria, Sed semel sex.*

Objicies tertiò, Aristotelem 5. Met. ca. 14. dicentem, *sex non esse bis tria, sed semel sex*, ergo totum distinguitur à partibus. Conf. 7. Met. c. 17. ait syllabam *Ba* non esse has litteras A & B. Ad argumentum dico, loqui c. illo 14. Aristotelem de distinctione numerorum inter se, & ait numerum senarium non esse bis tria, seu duos numeros ternos, sed unum senarium, seu constantem sex unitatibus, non seorsim, sed simul sumptis. Ad Confir. facilior est responsio, solùm enim vult syllabam *Ba* non esse litteras A & B. seorsim aut inverso modo sumptas, sed simul, & recto ordine dispositas.

SECTIO II.

In quo subjecto recipiantur accidentia.

I. *Quantitas recipitur in solâ materiâ.*

Dico primò: quantitas non recipitur in toto composito, sed in solâ materiâ tanquam in subjecto, in formâ autem nec partialiter: ita P. Suar. d. 14. Met. s. 3. nu. 43. Conimb. 2. de generat. c. 4. qu. 4. ar. 1. P. Hurt. disp. 6. s. 6. §. 41. P. Arriaga d. 5. Phy. s. 2. nu. 13. contra quosdam, quos sequitur Vasqu. To. 2. in 3. p. d. 129. Rubius de Generat. cap. 4. t. 3. q. 8. n. 187. & alij nonnulli.

II. Ratio conclusionis est primò, quia quantitas, licèt subjectetur in solâ materiâ, adhuc præstabit omnia munera ad quæ ordinatur, nempe denominabit formam extensam, & totum compositum quantum: sicut secundùm omnes, denominat formas accidentales, ut albedinem, dulcedinem &c. quantas & extensas, licèt in illis non subjectetur. Sic etiam albedo denominat totum hominem album, & volitio volentem, licèt subjectetur illa in solâ materiâ, hæc in solâ animâ. *Probatur Conclusio primò*

III. *Totus homo non est propriè albus, nec ulla qualitas propriè quanta.*

Propriè tamen loquendo, totus homo non est subjectum albedinis aut volitionis, sed solùm cum restrictione, nempe subjectum denominationis, sicut nec albedo, aut ulla qualitas est extensa, vel quanta propriè loquendo, quia hic est effectus proveniens à quantitate, tanquam à formâ, sed solùm dicuntur accidentia extensa ad extensionem subjecti, quia scilicet diversæ partes quantitatis recipiuntur in diversis partibus subjecti quanti & extensi, sicque sunt accidentia quanta quasi concomitanter, non formaliter.

IV. *Ratio à priori, cur quantitas subjectetur in solâ materiâ.*

Secundò probatur conclusio à priori: quantitas est dispositio ad formam substantialem materialem, ergo non subjectatur in illâ, nec partialiter, cùm priùs naturâ sit quàm illa, ac proinde ut sit, non potest pendere ab illâ à priori. Antecedens constat, nam agentia naturalia non possunt agere, & consequenter nec producere formam substantialem, vel accidentalem, nisi in subjecto quanto & extenso.

V. *Albedo, & aliæ qualitates non recipiuntur in formâ.*

Quod de quantitate dixi, à fortiori dicendum est de aliis accidentibus, calore, frigore, siccitate &c. nempe non subjectari in formâ, seu toto composito, sed in solâ materiâ. Quando autem S. Thomas & Aristoteles dicunt accidentia esse in toto composito, intelligendi sunt esse in eo ut in subjecto denominationis, licèt subjectentur propriè in solâ materiâ: sicut homo dicitur cæcus à cæcitate quæ est in solo oculo. *Mens S. Thomæ, & Aristotelis.*

VI. *Materia priùs dignitate unitur formæ, quàm quantitati.*

Dices; priùs unitur materia formæ quàm quantitati. Distinguo, priùs dignitate, id est, præcipuè & ordine intentionis, concedo; priùs executione, nego.

VII.

Dices secundò; quantitas & accidentia sunt proprietates totius, ergo recipi debent in toto. Nego consequentiam, ad hoc enim sufficit ut recipiantur in alterâ ejus parte, sicut homo est ægrotus, licèt solum caput doleat. Deinde, quantitas non dicitur proprietas totius, sed proprietas & passio materiæ, & illi coæva.

VIII. *Calor, frigus, & alia qualitates non recipiuntur in quantitate.*

Dico secundò: probabilius videtur, licèt non sit ita certum, reliqua accidentia absoluta, ut qualitates materiales, quales sunt calor, frigus, albedo, &c. recipi in solâ materiâ tanquam in subjecto, & non in quantitate. Ita P. Hurt. d. 6. Phy. s. 6. §. 5 5. P. Arriaga d. 5. Phv. s. 2. n. 37. & alij plurimi, licèt contrarium teneat P. Suar. d. 14. s. 4. & alij.

IX. *Probatur qualitates non recipi in quantitate.*

Probatur primò, munus accidentium est disponere subjectum ad receptionem formæ substantialis, sed quantitas non est subjectum nec partiale quidem formæ substantialis, sed sola materia, ergo dispositiones sunt in solâ materiâ quæ disponi debet immediatè physicè ad formam quam immediatè recipit. Et licèt responderi posset sufficere ad rationem dispositionis, ut sit in quantitate, quæ est in meteriâ, longè tamen perfectiùs disponitur, si dicantur accidentia illi inesse immediatè. Conf. sicut munus quantitatis est disponere materiam ad formas, & operationes materiales, & ad alia accidentia materialia, reddendo illam extensam, & impenetrabilem; ita munus primarum qualitatum est partim disponere ad secundas, sed secundæ non propterea dicuntur recipi in primis, ergo nec primæ nec secundæ propter hanc rationem recipientur in quantitate.

X. Nec argumentum contra hoc ducitur ex mysterio Eucharistiæ, nempe nisi subjectentur accidentia in

in quantitate sequi plurima multiplicatum iri miracula, tot scilicet quod sunt diversa accidentia: Nec enim est cur refugiamus in illo mysterio miracula, in quo *memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus*, dum nimirum *Escam dedit timentibus se*. Imò huic sententiæ favere videtur Concilium Constantiense, sess. 8. ubi definitur, accidentia panis manere in Eucharistiâ sine subjecto, qua de re latè dictum est d. 12. sec. 3. Quòd licèt contrarij interpretentur de subjecto remoto, nempe substantiâ panis, Concilium tamen loquitur absolutè, sicque conformiùs ad verba Concilij intelligitur de omni subjecto; ac proinde non sunt in quantitate tanquam in subjecto. Quamvis non negem valde probabile esse hæc accidentia subjectari in quantitate.

Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum est memoria mirabilium Dei.

XI. Dices; quantitas in Eucharistiâ est alba, frigida &c. ergo subjectantur hæc accidentia in quantitate. Nego antecedens, si propriè loquamur: licèt etiam accidentia illa sint extensa, non tamen hoc habent ex eo quòd subjectentur in quantitate, sed quòd cum illâ penetrentur commensurativè per suam ubicationem, & extensionem ad locum. Nec ex eo quòd materia non possit recipere calorem, frigus, & cætera accidentia sine quantitate, sequitur propterea illa subjectari in quantitate, sicut nec sequitur formam substantialem in eâdem subjectari, licèt sine quantitate materia non sit proximè apta ad eam recipiendam: sicut etiam secundæ qualitates, ut albedo, dulcedo, &c. non recipiuntur in primis, calore sci. frigore, &c. esto hæ ad illas necessariò in subjecto præsupponantur, non minùs quàm dispositiones ad formam substantialem, in quibus similiter non subjectatur.

Quantitas in sacrosanctâ Eucharistia est alba tantum denominativè.

Secundæ qualitates supponunt primas.

XII. Dices secundò; dispositiones sæpè sunt in uno subjecto, forma verò ad quam disponunt, in alio: ut actus intellectûs disponit ad actum voluntatis, visio ad appetitionem, actus meritorius in voluntate ad gratiam in animâ, actus peccati ad expulsionem gratiæ, & alia hujusmodi, ergo licèt accidentia disponant ad formam, non est necessarium ut sint in materiâ, sed possunt esse in quantitate. Ad duo ultima respondetur primò, solùm esse dispositiones morales, moventes sci. Deum ad dandam vel tollendam gratiam, de quibus dispar esse potest ratio, ac de dispositionibus physicis physicè subjectum disponentibus ad formam in eo recipiendam, ac propterea debent dispositiones physicè esse in subjecto disposito. Resp. secundò generaliter de omnibus illis simul, recipi omnia in eodem subjecto in quo formæ ad quas disponunt, nam & illa & formæ recipiuntur, etiam immediatè in substantiâ animæ, ut suo loco dicetur.

Dispositio in uno subjecto, & forma in alio.

Aliud de dispositionibus moralibus, aliud de physicis.

XIII. Hæc quidem probant debere necessariò qualitates seu dispositiones recipi immediatè in materiâ, quam disponunt ad formam substantialem: si tamen quis diceret ita recipi immediatè in materiâ, ut tamen recipiantur simul in quantitate, sicut actus intellectûs subjectantur immediatè in intellectu & in animâ, non facilè convinceretur. Dici tamen posset non apparere ullam rationem, cur non æquè posset materia sola recipere alia accidentia, ac recipere potest quantitatem. Deinde non est cur dispositiones recipiantur etiam partialiter in quantitate, cùm forma ad quam disponunt, nec partialiter in eâ recipiatur. Præterea sicut secundæ qualitates non recipiuntur in materiâ, & simul in primis, ne quidem partialiter, licèt primæ disponant aliquo modo & prærequirantur ad secundas, ita accidentia nec partialiter recipientur in quantitate, esto ad illorum receptionem in materiâ necessariò prærequiratur quantitas, & materiam quodammodo ad illorum receptionem disponat.

Rationes cur qualitates nec partialiter recipiantur in quantitate.

XIV. Contrariæ tamen sententiæ sua maneat probabilitas; ita enim hanc probo, ut illam non improbem, ob auctoritatem præsertim S. Thomæ, qui in illâ opinione esse videtur.

Probabile tamen est qualitates recipi in quantitate.

Quæres utrùm unio sit de essentiâ compositi substantialis? Respondetur affirmativè: primò, quia est ipsa forma compositi quà talis, compositum enim quà tale dicit pro formali compositionem, seu unionem, non minùs quàm album albedinem. Deinde, essentia Petri non est anima & corpus quomodocunque, seu in actu primo, sed anima & corpus unita, & in actu secundo conjuncta ad faciendum unum totum, & Petrus essentialiter est quid compositum, non est autem compositum formaliter nisi per compositionem & unionem.

XV. *Unio est de essentiâ compositi.*

XVI. Utrùm autem unio dici debeat pars compositi necne, quæstio videtur de nomine: Si enim per partem intelligatur quicquid physicè & realiter ingreditur constitutionem compositi ut aliquid illius, certum est unionem esse partem, nec Angelus videns partes & non unionem, videret totum hominem. Si autem per partem intelligatur rigorosè pars, sicut cum dicitur homo constare duabus tantùm partibus, materiâ sci. & formâ, sic unio non est pars, cùm non habeat se *ut quod* in constitutione hominis, sed *ut quo* partes illi dantur, estque quasi integritas utriusque partis. Sicut actio non est id *quod* vel agit, vel producitur, sed id *quo* agens agit, & quo effectus producitur. Unde unio vocari potest pars *ut quo*, seu ratio per quam partes constituuntur actu partes.

Num unio dicenda sit pars compositi, necne, & est de nomine.

XVII. Disputant hic aliqui, darine possit corpus simplex. Sed quæstionis hujus discussionem differam in libros de Cœlo d. 3. ubi quæri solet, an cœli de facto sint Corpora simplicia, vel composita ex materiâ & formâ.

Darinè possit corpus simplex dicetur in libris de cœlo disp. tertiâ.

Finis libri primi Physicorum.

DISPVTATIO XVI.

De Naturâ.

LIbro primo egit Aristoteles de Principiis intrinsecis, seu partibus compositi naturalis, tum in se, tum in ordine ad compositi constitutionem: nunc hoc secundo libro agit de Principiis extrinsecis ejusdem compositi, vel etiam de intrinsecis, non ut constituunt compositum, sed ut ordinantur ad motum, ut disputationum decursu constabit.

SECTIO

SECTIO PRIMA.

Explicatur conceptus Naturæ, & quibus rebus competat.

I. *Natura naturans, seu creatrix est Deus.*

NAtura variè sumitur: primò itaque alia est *natura naturans*, vel ut magis propriè loquitur S. Augustinus, *natura creatrix*, hæc autem natura est Deus omnium opifex, utpote qui res creatas produxit, productasque moderatur, & conservat, qui proinde natura universalis vocatur. Alia est natura naturata, & particularis, nempe res aliæ omnes. Secundò natura idem sonat atque universalitas rerum, seu causæ naturales. Quo sensu dicimus miracula esse supra naturam, naturam nihil moliri frustra, & similia. Tertiò pro essentia, quo sensu dicimus Deum habere unam naturam, id est essentiam, & tres personalitates. Quo etiam sensu dicuntur Philosophi considerare naturas rerum. Quartò prout distinguitur ab essentia, & dicit ordinem ad operationes, estque natura quasi *nascitura*, à nascendo, vel aliquid agendo, & hoc sensu Φύσις dicitur ἀπὸ τ̃ Φύειν. Videantur Conimb. hîc q. 1. a. 1. ubi ad hanc rem plurima eruditè congerunt.

Natura naturata.

Natura quomodo differat ab essentiâ.

II. *Natura definitur ab Aristotele.*

Alio modo Naturam sumit Aristoteles hîc cap. 1. tex. 3. eam sic definiens. Natura est *principium & causa motûs & quietis ejus in quo est, primò & per se, & non secundùm accidens.* Additur *causa*, ut significetur debere naturam physicè influere, & causare motum, quod omni principio non competit, privatio enim est principium, & tamen non influit. *Motûs & quietis*, saltem localis: per quietem autem intelligitur, non mera cessatio, sed terminus aliquis positivus per motum acquisitus, quem retinet absoluto motu locali, aut physico, ut est præsentia localis, vel qualitas aliqua successivè acquisita, quam postea mobile permanenter retinet. *ejus in quo est*, per quam particulam excluditur à ratione naturæ, ut hîc sumitur, causa omnis extrinseca, ut Deus respectu effectuum, quos ad extra producit; item Angelus respectu motûs quem cælo imprimit, & ignis, aut alia quæcunque causa efficiens respectu effectuum quos extra se causat. *primò & per se*, per quas voces excludi videntur accidentia à ratione naturæ, sic strictè sumptæ, illa quippe, esto sint causæ motûs, & insint mobili, non tamen insunt primò, nec sunt de primario illius conceptu, & constitutione, sed rei jam in se constitutæ adveniunt, & quasi accidunt. Hinc etiam excluditur subsistentia à ratione naturæ, quæ licèt sit pars suppositi, non tamen est pars essentialis constitutiva essentiæ, sed sequitur essentiam constitutam, ac proinde non est de primo ullius rei conceptu.

Accidentia, & subsistentia non sunt natura.

III. *Tria ad rationem naturæ requiruntur.*

Tria ergo ad naturam hîc definitam requiruntur: primò, ut verè & physicè influat & causet motum, unde effectus respectu actionis, quâ producitur, non est natura. Requiritur secundò, ut insit rei in qua causat motum, tamquam pars illius essentialis, licèt non sit opus ut recipiat motum, quem causat, forma enim efficit accidentia in composito, materia verò illa recipit. Tertiò requiritur ut per se primò insit composito, quæ penè eadem conditio est cum præcedente.

IV. *Materia & forma sunt propriè natura.*

Secundùm hanc ergo naturæ definitionem, materia & forma sunt propriè natura, unde hoc capite ait Aristoles, *Natura aut subjectum est, aut subjectio in est*, id est, vel est materia vel forma; quod conforme videtur scopo quem intendit, nempe considerare partes corporis naturalis. Unio tamen à ratione naturæ planè excludi non potest, cùm sit principium passivum motûs ad terminum saltem modalem, ut ad ubicationem, & præterea integrat tam subjectum quam formam in ratione naturæ. Angeli & corpora completa simplicia (si detur) secundùm hanc definitionem non sunt natura, cùm non sint partes alicujus compositi substantialis.

Unio est aliquo modo natura.

Angeli non sunt natura.

Dices; componunt Angeli unum totum cum subsistentiâ, & sunt partes totius constantis ex essentiâ Angeli & subsistentiâ, ergo sunt natura. Resp. ut aliquid sit natura debet esse *pars alicujus primò & per se, seu pars essentialis*, subsistentia autem non est pars essentialis, vel angeli, vel alterius rei, sed solùm primum complementum rei in ordine ad operandum. Si autem quis dicat subsistentiam esse partem per se primò compositi ex essentiâ Angeli & subsistentiâ, dixerit similiter calorem & quodvis aliud accidens esse partem essentialem compositi accidentalis, ut albedinem albi, cognitionem cogniti &c. & tamen accidentia excluduntur ab omnibus à ratione naturæ, quia non insunt alicui per se primò, seu tamquam pars essentialis illius constitutiva.

V. *Ut aliquid sit natura, debet esse pars essentialis.*

Dices secundò; Angeli & corpora simplicia sunt principium motûs naturalis, ergo sunt natura. Distinguo antecedens, motûs naturalis, ut distinguitur à supernaturali, concedo; motûs naturalis formaliter, & prout accipitur natura in hac definitione, nego: quia debet motus hujusmodi naturalis provenire ab aliquo quod *per se primò insit mobili*, nihil autem hujusmodi inest Angelo, vel corpori simplici completo, cùm partes essentiales non habeant, nihil autem dicitur inesse sibi.

VI. *Cujus motûs naturalis Angeli sint principium.*

Anima rationalis est natura in actibus intellectûs & voluntatis, quos elicit unita corpori. Cùm autem dicitur, *natura est determinata ad unum*, non intelligitur de naturâ rationali in operibus voluntatis, sed de naturâ solùm irrationali. Compositum etiam ex materiâ & formâ non est natura, sed ens naturale, quia sci: non ineat tanquam pars essentialis, & quidditativa alteri, sicut materia & forma insunt composito, quod expressè docet Aristoteles hîc c. 1. t. 12. his verbis, *quod autem ex his est* (compositum sc. ex materiâ & formâ) *natura quidem non est, sed constat naturâ.* Materia autem est natura, licèt non sit principium activum, ad hoc enim sufficit quòd sit principium passivum motûs, ut contra P. Vasquium To. 1. in 1. 2. d. 25. nu. 20. docent nostri communiter. Verba ergo in definitione naturæ posita sumuntur indefinitè, id est, ut natura sit principium aliquod, non definiendo sitne principium activum an passivum.

VII. *Compositum non est natura, sed ens naturale.*

Ad Naturã sufficit principium motûs passivum.

Unde, ad rationem naturæ existimo sufficere, ut aliquid sit principium motûs & quietis disjunctivè, particula enim & sumitur frequenter disjunctivè: sic enim Joan. 4. v. 48. dicitur, *nisi signa & prodigia videritis non creditis*, id est, signa vel prodigia, alterum enim ad fidem in ijs sufficeret. Sive ergo aliquid sit principium motûs activi tantùm, sive tantùm passivi, satis est per se loquendo ad rationem naturæ.

VIII. *Particula & sumitur interdum disjunctivè, pro vel.*

SECTIO II.

Argumenta contra definitionem naturæ: ubi quid sit violentum, & præternaturale.

I. *Ad conceptum motus violenti spectari debet totum compositum.*

OBjicies primò, hinc sequi, nullum dari motum violentum, cùm nullus sit, qui non habeat principium passivum, motus enim subjectum habeat necesse est, unde motus lapidis projecti sursum erit illi naturalis. Resp. negando sequelam, ad hoc enim ut motus aliquis dicatur violentus, spectari debet totum compositum. Motus ergo lapidis projecti sursum est naturalis secundùm quid, simpliciter tamen violentus, materiæ enim secundùm se spectatæ

nullus motus est violentus, toti tamen est violentus motus ignis deorsum, & lapidis sursum, quia uterque motus in utroque composito est contra inclinationem formæ, cujus signum sunt accidentia seu instrumenta diversa conformia diversæ inclinationi utriusque naturæ, in igne levitas, gravitas in lapide.

II. *Quomodo differant naturalia, & artificialia circa principium motûs.*

Objicies secundò, Aristotelem hîc t. 2. & 3. asserentem in hoc naturalia distingui ab artificialibus, quod illa habeant in se principium motûs, non verò ista, ergo non sufficit solum principium passivum ad rationem naturæ, sic enim artificialia essent naturalia, cum in se habeant principium passivum motûs. Resp. solùm velle Aristotelem naturalia, ut naturalia sunt, habere ex se principium activum aut passivum motûs, artificialia verò quà artificialia, seu prout ab arte, hoc non habent; vestis enim, aut cathedra prout ab arte, non sunt principia motûs, vel localis, vel physici, nempe alterationis, sed siquid horum habeant, habent à principio intrinseco, & ut sunt res naturales, ut motum deorsum habent à gravitate, licèt ars subinde juvare possit naturam, & reddere corpus aliquod aptum ut velociùs moveatur deorsum.

III. *Quid sit violentum.*

Ex his colligitur quid sit *violentum*, quod sic communiter definitur, *violentum est à principio extrinseco, passo*, id est, mobili, *non conferente vim*. Hæc ultima particula *non conferente vim* perinde est ac passo repugnante, ac propterea vim activè non conferente, imò subinde positivè resistente, seu conando contrarium effectum producere, sicut aqua resistit igni. Is ergo motus est violentus, qui est contra inclinationem passi adæquatè sumpti, quod proinde nullam vim activè confert, esto passivè necessariò conferat, cùm motus in illo sit tanquam in subjecto. Materiæ autem secundùm se sumptæ nullus motus vel physicus, vel localis est violentus, ut suprà diximus, cum ex se ad omnem motum sit indifferens. Gratia autem & dona supernaturalia, licèt non petantur ab animâ, vel Angelo, non tamen sunt illis violenta, cum non sint in animâ aut Angelo cum ulla quasi animæ aut Angeli renitentiâ, licèt sint supra vires eorum naturales. Si autem ignis elevaretur ad producendam in se frigiditatem, videtur fore illi hoc violentum, quia renititur ex naturâ suâ, & licèt per accidens vim conferat, confert tamen quasi per vim, & coactè.

Materia secundùm se nullus motus est violentus.

IV. *Agenti quà agenti non potest inferri violentia.*

Hinc infero primò, agenti quà tantùm agenti non posse inferri violentiam, quia est contra definitionem violenti, in quo requiritur passum: unde, si ignis elevaretur ad producendum frigus in aquâ, vel alio subjecto non esset illi hæc actio violenta.

V. *Causa naturaliter agentes non possunt in se producere motum violentum.*

Infero secundò, causas naturaliter agentes non posse in semetipsis patientibus efficere motum sibi violentum. Probatur, violentum est *ab extrinseco, passo non conferente vim activè*, sed solum patiente cum reniſu & repugnantiâ, sed hic agentia naturalia conferunt vim, & activè has operationes producunt, ergo. Unde, dum corpus uritur, v. g. licèt violentiam patiatur ab igne extrinsecus appositio, per aliquid mali ab illo in se productum, ut calorem nimium, aut quid simile; dolor tamen ipse non est violentus, cum sit ab intrinseco, & passo aliquid in illum conferente, seu illum activè eliciente: & licèt appetitu elicito nolit quis dolorem, est tamen juxta appetitum innatum animalis, cùm dolor sit per se loquendo bonum animali, est enim dolor odium vel aversatio mali præsentis, cujus si vitalem dolorem non haberet illud non propulsaret nec fugeret, sed statim periret.

Quid sit dolor.

VI. *Quando contra imperium voluntatis brachium deprimitur, sit ne motus violentus.*

Quando autem imperante voluntate ut brachium attollatur, deprimitur, illa depressio respectu voluntatis est quidem violenta, brachio tamen ut quid grave est, non est violenta, sed naturalis. Cùm verò aqua atracto in fistulâ plumbeâ aëre, ascendit, motus ille aquæ videtur naturalis, est enim naturale aquæ, ut pars universi est, ascendere ad vitandum vacuum. Alij dicunt gravitatem aquæ esse à naturâ ordinatam ad petendum centrum aquæ, centrum autem aquæ est ut sit inferiòr aëri, & per illum contigua cælo, dum ergo attrahitur aër, mutatur, inquiunt, per accidens centrum aquæ, sicque per gravitatem tam naturaliter in eo casu ascendit aqua, ac postea descendit, cum per illam ascensionem petat suum centrum, utraque responsio facilè sustineri potest.

VII. *Violentum duplex, positivum & negativum.*

Violentum duplex est, positivum, quando sc. forma cui passum renititur, est positiva, ut calor aquæ: aliud negativum, quando nimirum id cui passum repugnat, est privatio rei debitæ, ut materiæ organizatæ violenta est privatio animæ.

VIII. *Quid sit Præternaturale.*

Præter naturale tandem est illud quod nec est juxta, nec contra inclinationem naturæ. Sic ait Aristoteles 2. de Cælo c. 2. Motum circularem ignis in suâ sphærâ qui rapitur à sphærâ lunæ, esse illi præternaturalem, quia sc. nec illum petit ignis, nec ei repugnat; sic lux est aëri præternaturalis, statuæ figura ligno.

IX. *Quid sit supernaturale.*

Supernaturale illud est quod solis naturæ viribus produci nequit, nec ad exigentiam naturæ. Duplex est, quoad substantiam, & quoad modum: illud in nullis unquam circumstantijs provenire à causis naturalibus potest; hoc licèt in hac rerum peristasi produci à naturâ nō possit, simpliciter tamen potest, ut visus restitutus cæco.

X. *Variis modis sumitur Naturale.*

Naturale tandem dicitur; Primò, quod habet naturam propriè dictam, ut materia & forma. Secundò, quod à naturâ oritur, vel intrinsecè, ut quantitas à materiâ, vel extrinsecè, ut calefactio ab igne. Tertiò, quod opponitur fortuito, artificioso, & acquisito. Quartò, quod opponitur libero, & idem sonat ac necessarium: sic sol lucem producit naturaliter. Quintò, quod opponitur violento. Sextò, quod supernaturali.

DISPU-

DISPVTATIO XVII.

De Arte.

SECTIO PRIMA.

Discutiuntur quædam circa conceptum Artis.

I. *Ars, alia Divina, alia humana.*

DE hac re eruditè Conimb. ſ.2.Phy.c.1.q.5. a. 1. nos pro inſtituto noſtro breviter. Ars ergo alia Divina, nempe ideæ in mente Divinâ, quibus Deus dirigitur ad creaturas producendas: alia humana, actus nimirum, vel habitus artificem dirigens ad quædam artificioſè producenda, pictor v. c. per actum repræſentantem imaginem, quam intendit, dirigitur ad illam artificioſè depingendam.

II. *Ars, alia Natura.*

Definitur Ars eſſe *facultas cum ratione factivâ*, quæ tamen definitio, ut in Logicâ adverti, tantum competit artibus quarum opus eſt externum, non internum. Ars in variis imitatur naturam, unde & *natura æmula*, & *alia natura* dici ſubinde ſolet. Conveniunt primò Ars & natura, quòd ſummo ordine in ſuis utraque operibus procedat: unde traxit originem dictum illud *opus naturæ eſt opus intelligentiæ.* Secundò conveniunt, quòd ſicut Ars, ita & natura ab imperfectioribus incipiat, unde dici ſolet, *Nihil ſimul inventum eſt, & perfectum.* Tertiò, quòd utraque ſupponat ſubjectum in quod formam inducat. Differunt verò, primò, quòd natura ſit effectiva, Ars ſolummodò directiva. Secundò, in naturâ ſemper eſt principium intrinſecum, in artefactis nunquam, ſed artificium omne provenit ab intrinſeco.

Opus naturæ eſt opus intelligentiæ.

III. *Natura Arte perfectior. Natura Artis Magiſtra. Ars Naturam ornat, juvat, perficit.*

Natura eſt perfectior Arte, tum quia eſt ſubſtantia, Ars autem actus ſolùm, vel habitus; tum quia natura verè efficit ſuos effectus, Ars nequaquam, ſed ſolùm potentias exequutrices dirigit. Tertiò, quia natura eſt quaſi Artis magiſtra, cujus proinde hæc imitatrix tantùm dicitur. Ars tamen naturam perficit, eſtque non parvum illius ornamentum: juvat etiam naturam, ut conſtat in medicinâ, agriculturâ, & artibus etiam internis, nempe ut natura, illius ope, certiùs opera ſua, & faciliùs præſtet. Sic Ariſtoteles 4. de cœlo, c.ult. affirmat mobilia omnia & acuminata ab Arte faciliùs, & velociùs moveri quàm plana.

IV. *Ars quædã naturæ opera poteſt efficere.*

Quæres poſſitne Ars quædam naturæ opera efficere? Certum eſt, immediatè non poſſe: mediatè verò & dirigendo poteſt; ut cùm per directionem Artis, ex inteſtinis boum naſcuntur apes. Sic, ut refert Scaliger, in Ægypto non gallinæ calore naturali, ſed in fornace, moderato quodam calore pulli excluduntur.

V. *Mira quædam opera artis.*

Sed objiciuntur aliqua, quæ & naturalia eſſe, & tamen ab arte facta videntur, ut aurei tripodes bellariis inſtructi in convivio Hierarchæ ſeipſos convivis fiſtentes, ubi etiam aurei pincernæ miniſtrabant. Item ſtatuæ Dædali ex ſe huc illuc diſcurrebant. Præterea celebris erat olim ſtatua Memnonis, quæ, marmorea cùm eſſet, icta manè ſolaribus radiis in monte ubi erat expoſita, ſuaviſſimum concentum edebat: & ſexcenta hujuſmodi.

VI. *Re illis quadam arte, quadam ope dæmonis ſunt facta.*

Reſp. hæc vel præſtigiis quibuſdam dæmonum facta fuiſſe, vel, ſi artis opera fuerint, diſpoſitas intus fuiſſe qualdam rotas cum ponderibus inſtar horologij, & immixtum argentum vivum, quod ſemel motum, movet pondera & rotas, & ſic tripodas illos & pincernas rotis inſiſtentes ſeſe convivis ſtitiſſe. Quæ eſt ſolutio Ariſtotelis loco citato. Idem judicium eſto de ligneâ columbâ Archytæ in aëre libratâ ſine fulcro, ponderibus, & aurâ in inclusâ. Eodem modo conficiebatur vitrea illa Archimedis ſphæra, artis & ingenij miraculum, ubi orbium cæleſtium motus, aſtrorum ortus & occaſus, defectus ſolis & Lunæ, omniaque ad cœlorum notitiam ſpectantia ad vivum ita exprimebantur, ut non orbium cæleſtium imaginem, ſed ipſos etiam cœlos in compendium redactos oculis ſubjectos crederes.

Archimedis ſphæra Artis, & ingenij miraculum.

VII. *Quomodo characteribus quibuſdam, & figuris, ſerpentes ac fera incantentur.*

Notandum, quando malefici characteribus quibuſdam & figuris ſerpentes incantant, feras manſuetas reddunt, homines de ſtatu mentis dejiciunt, & id genus alia, hæc non vi illarum figurarum fieri, ſed pacto tacito vel expreſſo cum dæmonibus, qui ad figurarum illarum præſentiam ſemper adſunt, & per ſe res illas efficiunt. Addunt Conimb. citati poſſe vi ſolius magiæ naturalis, & nullo interveniente pacto cum dæmone, multa fieri quæ hodie à circumforaneis & circulatoribus cum ſtupore intuentium factitari ſolent, Ut cùm ſubitò in triclinio enaſci videtur aliqua arbor, aut cùm convivæ ſubitò apparent cum leoninis aut bovinis capitibus, & alia hujuſmodi, quibus per celerem quendam motum & artem exercitatiſſimam ſpectatorum oculis illudunt.

VIII. *Per artem Chymicam verum aurum hactenus non eſt confectum.*

Quæri hîc ſolet, an arte Chymicâ verum confici aurum poſſit. Nullum unquam de facto verum aurum per hanc artem etiamnum confectum eſſe videtur omnino certum: & in tribus vel quatuor adulterinum hoc aurum deficere aiunt. Primò, quòd vim illam non habeat in medicamentis, quam habet verum aurum. Secundò, quòd ductile non ſit in laminas. Tertiò, quòd colorem facilè amittat. Quartò demum, quòd vim ignis, vel calidarum quarundam aquarum ſuſtinere non poſſit. Quare Joannes 22. hanc artem damnavit, & aurum chymicum pro vero obtrudentes ad reſtitutionem obligavit, tum ob plurima quæ ex hac arte Reipublicæ incommoda proveniunt, ut quod multi ad ſummam inopiam ex inani hac curioſitate frequenter fuerint redacti: tum quòd cum dæmone familiaritatem ſæpè ineuntes, non opum tantùm, ſed & animarum jacturam fecerint. Imò diu ante hæc tempora, ut refert Cardanus, Diocletianus omnia quæ de hac arte ſcripta invenit, flammis abſumi juſſit.

IX. *Vtrum autem confici poſſit, negãt aliqui, alij affirmans.*

Utrùm autem poſſit per artem Chymicam applicando activa paſſivis ex mixtione ſulphuris cum argento vivo, quod omnium metallorum materiam eſſe aſſerunt, & adhibito calore debito, verum confici aurum, eſt controverſia. S. Thomas in 2. diſt. 7. q. 3. a. 1. ſecutus Averroëm & alios antiquos, negat; tum quia non apparet unde homines tam occultarum influentiarum & temperamenti auri notitiam acquirant, quòd enim hoc fiat reſolutione auri, ut aiunt Chymici, videtur difficilè; tum præcipuè quia cùm tot jam inde à mundi exordio id tentarint, & nullus adhuc, quòd ſciamus, verum & genuinum aurum confecerit, argumento eſſe videtur non poſſe ejuſmodi artem inveniri. Quod ergo de lapide illo fertur, omnia ſolo tactu in aurum convertente, figmento ſimillimum eſt, & ut fabula videtur rejiciendum.

X. *Ars aurum conficiendi est hominibus possibilis physicè, moraliter impossibilis.*

Existimo igitur veri auri per artem confecti peritiam hominibus moraliter esse impossibilem, physicè tamen possibilem. Prima pars probatur ultimo argumento proximè posito, de tam diuturnâ scilicet experientiâ, cassò semper conatu. Secunda pars suaderi videtur, tum quia aliqua animalia possunt ab hominibus, applicando activa passivis, produci, ergo & aurum, ac cætera metalla: tum quia Angeli ac dæmones norunt & auri temperamentum, & quæ influentia ad illius confectionem requiratur, sicque possunt ipsi illud conficere. Cùm ergo sit hujusmodi ars in se possibilis, non est cur dicamus illius consecutionem esse physicè hominibus impossibilem.

SECTIO II.

In quo sita sit ratio figuræ.

I. *Quidam rationem figuræ statuunt in modo ab artifice producto.*

Prima sententia affirmat rationem figuræ consistere in modo aliquo à parte rei & ubicationibus distincto, qui modus ab artifice in artefactis producatur, & rei quasi imprimatur. Sed contrà, quando quis equi, leonis, vel hominis in rupe imaginem sculpit, nihil novi ab artifice rupi physicè imprimitur, sed solùm partes aliquæ demuntur, ergo non consistit figura in aliquo physico superaddito.

II. *Alij figuræ esse volunt superficiem extimam.*

Secunda sententia asserit, figuram in superficie extimâ cujusque rei sitam esse. Sed contrà, eâdem superficie manente, diversa frequenter est figura. Sic idem funiculus, vel filum ferreum, nunc in circulum formatur, nunc triangulum, vel quadranguium, & globus vel glans plumbea tunditur in laminam, persistente adhuc eâdem superficie.

III. *Alij statuunt in ubicationibus.*

Tertia sententia est, figuram aliud nihil esse præter ubicationes varias partiales, quibus partes juxta se invicem collocantur. Ita sentire videtur P. Hurt. d. 14 Phy. s. 4. n. 44. & P. Arriaga d. 6. Phy. s. 2. n. 14. estque inter recentiores fermè communis.

IV. *Sed contrà, ergo homines pro diversis regionibus habent facies essentialiter diversas.*

Sed contrà primò, ergo sol singulis momentis mutat figuram, imò homo quispiam domo vel gymnasio egrediens, & mox rediens, non eandem reducit faciem, quam secum extulerat. Imò sequitur evidenter hominem quoties loco tantillum movetur, habere faciem semper essentialiter diversam, & Leodij habere essentialiter faciem Leodiensem, Londini Londinensem, Madriti Madritanam, seu facies spatiis illis ita affixas, ut nec divinitùs alibi esse possint. Conf. sequitur homines dum vel pedibus incedunt, vel equo, aut cymbâ feruntur, habere facies successivas, nam ubicationes secundùm omnes corporis partes acquirunt successivas, sed facies secundùm hunc philosophandi modum, eædem omnino sunt, & realiter identificatæ cum ubicationibus, ergo.

Item facies successivas.

V. *Imago hominis depicta non destruitur, dum charta complicatur.*

Contrà secundò, quantumcunque quis hominis alicujus imaginem in chartâ depictam complicet, & chartam illam in unum quasi globum convolutam manu comprimat, adhuc dicitur propriissimè hominis imaginem manu gestare, & tamen ubicationes notabiliter mutantur, & caput jam in imagine est pectori vel pedibus fortè proximum: ergo non consistit figura artefacti in ubicationibus in ordine ad locum.

VI. *Figura sitè est in tali proportione partium in ordine ad se.*

Mihi ergo probabilius videtur sitam esse figuram in tali proportione & conjunctione vel distantiâ partium, non in ordine ad locum, sed in ordine ad se, seu in tali unione entitativâ partium, quâ permanente, perstat stabiliter eadem connexio partium in ordine ad se, quantumcunque quoad locum mutentur. Hæc verò unio provenit vel ex temperamento aliquo seu complexione qualitatum, ut in naturalibus videmus, vel ex eo quòd partes sibi invicem, vel alicui tertio adhæreant, ut in picturâ, colores chartæ, & per eam sibi permanenter adhæresçunt. In aliis etiam omnibus artefactis simile quiddam intervenit, ut sunt clavi, aut aliud hujusmodi, quibus partes ita firmæ ac fixæ in tali inter se coordinatione, ac coaptatione tenentur, ut quocunque res artefacta transferatur, & locum mutet, eundem tamen semper partes inter se ordinem, ac dispositionem servent, sitque idem ubique physicè artefactum, & non solùm moraliter, quod dicere coguntur qui rem artificialem in ubicationibus constituunt.

VII. Hæc ergo sit prima ratio hujus conclusionis. Secunda est, quòd hoc modo incommoda omnia suprà, contra tertiam sententiam allata facilè vitentur.

VIII. *Hoc modo salvatur, quomodo imago conoluta non destruatur.*

Tertiò salvatur quomodo imago Cæsaris quantumvis in globum convoluta sit, tam propriè nihilominus illius imago permaneat, ac dum expansa esset, & explicata: partes enim omnes imaginis eundem inter se situm ac dispositionem servant, quantumcunque earum situs in ordine ad locum, etiam notabiliter mutetur. Et certè mirum videtur, quoties quis imaginem aut chartam scriptam complicuit, & convolvit, toties imaginem illam, & characteres in chartâ formatos destrui. Dicunt esse adhuc imaginem radicalem. Sed contra, si quis à gestante compressam manu, & in globum convolutam imaginem Petri, quærat quid illic gestet, & is respondeat, imaginem radicalem Petri, haud dubiè omnibus movebit risum. Ita doctis juxta & indoctis animo insedit, nihil de suâ integritate perdere imaginem quantumcunque complicetur, & in globum convolvatur.

IX. *Hac ratione salvatur, & facilius explicatur mysterium Eucharistiæ.*

Quartò, hæc clara & expedita via est explicandi quo pacto Christus in Eucharistiâ partes omnes corporis perfectè retineat, licèt in qualibet hostiæ parte totus sit, & totus in quolibet illius puncto: partes enim corporis ejus, etsi penetratæ quoad locum, eandem tamen inter se coordinationem servant, quam nulla mutatio quoad locum vel in artificialibus tollit, vel naturalibus, aut etiam invertit, nisi unionem aliquam partium destruat, sicque eas dissolvat. In quibusdam tamen artefactis requiruntur quædam negationes, seu partium redundantium abiatio.

X. *Ars tantùm concurrit directivè.*

Disputant hic aliqui, utrùm ars ad opus artificiosum effectivè concurrat, an tantùm directivè. Hac de re latè dixi in Logicâ d. 12. ubi artem directivè tantùm concurrere ostendi, nec ullam hac in re esse differentiam inter artes activas & factivas, seu interiùs & exteriùs operantes. Videatur P. Arriaga d. 6. Phy. s. 2. n. 16. ubi rem hanc bene discutit.

DISPU-

DISPVTATIO XVIII.

De Causis in Communi.

SECTIO PRIMA.

Quæ sit definitio Causæ in Communi.

I. CAusam aliqui definiunt esse *id à quo aliquid pendet.* At minùs rectè, sic enim quævis conditio esset causa, & objectum merè terminativum esset causa actûs, & terminus causa relationis. Imò Pater in Divinis esset causa Filij, & Filius Patris, latè enim sumptâ dependentiâ, certum est eos à se invicem dependere, cùm neuter sine alio esse possit.

II. Variæ ab aliis assignantur causæ definitiones, quæ fortasse in idem recidunt. P. Suar. d. 14. Met. s. 2. sic causam definit. *Causa est principium per se influens esse in aliud:* quam definitionem plurimi amplectuntur ex recentioribus, & ex parte approbat P. Hurt. d. 8. s. 1. §. 1. Per particulam *aliud*, excludit Suarez à ratione Causæ Patrem æternum respectu Filij, & Patrem ac Filium respectu Sp. Sancti, quòd scilicet Filius non sit *aliud* à Patre, sed solùm *alius*, nam ut in sacrâ scripturâ habetur 1. Joannis. 5. v. 7. *hi tres* Pater scilicet, Verbum, & Sp. Sanctus *unum sunt*. Contra hanc tamen definitionem objici potest, licèt Filius non sit aliud simpliciter à Patre, seu aliud in essentiâ, est tamen aliud suppositum. Deinde docet P. Suarez idem posse producere & conservare seipsum, & de facto ait Christum se producere, & conservare in Eucharistiâ, quo in casu dicit Christum esse veram causam sui, ergo causa non necessariò est ad aliud simpliciter, cùm idem non sit aliud à se.

Pater in Divinis alius *à Filio, non* aliud.

III. Conimb. hîc c. 7. q. 1. a. 1. sic causam definiunt, *causa est id à quo aliquid per se pendet.* Quæ definitio, si rectè explicetur, parum differt à definitione P. Suarij, cùm dicant ipsi nihil propriè pendere ab alio, nisi quod habet essentiam numero saltem ab eo distinctam. Rubius l. 2. tr. 1. n. 53 eandem tradit causæ definitionem quam Suarez, nisi quòd loco ultimæ particulæ *aliud* ponat effectum, quæ tamen particula minùs explicat naturam causæ, quàm particula *aliud*, & par sit difficultas in explicando quid sit effectus, & quid sit causa. Per particulam tamen effectus excludit Rubius Patrem Æternum à ratione causæ respectu Filij, cùm juxta fidem Filius non sit *factus*, sed *genitus*, & idem est de Sp. Sancto, qui non est *factus* nec *creatus*.

Definitiones causæ à Conimb. & Ruvio assignatæ.

IV. Mihi non displicet definitio illa P. Suarij, nempe, *causa est principium per se influens esse in aliud.* Ly *per se* ponitur ad excludendum causas per accidens, ut cùm musicus est architectus, per accidens est quòd sit musicus, nec musica illius concurrit ad ædificium: unde ait Aristoteles *Musicus ædificat per accidens.* Additur etiam ly *per se* ad excludendas causas remotas, ut posteà dicemus, quæ per se non influunt in effectum productum à causâ proximâ. Ly *influens* significat proprium influxum & causalitatem, seu dependentiam.

Vera definitio causæ.

Musicus ædificat per accidens.

V. Tandem, ly *aliud* importat distinctionem in essentiâ seu substantiâ, quam distinctionem in causâ requirit S. Thom. 1. p. q. 33. a. 1. ad 1. ubi ait propterea apud latinos Patres non esse admissum nomen causæ ad intra in Trinitate, quia causa importat diversitatem substantiæ, & dependentiam. Item Vasq. 1. p. d. 131. c. 1. ostendit ex communi sensu Patrum *aliud* neutraliter prolatum significare diversitatem in naturâ. Unde Concilium Ephesinum, Toletanum, & Lateranense c. *Damnamus.* de summâ Trinitate, admittunt in Trinitate *alium & alium*, non tamen *aliud & aliud.* Et per hoc patet ad primum, quod n. 2. objiciebatur, licèt enim admittatur *aliud suppositum* in Trinitate, non tamen *aliud simpliciter*, & propterea Patres admittere noluerunt in Trinitate causam ad intra, quia argueret distinctionem in essentiâ, seu *aliud & aliud simpliciter*, quam tamen distinctionem *aliud & aliud suppositum* non arguit, nam *aliud simpliciter* est idem atque alia natura, vel essentia. Circa secundum, utrùm scilicet idem producere possit seipsum, dicetur disp. sequente.

Ly aliud denotat distinctionem in essentiâ.

Pater est alius à Filio, non aliud.

VI. Sed objiciet aliquis, sequi, Verbum Divinum esse causam humanitatis quam sustentat, cùm humanitas sit aliud à Verbo, & ab illo in esse dependeat. Resp. duobus modis pendere humanitatem à Verbo, uno modo in quantum à Verbo simul cum aliis duabus Personis producitur effectivè, & secundùm hanc rationem non magis pendet à Verbo quàm à Patre, & Sp. Sancto, cùm operationes ad extra sint omnibus Personis communes, utpote procedentes ab unâ omnibus communi voluntate. Sub hac ergo ratione omnes tres Personæ sunt causa humanitatis, sicut sunt causa ignis vel alterius cujuscunque effectûs, cùm ut sic humanitas à Verbo pendeat sicut res omnes aliæ, nempe ut ab influente. Alio modo pendet humanitas peculiariter à Verbo ut à supplente locum subsistentiæ creatæ, & sub hac ratione non influit in eam Verbum, sed respicit per modum puri termini: cùm enim humanitas naturaliter existens non pendeat à subsistentiâ propriâ à priori, seu tanquam ab influente, sed tantùm ut ab ultimo termino naturæ, ita hactantum ratione pendet à Verbo supplente vices subsistentiæ creatæ, quod proinde dat illi esse, non per modum influxûs, sed terminationis.

Operationes ad extra sunt omnibus tribus Personis communes.

VII. Objicitur ulteriùs; saltem Verbum Divinum erit causa intrinseca Christi. Resp. negando consequentiam, primò, quia nihil est propriè causa, ut multi etiam ex adversariis tenent, nisi quod physicè influit, & aliquid effectivè producit, unde materiam & formam rejiciunt à ratione causæ propriè dictæ, quia scilicet nihil efficiunt, nec propriè influunt, cum enim non influant in se invicem, & compositum nihil aliud sit quàm partes, si partes non efficiant, non efficient compositum. Secundò, admisso etiam materiam & formam esse causas compositi, adhuc Verbum non erit causa, quia non est quid incompletum ordinatum ex essentiâ suâ ad compositum aliquod constituendum, ita ut ex naturâ suâ exigat connaturaliter aliud. Quâ etiam de causâ Pater, Filius, & Spiritus Sanctus non dicuntur causa Trinitatis, sicut nec tres homines sunt propriè causa numeri ternarij. Unde similiter negant multi Verbum Divinum debere dici partem Christi. Sicut ergo illi ob hanc causam negant Verbum esse partem Christi, nos etiam negamus esse causam illius intrinsecam, quæ idem sonare videntur. Imò alij ob eandem rationem nolunt Verbum dici constitutivum intrinsecum Christi. Alij tamen non refugiunt affirmare Verbum esse causam intrinsecam illius compositi, nempe Christi, & esse illius partem, cum compositum illud, seu

An Verbum Divinum sit causa intrinseca Christi.

Multi negant Verbum Divinum dici partem Christi.

Christus non sit sola humanitas, ut est manifestum. Sed satis de quæstione de nomine.

VIII. *Actio non est causa, sed causalitas.* Dices; convenire hanc definitionem actioni, quæ tamen non est causa. Resp. verba illa *principium per se influens* sufficienter significare principium influens *ut quod*, sicque per illa satis excludi actionem. Secundò dico, actionem eo modo quo influit, esse causam: sicut ergo influit *ut quo*, seu est ratio formalis per quam causa influit, ita est causa *ut quo*, seu ratio formalis per quam constituitur materia in ratione partis actualis, & consequenter est pars *ut quo*.

IX. *Alia definitio causæ.* Alia à nonnullis assignatur definitio causæ in communi, licèt in re fortè ab hac non differat, nempe, *causa est id à quo aliquid pendet, ut ab influente per se.* Per ly *pendet* dicunt significari productionem essentiæ, quâ de causâ negatur ratio causæ ad intra in Divinis, quia licèt, inquiunt, Pater producat Filium, non tamen essentiam divinam.

SECTIO II.

Deducuntur quædam ex dictis circa naturam causæ.

I. *Non necessariò definitioni causæ additas esse particulas, cum prioritate naturæ.* HInc infero primò, minùs necessariò definitioni causæ additas esse à quibusdam particulas illas *cum prioritate naturæ*, nam ante has particulas habetur sufficienter ratio causæ, cùm Patres non propterea rejecerint rationem causæ à Trinitate ad intra ob prioritatem aliquam naturæ, saltem eo modo explicatam, quo eam explicant hi auctores, sed quia causa arguit distinctionem essentiæ, & limitationem seu dependentiam, ut vidimus ex S. Thomâ supra & prioritas naturæ sequitur rationem causæ, vel fortè idem reipsà est cum illâ.

II. *Actio etiam à conditione pendere potest à priori.* Infero secundò, in quo differat causa à conditione. Non autem differunt in eo, ut volunt aliqui, quòd non dependeat actio vel effectus à conditione à priori: certum est enim, sæpè dependere à conditione à priori, ut, priùs aliquo modo debet ignis approximari, quàm comburat, priùs aperiri oculi, quàm quis videat, priùs auferri obstaculum, vel aperiri fenestra, quàm, lux ingrediatur, & alia hujusmodi.

III. *In quo differat causa à conditione.* Quidquid ergo habet virtutem in actu primo productivam & hoc modo constituit principium influxivum in actu primo, dicitur causa. Conditio autem, licèt requiratur, etiam à priori ad operationem, non tamen constituit principium illud tanquam aliquid à quo efficienter procedit effectus, sed vel auferendo impedimentum aliquod, ut in apertione oculorum; vel tanquam applicatio, ut cum duo portant idem pondus, illi duo constituunt principium adæquatum, requiritur tamen utriusque approximatio tanquam applicatio illius principij, sine quâ portari pondus non potest: quâ de causâ, hujusmodi vocantur conditiones sine quibus non.

IV. *Causa proxima duplex.* Infero tertiò, Causam aliam esse proximam, aliam remotam. Causa proxima duplex est: primò, illa est causa proxima, quæ immediatè producit aliquem effectum, ut sol lucem, calor calorem. Secundò, causa proxima est entitas causæ connotans omnia ad operandum requisita, sive concausæ sint, sive tantùm conditiones. Sic ignis ut sit causa proxima, seu ad operandum expedita, præter lignum, & concursum Dei in actu primo paratum, quæ sunt concausæ partiales, materialis illa, hæc efficiens, requirit approximationem, quæ est conditio.

V. *Causa remota similiter duplex.* Causa etiam remota duplex est, in actu primo, & in actu secundo. Causa remota in actu primo est entitas causæ, cui vel alia concausa, vel saltem conditio deest ad operandum necessaria, ut igni contigit in fornace Babyloniæ, cui tunc deerat concursus Divinus. Causa remota in actu secundo, est causa quæ non immediatè producit effectum. De quâ plura numero sequente.

VI. Quartò infero, causam remotam non esse propriè causam, cùm non influat *per se*, sed per aliud à se distinctum, ut Adamus non est vera causa Petri qui hodie nascitur, nec ignis A caloris producti à solo igne B, qui tamen ignis antea productus fuerat ab igne A. Causa igitur remota non dicitur causa *per se*, sed *per accidens*, causa enim *per accidens* illa est, quâ ablatâ, maneret idem effectus & causalitas, unde arguitur, causalitatem illam, & consequenter effectum, non habere dependentiam *per se* ab illâ causâ remotâ, sicque cùm aqua calida calefacit manum, denominativè tantùm tribuitur calefactio illa aquæ, cùm proveniat à solo calore, qui si poneretur à Deo in alio subjecto, ut in lacte, vel conservaretur sine omni subjecto, eodem modo, & eâdem numero actione calorem illum vel produceret, vel conservaret, & tunc lac diceretur calefacere, non aqua; sicut dicitur videri paries licèt solùm videatur albedo, paries verò, quia objectum remotum, est objectum tantùm *per accidens*, quod proinde si abesset, eodem modo perstaret visio: unde si albedo illa tolleretur à pariete, & poneretur in ligno, vel equo, diceretur per eandem numero visionem, adhuc permanentem, videri lignum aut equus. *Causa per se, & per accidens.*

SECTIO III.

An existentia requiratur ad agendum.

I. REspondeo affirmativè. Ita nostri omnes, contra recentiores quosdam dicentes posse causam aliquam operari eo instante, quo jam non est, modò immediatè antea extiterit: quam sententiam impugnat P. Suares d. 14. Met. s. 3. P. Hurt. d. 8. Phy. s. 5. P. Arriaga d. 7. s. 5. P. Oviedo cont. 7. Phy. p. 4. & alij. Suppono hîc sermonem non esse de causâ finali, illa enim, cùm solùm sit causa intentionalis, & non agat physicè, non requirit existentiam physicam, sed solùm intentionalem, seu ut mente concipiatur, cùm *nihil volitum quin præcognitum*: sicque agricola terram colit, & semen eidem committit ob segetem, quam inde sperat, quæ tamen nondum est. *Non est sermo de causâ finali.* *Nihil volitum, quin præcognitum.*

II. *Certum est Materiam & Formam ad causandum requirere existentiam.* De causâ verò materiali & formali certius est quàm ut à quoquam in dubium vocetur, nam materia (idem est de formâ) constituere nequit compositum, quando non est, cùm illud constituat per suam entitatem. Præterea, quis dicet albedinem, quæ non est, posse physicè reddere parietem album? aut parietem etiam, qui non est, posse physicè & intrinsecè recipere effectum formalem albedinis, & esse album id, quod non est? Potest tamen id quod non est, recipere effectum formalem alicujus formæ intentionalis, & extrinsecæ, sicut Anti-Christus jam denominatur cognitus.

III. *Causa efficiens operari nequit, nisi existat.* Sola itaque difficultas est de causâ efficiente, quam non posse physicè operari, & influere quando non existit, probatur primò, nam posse influere actu, est actu dari virtutem influendi, ergo virtus illa actu est, & existit. Dices; est virtualiter, & in esse causæ, non tamen formaliter, & in esse entis. Contrà, conceptus entis est primus in unaquaque re, ergo si est in esse causæ, est in esse entis, cùm esse causam supponat esse simpliciter, & existere: nisi per esse virtualiter, non formaliter, velint esse virtutem causæ in actu secundo, seu causalitatem & actionem illius, non entitatem: Sed si hoc dicatur, petitur principium, hoc enim est in quæstione, nempe utrùm possit esse actio, quando non est entitas causæ. Confir. hoc instante quo

Esse aliquid agere est esse, seu existere potentiam agendi.

quo est actio & effectus, vel est virtus illius effectiva, vel non: si sit, habemus intentum; si non sit, est implicatio in terminis, cùm sequatur posse aliquid agere, quando non est potentia, seu virtus agendi. Quod perinde est ac si quis dicat esse virtutem agendi, & non esse. Conf. secundò, operatio est actus secundus, ergo supponit actum primum, ergo quandocunque est actus secundus, debet esse primus, nec sufficit esse in potentiâ, nam quod solùm est in potentiâ, non est, esse enim, & existere sunt idem.

IV. *Sequitur posse aliquid agere instante antequam sit.*

Secundò probatur: si res possit agere primo instante quo non est, seu postquam desiit, sequeretur, similiter posse aliquid agere instante antequam sit, quæ enim est major ratio unius instantis, quàm alterius, nam primo instante quo non est, non habet plus, quàm habuit instante immediatè ante existentiam, sed tam verè tunc non est, quàm non fuit in instante immediatè præcedente productionem, ergo.

V. *Posset similiter aliquid agere longo tempore postquam est destructum.*

Tertiò, eodem modo posset aliquid operari, etiam longo tempore post destructionem: tam enim nihil habet virtutis ad agendum primo instante, quo non est, quàm ullo sequente. Dices; requiri & sufficere contiguitatem Causæ & effectûs, ac propterea posse causam quæ non est, operari primo instante, quo non est, non tamen sequentibus: sicut ut candela producat lucem in aëre, sufficit contiguitas illius cũ aëre, non tamen propterea potest operari in distans. Et idem est de omni aliâ causâ efficiente. Contrà primò, nam in intelligibile videtur aliquid operari, quando non habet virtutem operandi, ut suprà diximus. Contrà secundò, ergo saltem posset res operari instante immediatè antequam fuit, modo ipsa immediatè post effectum subsequatur, tunc enim non minùs contiguus esset effectus causæ. Sicut nil refert ad productionem lucis in aëre, ex qua parte sit aër localiter contiguus lucernæ. Deinde, si exemplum quidquam probet, probat posse etiam tempore discontinuatum agens agere, cum agentia physica possint agere in magnâ distantiâ, saltem supernaturaliter.

VI. *Posset etiam homo videre primo instante post mortem.*

Confir. primò, ergo homo posset videre, & sentire primo instante post mortem, quidni enim æquè, ac ignis produceret calorem eo instante, quo non est? Conf. secundò, nam hac ratione cæci possent videri, surdi audire, & muti loqui, eo enim instante quo perditur visus, auditus, aut loquela, possunt hæ potentiæ operari, æquè ac ignis eo instante quo destruitur; sed tunc sunt cæci, surdi, & muti, ergo &c. Confirmatur tertiò, sequeretur posse hominem in gratiâ decedentem peccare primo instante post mortem, excitatum ab appetitu sensitivo, & damnari.

VII. *Vivus moritur, justus peccat, & similia sunt Ampliatio, vel distractio.*

Nec quidquam video quod faciat pro hac sententiâ: quod enim dicunt hanc propositionem esse veram, *vivens moritur*, ergo in instante quo moritur, esse debet vivens aliquo modo, cùm illo instante verè dicatur mori. Hoc, inquam, nihil omnino probat: si enim tunc aliquo modo sit vivens, ergo nihil facit pro hac sententiâ, cùm probare debeant hi auctores operationem ab aliquo procedere quod non est; vivens autem secundùm ipsos tunc est. Dico itaque, in illâ propositione esse *ampliationem*, sicut cùm quis dicit, *domus est combusta, hora est preterita &c.* id est, *domus quæ fuit, jam est combusta, hora quæ fuit, jam transiit, Petrus qui fuit, jam est mortuus.* Non ergo est vivus quando moritur, tunc enim est dissoluta anima à corpore, & consequenter non est vivus. Deinde, mors non est exercitium physicum viventis, sed solùm connotat immediatè antea vixisse illum, qui hoc instante moritur.

Quòd verò dicant aliqui, sacramenta physicè gratiam producere primo instante, quo non sunt, Resp. Sacramenta vel non omnino physicè producere gratiam, ut ostendi 3.p.d.3.de Sacramen. s.3. vel si eam physicè producant, id præstant ultimo instante, quo per aliquid sui adhuc existunt. VIII.

SECTIO IV.

Possitne idem effectus pendere simul à duplici causâ totali.

PRima Conclusio: Nullus effectus, etiam divinitùs, dependere potest à duplici causâ materiali, vel formali. Ratio est clara, causa enim materialis & formalis sunt partes intrinsecè alicujus rei constitutivæ, qualibet autem parte intrinsecâ mutatâ, mutatur eo ipso compositum, seu essentia, ergo altera parte variatâ, est essentialiter diversus effectus. I. *Res nequit dependere à duplici causâ materiali, aut formali.*

Secunda conclusio: idem effectus producitur simul à duabus aut pluribus causis totalibus, in diverso genere. Probatur, in productione ignis v.g. materia est causa totalis materialis, forma causa totalis formalis, & sic de cæteris. Difficultas itaque procedit de causis totalibus in eodem genere, iisque efficientibus. II. *Potest à duabus causis in diverso genere.*

Tertia conclusio: duæ aut plures causæ totales in actu primo eundem sæpè effectum simul producunt. Per causam totalem in actu primo intelligo rem aliquam, quæ licèt hîc & nunc attemperet concursum cum aliâ concausâ, sitque proinde causa partialis in actu secundo, ex se tamen habet virtutem in actu primo sufficientem, ut rem illam sola producat. Sic Deus cum igne producit ignem, quem tamen solus, & sine concursu ignis posset producere. Sic quando duæ lucernę eidem aëri, aut alteri medio diaphano simul applicantur, licèt respectu gradûs alicujus intensi lucis sint causæ partiales, etiam in actu primo, cùm neutra illum, in tanta præsertim distantiâ, producere sine alterius concursu possit; at respectu primi gradûs lucis in propinquo, utraque lucerna vim habet in actu primo sufficientem, & quavis extinctâ, altera eum sola produceret. III. *Duæ causæ totales in actu primo, possunt eandem rem simul producere.*

Quarta conclusio: idem numero effectus successivè pendere potest à diversis causis totalibus. Hoc probatione non indiget, calor enim, vel ignis ab igne productus, amoto igne, à Deo, sole, vel cælo, tanquam à causâ adæquatâ conservatur, sicque à variis causis totalibus successivè. IV. *Successivè res pendere potest à duabus causis totalibus.*

Quinta conclusio: non possunt duæ causæ totales efficientes in actu secundo, seu duplici actione totali naturaliter concurrere ad eundem effectum. Ratio est, quia una actio totalis sufficit, ergo non possunt naturaliter esse plures, cùm natura, sicut *non denegat necessaria, ita abhorreat superflua*: unica autem actio totalis abundè præstat id ad quod requiritur actio, nempe ponit rem completè extra causas. Actio autem totalis illa est quæ sola sufficit ad producendum effectum, sive alia ipsam comitetur, sive non, ita ut quacunque ex illis in particulari cessante, perstaret adhuc effectus. Dixi non posse duas causas totales in actu secundo, concurrere ad eundem effectum, nam quæ in actu primo, & seorsim totales essent, possunt simul concurrere, ut dixi: sicut cùm duo ignes simul tertium eadem actione producunt, attemperando se. concursum, quem tamen ignem singuli seorsim producere potuissent. V. *Simul non potest. Ratio est, quia Natura abhorret superfluum.*

Objicies primò; ignis A (idem est de aliis agentibus naturalibus) est agens necessarium, ergo aget quantum potest, sed per nos potest ignem illum totaliter, VI.

taliter, & independenter ob igne B producere, ergo producet: nec enim ex additione alterius ignis in actu primo similiter sufficientis, minuitur aut ligatur virtus ejus operativa. Idem est in igne B respectu ignis A, ergo uterque ignem illum tertium producet, ut causa illius totalis, & adæquata.

VII. *Nec dici potest attemperare sibi invicem concursum.*

Dices; contemperabunt invicem vim productricem, & non duplici actione totali singuli, sed unâ ab utraque causâ procedente ignem illum ambo producent: sicut quando duo, quorum uterque est fortis ut sex, simul levant pondus ut quatuor, quod uter vis solus levare, sed majore conatu, potuisset. Quod etiam contingit in duobus equis eundem currum trahentibus, minùs enim uterque laborat, quàm si currum solus traheret. Idem ergo est in præsenti. Sed contrà, in his enim casibus operantur ex cognitione, vel perfectâ, ut in hominibus pondus illud levantibus, vel imperfectâ, & materiali, ut in equis currum trahentibus, ex quâ imaginatione determinantur ad concursum sibi invicem attemperandum. At in igne, & aliis rebus non sensitivis, non est unde attemperent virtutem; quomodo enim divinabit ignis adesse aliud agens totale, ut ipsi attemperet concursum?

VIII. *Resp. tamen ostendendo quomodo sibi attemperent concursum.*

Resp. tamen, nullâ opus esse divinatione, sed ideo majorem hic non exerit virtutem ignis A, quia in præsentiâ alterius causæ totalis non debetur ei concursus ad actionem totalem, & hoc sensu ligatur vis ejus operativa: sicut anima, licèt, etiam existens in corpore, vires habeat sufficientes ad se cognoscendum intuitivè, hoc modo tamen non se cognoscit, sed abstractivè tantùm, seu per species à rebus corporeis abstractas, quia nimirum non debetur ipsi pro hoc statu concursus ad visionem sui intuitivam.

IX. *A duplici causâ finali non rectè arguitur ad duplicem efficientem.*

Objicies secundò; dari potest duplex causa totalis finalis, ergo & duplex effectiva. Resp. primò, antecedens non esse usque adeo certum, cum ab omnibus non concedatur. Sed admisso pro præsenti posse rem eandem ob duos fines totales expeti, ut deambulationem propter sanitatem, & honestam animi oblectationem, non sequitur in causis efficientibus admittendum posse duos ignes tertium per duplicem actionem totalem producere.

X. *Differentia hac in re inter causam efficientem, & finalem.*

Disparitas est, quòd cùm actio ad hoc præcisè requiratur ut res ponatur extra causas, & hunc effectum formalem tam una actio tribuat, quàm centum, omnis actio præter unam erit superflua. Sicut secundùm omnes superflua esset duplex ubicatio homogenea, seu rem uno aliquo loco figens, cùm una ubicatio plenè hunc effectum præstet. At verò actus vitales quibus finem appetimus, ordinantur ad perficiendum subjectum vitale, diversa autem est perfectio, quam accipit anima appetendo finem aliquem ob unum motivum, ab illâ quam habet ab alio actu quo eundem finem appetit ob motivum diversum. Alia ergo ratio est de intentionalibus, alia de physicis.

SECTIO V.

An saltem divinitùs dari possit duplex actio totalis respectu ejusdem effectûs.

I. *Divinitùs dari potest duplex causa totalis.*

CONclusio affirmativa. Ita Suar. d. 26. Met. sect. 4. n. 9 & 3. p. d. 49. s. 1. Concl. 3. & d. 50. s. 4. Valen. t. 4. d. 1. q. 3. p. 3. Hurt. d. 8. s. 10. Coninck. de Euch. q. 75. ar. 4. d. 3. Moncæ. d. 10. c. 15. Arriaga hic d. 7. s. 10. Oviedo contr. 7. p. 7. & alij contra Scotum in 3. dist. 1. q. 2. Cajet. Vasq. To. 1. in 3. p. d. 29. c. 4. id negantes. Probatur tamen, quia nulla apparet repugnantia, ergo non est cur hoc virtuti divinæ, & infinitæ denegetur; quæ unica est, & sufficiens hujus rei probatio.

II. *Superfluitas non impedit quo minùs divinitùs detur duplex actio totalis.*

Dices primò; altera superflueret, ergo non possunt dari duæ. Distinguo consequens, naturaliter, concedo; supernaturaliter, nego: eodem enim modo probaretur Deum non posse ponere duas quantitates, aut duas albedines vel ubicationes in eodem subjecto, in eodem loco, cùm una sufficiat, & præstet effectum formalem æquè perfectè, ac duæ. Licèt ergo naturaliter hæc fieri non possint, quia quoad finem à naturâ intentum altera sufficit, Divinæ tamen potentiæ id propterea non est denegandum, qui aliud sibi finem, supra naturæ exigentiam, præfigit, ostensionem sc. suæ potentiæ. Sicut & camelum ponere potest aut elephantem in puncto, aut in foramine acûs, ad ostendendam suam potentiam, quod tamen fini in iis à naturâ intento adversatur, cum nullam inibi exercere operationem possint.

III. *Dices: actio est indigentia effectûs, ergo non potest dari duplex.*

Dices secundò, & est fundamentum contrariæ sententiæ, quod etiam aliquos ex recentioribus in eam impulit: actio est indigentia effectûs, utpote quâ indiget ut ponatur à parte rei, ergo non potest dari secunda actio totalis. Patet consequentia, effectus indigere hac non potest, cùm altera sufficiat, ac proinde neutra est necessaria. Conf. nam sequeretur, effectum ab utrâque illâ causâ pendere, & non pendere: pendere, quia actio est dependentia effectûs à causâ; non pendere, quia potest esse sine quacunque ex illis, imò sine utrâque.

IV. *Resp. nullâ actionem determinatam esse indigentiam effectûs.*

Ad argumentum, distinguo Antecedens, actio hæc determinata est indigentia effectûs, nego antecedens, aliqua indeterminatè sumpta, concedo: non enim indiget effectus ullâ in particulari, cùm alia sufficiat, ac proinde nulla in particulari est necessaria, saltem absolutè, & simpliciter, est tamen necessaria secundùm quid, & supposito quòd non detur alia, hoc enim supposito, necessariò requirit effectus hanc, cùm requirat aliquam. Ad Confirmationem Resp. si per pendere intelligatur, accipere suum esse, tunc effectum pendere ab utrâque: si verò per pendere intelligatur, egere illis absolutè, tunc dico à neutrâ pendere determinatè, & simpliciter: unde si pendere sumatur eodem modo, nunquam sequitur effectum pendere & non pendere ab illis causis totalibus.

V. *Actio nequit pendere à duplici causâ totali, quamvis possit effectus.*

Dices tertiò; non potest eadem actio pendere à duabus causis totalibus, ergo nec idem effectus. Nego consequentiam, disparitas est manifesta, actio enim cum sit per se actualis dependentia ab hoc numero agente, mutato vel partialiter agente, mutatur necessariò actio, quia est quasi essentialis affectio illius agentis; sicut ablatâ minimâ parte objecti, mutatur & perit tota visio. At verò effectus non est essentialis dependentia ab hoc determinato agente, sed est indifferens ut ab hoc vel illo agente producatur, & hac vel illâ actione; ac proinde non est eadem ratio effectûs & actionis, cùm effectus sæpiùs mutare possit causas, actio nunquam.

VI. *Quid intelligatur per causam totalem in actu secundo.*

Ut autem tollatur omnis æquivocatio, notandum, per causam totalem & adæquatam non hîc intelligi causam, quæ non habeat consortium alterius causæ unà cum ea effectum illum producentis, sic enim clarum est non posse dari duas causas totales: sed per causam totalem in actu secundo intelligimus illam quæ independenter à concursu alterius ita hîc & nunc operatur, ut licèt altera causa abesset, illa nihilominus effectum produceret, idque eâdem actione, quâ eum modò producit simul cum alterâ causâ per aliam actionem similiter ab hac independentem eundem producente.

Di-

VII. *Dices; pugnant duæ actiones totales naturaliter.*

Dices quartò; hæ duæ actiones totales naturaliter pugnant inter se, ergo non potest Deus efficere ut sint simul, sic enim tollere deberet hanc earum oppositionem & repugnantiam, quam tamen tollere non potest, cùm sit ipsa sola earum entitas. Confir. Deus per suam voluntatem solam non potest efficere ut formæ, quæ sibi opponuntur, non opponantur, sicut efficere è contrario non potest, ut quæ non opponuntur, opponantur, ut v.c. calor albedinem, vel frigus lucem ex eodem subjecto expellat.

VIII. *Resp. ostendo quomodo Deus efficiat ut hæ actiones non repugnent.*

Hæc objectio non caret difficultate. Ad argumentum tamen & confirmationem Resp. Deum non tollere naturalem actionum istarum repugnantiam, sed, illâ non obstante, efficere, ut se invicem compatiantur, non per meram suam voluntatem, sed producendo in illis duas durationes homogeneas, seu ipsas determinantes ad certum aliquod instans: per has autem supernaturaliter productas determinantur hæ duæ actiones, ut simul afficiant eundem terminum, quem naturaliter afficere non possunt. Sicut per duas ubicationes homogeneas duo corpora naturaliter impenetrabilia penetrantur inter se, & in eodem loco statuuntur.

IX. *Differentia inter duas durationes, & duas actiones totales.*

Urgebis, eadem est difficultas de durationibus illis homogeneis, cùm enim naturaliter sibi invicem repugnent, non potest Deus efficere ut sibi non repugnent. Resp. non efficere Deum ut naturaliter non repugnent, sed per voluntatem hanc supernaturalem illas in genere causæ efficientis producere, & eas ipso facto sibi reddere coëxistentes: cùm enim indifferentes non sint ut existant, & non existant simul (quam tamen indifferentiam habent duæ actiones totales) idem est velle illas supernaturaliter, & velle ut supernaturaliter sint simul, ut ex naturâ durationum constat.

DISPVTATIO XIX.

An idem possit producere seipsum.

SECTIO PRIMA.

Quid hac in re sentiendum.

I. *Proponitur status quæstionis.*

QUæstio procedit quoad secundum esse, seu utrùm à re per unam actionem à solo Deo, vel agente aliquo creato productâ, possit nova actio procedere ad eandem rem terminata, quâ se secundò producat: nam non posse rem ullam se primò producere certum omnino est; cùm enim priùs sit esse quàm operari, quidquid agit, debet pro aliquo priori supponi existens, ergo ante omnem operationem est, ergo per illam actionem non primò accipit esse. Conf. actio productiva rei est physica, ergo procedere debet à principio physicè existente. Conf. secundò, non potest aliquid elevari ad agendum nisi existat, cùm quicquid elevatur, supponi debeat tanquam fundamentum elevationis.

Certum est nihil posse producere se primò.

II. *Nihil potest naturaliter producere se secundò.*

Deinde, non posse quidquam secundò se producere naturaliter, non minùs videtur certum: cùm enim una res non possit aliam jam per unam actionem ab aliqua causâ productam, stante illâ actione, denuò producere, multò minùs id præstare poterit idem respectu sui ipsius. Ratio universim est, quia, ut dixi d. præc. s. 4. fine, cùm actio ordinetur ad rem à parte rei, seu extra causas ponendam, & hoc perfectè præstetur per unam actionem totalem, alia esset superflua. Quærimus itaque utrùm res existens per unam actionem, elevari divinitùs possit ad se secundò per actionem aliam producendum.

III. *Prima sententia negat posse aliquid divinitùs producere se secundò.*

Prima sententia est P. Vasq. Card. de Lugo d. 7. de Eucha. sect. 2. n. 21. P. Moncæi d. 10. c. 16. P. Oviedo c. 9. p. 10. P. Hurt. d. 9. Phy. s. 13, ubi mordicùs defendit non posse rem ullam obedientialiter elevari ad se secundò producendum, quia hoc posito, non possemus, inquit, in Divinis productionibus probare distinctionem trium personarum. Quam sententiam multi sequuntur ex recentioribus.

IV. *Potest aliquid ut causa moralis se secundò producere.*

Dico primò: potest aliquid tanquam causa moralis se secundò producere. Probatur, nam juxta communem sententiam Theologorum, Christus meruit suam resurrectionem, ac proinde ut existens in uno tempore meruit existentiam sui pro alio, unde & Angelus existens in uno loco vel tempore, mereri potest existentiam sui in alio, vel per novam ubicationem, vel etiam reproductionem. Ex quibus infero, nullam apparere repugnantiam quo minùs possit etiam mereri ut per aliam actionem à Deo producatur, vel conservetur in eodem loco retinendo adhuc priorem actionem, per quam antè conservabatur.

V. *Potest aliquid se secundò producere physicè.*

Dico secundò: non repugnat idem elevari ad se secundò physicè producendum. Ita Suar. To. 3. in 3. p. d. 50. sect. 4. & plurimi ex recentioribus. Ut æquivocatio, cui hæc quæstio obnoxia est, tollatur.

VI. *Quid sit rem producere secundò.*

Notandum primò, quando dicimus aliquid producere se quoad secundum esse, non quoad primum, non esse ita intelligendum, quasi in re sint duo esse, seu duæ essentiæ, vel existentiæ, hoc enim falsum est, cùm à parte rei nihil sit aliud quàm unica indivisibilis entitas, quæ, ut primò producitur, dicitur accipere primum esse, ut deinde per aliam actionem à priori aliquo modo dependentem secundò producitur, dicitur accipere secundum.

VII. *Una actio aliam naturâ ordine supponit.*

Notandum secundò, non debere has actiones merè se habere disparatè, sed secunda aliquo modo dependere debet à primâ, & illam supponere. Unde si Deus vel primo instante, vel sequentibus rem aliquam per duplicem actionem totalem à se invicem independentem produceret, neutra esset prima vel secunda hoc sensu, quantumvis una aliam, etiam tempore, præcederet. Hæ ergo duæ actiones talis sunt naturæ, ut Angelus utramque intuens videat esse essentialem inter utramque subordinationem, & quæ sit prima, quæ secunda; videt enim procedere secundam actionem à re illâ ut existente, ac proinde rem illam necessariò actionem aliam supponere productivam vel conservativam sui; cùm esse nequeat à se. Et in hoc disparitas est inter actionem quâ res secundò producit se, & quâ effectus secundò producit suam causam: illa enim actio ita est secunda & dependens ab aliquâ aliâ, ut esse non possit prima & independens; actio verò quâ effectus producit secundò suam causam, licèt de facto mediatè ab aliqua actione quâ causa producitur, dependeat, posset tamen esse prima, & ab omni actione productivâ causæ illius independens, cùm per accidens sit quòd principium à quo hæc actio procedit, dependeat ab illâ causâ: licèt enim ignis A de facto primò

Videt Angelus quæ actio sit prima, quæ secunda.

pro-

producat ignem B, potuisset tamen è contrà ignis B. primò producere ignem A, idque per eandem actionem per quam eum modò producit secundò.

VIII. *Res ad hoc elevari potest etiam primo instante, quo existit.* Notandum tertiò, non satis consequenter loqui illos qui concedunt posse rem aliquam elevari ad se denuò producendum secundo instante, vel aliis postquam est producta, non tamen primo instante suæ productionis. Hoc, inquam, non satis consequenter dicitur, primò, quia tam res est primo instante, ac ullo alio, ergo sicut sol potest naturaliter producere lucem primo instante quo est, ita quidem elevari potest obedientialiter ad secundò se eodem instante producendum? Deinde non vitant difficultatem; ideo enim asserunt non posse rem primo instante quo est, elevari, quia non potest tunc intelligi cum sufficiente prioritate, sed contra hoc est, nam tam in secundo instante, quàm primo debet intelligi prius, quàm operetur, quoad influxum enim physicum perinde se habet existentia rei in instantibus præcedentibus, ac si omnino non fuisset, si eo instante non sit. Debent ergo ipsi in secundo, vel alio quocunque instante assignare prius & posterius naturæ, & rationis, ergo & assignari illa poterunt in primo; cùm enim, ut dixi, totum tempus præcedens eodem modo se habeat, atque si non fuisset, perinde est ad elevationem, atque si hoc instans esset primum.

IX. *Hæc secunda actio est ordine naturæ conservatio.* Notandum quartò, actionem illam quâ res secundò seipsam producit, si spectemus ordinem naturæ, posse vocari conservationem: sicut enim in duratione reali illa actio est conservatio quæ ponitur post primum instans realis durationis, estque tempore posteriùs primâ, ita & illa actio ordine naturæ non incongruè dici poterit conservatio, quæ licèt non tempore, naturâ tamen est posterior, qualis est hæc secunda actio, utpote quæ essentialiter supponit aliam se priorem; procedit enim, ut dixi, à re, ut pro aliquo priori existente, ergo ut habente aliquam actionem sui productivam. Imò magis essentialiter est conservatio ordine naturæ, quàm alia ordine temporis; illa quippe potuisset ordine temporis esse prima rei illius productio, hæc verò nec per potentiam absolutam potest esse prima productio, cùm necessariò supponat aliam actionem, ut ostensum est.

X. *Probatur posse aliquid elevari ad se secundò producendum.* Probatur itaque conclusio: præcipua ratio cur idem non possit primò producere seipsum, ut initio sectionis vidimus, est, quia ad operandum prærequiritur existentia: qua de causâ nil potest primò se producere, nam ante productionem illam, (cùm sit actio) requiritur existentia rei, ex quo manifestè sequitur non posse rem illam dare sibi primum esse: sed hæc ratio hic non urget, ergo. Probatur minor, ad hanc secundam actionem præsupponitur res existens per primam, cùm per illam independenter ab hac secundâ ponatur extra causas, ergo pro illo priori habet sufficienter existentiam, & aptitudinem ad operandum, & sit principium secundæ actionis. Conf. potest effectus elevari ad secundò producendam suam causam; ut postea videbimus, ergo & idem ut se secundò producat, nec enim multò plus incommodi ex hoc sequitur, quàm ex illo, ut ex argumentorum solutione constabit.

XI. Præcipua tamen conclusionis hujus probatio (sicut & aliarum omnium quæstionum, quæ procedunt de potentiâ absolutâ) est argumentorum solutio, quam ponemus sec. sequente.

SECTIO II.

Argumenta contendentia non posse idem secundò producere seipsum.

I. *Quomodo res se secundò producens sit prior se.* OBjicies primò; hinc sequi, idem esse prius se. id enim quod aliud producit, necessariò esse debet prius producto. Conf. hinc enim sequeretur, idem dependere à se. Resp. primò, idem argumentum fieri posse de duabus causis mutuò se quoad secundum esse producentibus. Distinguo itaque antecedens, sequitur idem esse prius se quoad primum esse, seu quoad primam actionem, nego antecedens; quoad secundam actionem, concedo: in hoc autem nihil implicantiæ, cùm jam res illa pro aliquo priori sufficienter existat, ad operandum. Ad Confirmationem dico, dependere à se non simpliciter, sed secundùm quid, seu quoad secundum esse, hoc autem non est propriè & simpliciter dependere, cùm dependentia strictè sumpta dicat non posse rem sine actione illâ, vel aliâ simili existere, quod, quoad secundam actionem, hìc non contingit, ut constat. *Quid sit aliquid in hoc casu esse prius se.* Esse itaque rem per unam actionem priorem se ut per aliam actionem, solùm est esse priorem actione quâ secundò producitur, seu priùs esse uno titulo quàm sit alio: unde per primam simpliciter existit à parte rei antequam ponatur secunda, per secundam autem non existit res simpliciter, sed solùm secundùm quid.

II. *Obj. hanc doctrinam enervare mysterium Trinitatis.* Objicies secundò; ex hac doctrinâ valdè enervari mysterium Sanctissimæ Trinitatis, si enim non requiratur distinctio inter principium producens, & rem productam, ex duabus processionibus non argueretur esse tres Personas, duas productas, & unam improductam, quæ sit origo totius Trinitatis; dici enim posset Verbum jam existens per generationem producere se secundò, & sic erunt duæ processiones & tantùm una Persona producta. Nec satisfacit si respondeas, non posse idem producere seipsum nisi per elevationem, & potentiam obedientialem, quæ in Deum cadere non potest: hoc, inquam, non satisfacit, dici enim posset ea quæ creaturis sunt supernaturalia, esse Deo naturalia, ut sunt impeccabilitas, visio Dei &c. Unde vel prima, vel secunda Persona in Divinis naturaliter producere posset se secundò, sicque ex duabus processionibus non argueretur Trinitas Personarum.

III. *Variis instantiis torquetur argumentum.* Sed contrà primò, nam juxta auctores contrariæ sententiæ, elevari potest effectus ad secundò producendum principium, à quo primò fuit productus, ut ignis B productus ab igne A, elevari secundùm ipsos potest ad secundò producendum ignem A: si ergo liceat à creatis argumentum deducere ad increata, quare non poterit Filius à Patre productus producere secundò Patrem? non obstat elevatio, quia quod creaturis est elevatio & supernaturale, est, secundùm adversarios, Deo naturale, ergo ex duabus productionibus non licebit arguere esse tres Personas in Divinis; sicque quod tam operosè stabilire contendunt, ex suis ipsi principiis destruunt.

IV. Contrà secundò; communissima est sententia, quam etiam admittunt plerique ex adversariis, posse rem eandem in creatis supernaturaliter produci duabus actionibus totalibus, ergo si quod supernaturaliter convenit creaturis, possit naturaliter convenire Deo, poterit Pater secundò producere Filium, & sic ex duabus productionibus non arguetur Trinitas Personarum, vel etiam Filius secundò vel tertiò producere posset Spiritum Sanctum, & sic non duæ solùm, sed plures essent productiones in Divinis.

Ad

V. *Argumento suprà posito satis fit.* Ad argumentum itaque Resp. licèt in creatis possit idem elevari ad secundò producendum seipsum, quemadmodum & ad producendum principium à quo producitur; sicut tamen secundum in Divinis reperiri non potest, ita nec primum. Admittendo itaque, quod est verissimum, non posse quidquam in Deo esse ipsi supernaturale, nihil omnino ex nostrâ sententiâ infringitur mysterium Trinitatis, qui solùm dicimus posse supernaturaliter hoc fieri, non naturaliter: sicut autem ex eo quod supernaturaliter possit in creatis vel idem se, vel principium productivum sui secundò producere, non sequitur posse id præstare naturaliter, ita nec sequitur posse illud reperiri in Deo, cùm sibi esset, esset naturaliter. *Nil in Deo esse potest Deo supernaturale.* Ratio autem est, quia in ijs quæ naturaliter fiunt, quando est una actio sufficiens, alia sive totalis sive partialis est superflua: sicut autem in naturâ, ita multò magis in auctore naturæ vitari debet superfluum. *Sicut Natura, ita multo magis Auctor naturæ in se abhorret superfluum.*

VI. Et licèt in creatis possit Deus ad ostendendam suam potentiam, efficere ut res secundò producat se, non tamen potest in Divinis hunc sibi finem præfigere, cùm omnis operatio ad intra in Divinis sit necessaria, & consequenter, nisi naturaliter hoc habeat, non potest id efficere, naturaliter autem hoc non habet ob rationem dictam; ergo. Dices; est finis sufficiens, nempe ut Filius sit etiam à se, ergo potest hoc habere sine superfluitate, & consequenter naturaliter. Contrà, secundùm hunc modum philosophandi quot processiones haberemus in Divinis? nam iterum novus finis esset ut Filius procedat à Patre simul & Filio, ut Filius producat Patrem, ut vel Pater Filium, vel Filius Patrem duplici actione producat, & sic de cæteris, atque ita nec finium, nec processionum esset finis.

VII. Objicitur tertiò, Patres frequenter asserere nihil posse producere se, & ex hoc principio deducunt distinctionem Personarum in Divinis. Sed contrà primò, nam ut notant communiter Theologi, rarissimè Patres movent quæstiones de potentiâ absolutâ, ac proinde quando dicunt non posse idem producere se, intelligunt secundùm vim nativam rebus à naturâ insitam. *Patres rarò movent quæstiones de potentiâ absolutâ.* Et hoc sufficiebat ad eorum intentum, ut proximè ostendimus: si enim nihil se naturaliter possit producere, & Deus quidquid agit, agat naturaliter sequitur apertè, si Pater ad intra aliquid producat, debere esse ab eo distinctum.

VIII. Contrà secundò non minùs, imò magis frequenter dicunt Patres non posse creaturam creare, sed hoc esse proprium Dei, & tamen plurimi ex adversarijs docent, posse creaturam supernaturaliter creare, & mentem Patrum explicant, velle ipsos esse proprium Dei creare naturaliter.

IX. *Argumentū ex processione Spiritus sancti. Respondetur objectioni.* Objicies quartò; secundùm Theologos communiter, si Spiritus Sanctus non produceretur, seu procederet à Filio, non distingueretur ab illo, ergo ideo distinguitur quia procedit, ergo productio est signum sufficiens distinctionis, ergo nihil potest producere seipsum. Distinguo ultimum consequens, ergo nihil potest producere seipsum naturaliterr concedo consequentiam (nam illa actio foret supernaturalis, productio autem Spiritûs Sancti est naturalis) ergo nihil potest producere seipsum supernaturaliter, nego consequentiam.

X. *Argumentū à paritate causæ materialis & formalis.* Objicies quintò; repugnat aliquid esse causam materialem vel formalem respectu suiipsius, ergo & se producere effectivè. Contra primò, possunt secundùm adversarios duæ causæ, formæ ignis v. g. elevari ad se secundò producendum efficienter, quidni ergo in se informandum vel recipiendum? Diversissima ergo est ratio de causâ materiali ac formali, & de efficiente.

XI. Disparitas autem est, vel enim est sermo de re aliquâ completâ, Angelo ex. g. & secundùm omnes non potest esse causa materialis, vel formalis respectu alterius Angeli, cùm sit quid completum, multo minùs respectu sui: vel sermo est de re incompletâ, & de hac eadem videtur ratio, vel enim est materia, & tunc non potest fieri forma nec divinitùs, magis quàm homo equus; vel est forma, & hæc vicissim fieri nequit materia, sicque nec ab aliâ formâ substantiali informari. *Assignatur inter has causas disparitas.*

Objicit sextò P. Vasq. sequeretur rem eandem simul esse in fieri & facto esse. Quòd sit in facto esse, patet, cùm tunc operetur, esse autem est prius quàm operari; quòd verò etiam sit in fieri, probatur, tunc enim producitur, ergo simul est in fieri; & facto esse: Contrà primò, idem quoad hoc est de duabus causis se invicem quoad secundum esse producentibus, ut discurrenti patebit. Contrà secundò, hoc enim probaret nec solem posse operari primo instante quo est, sequeretur enim esse simul in fieri, cùm tunc producatur, & in facto esse, cùm tunc etiam operetur, prius autem est esse quàm operari. Resp. itaque respectu diversæ actionis id non esse inconveniens, unde respectu primæ actionis est in fieri, respectu secundæ in facto esse. XII. *Objicitur idem esse in fieri & facto esse.* *Instantia objectionis.* *Argumenti solutio.*

XIII. Urgebis, etiam respectu ejusdem actionis est in fieri & facto esse, nam respectu secundæ actionis est in fieri, cùm ab illâ producatur secundò, est etiam simul respectu illius in facto esse, cùm res illa supponatur ad ipsam existens, utpote illius principium, ergo. Distinguo primum antecedens, est in fieri & facto esse respectu ejusdem actionis, hoc est, per eandem actionem est simul in fieri & in facto esse, nego antecedens; est in fieri & facto esse respectu ejusdem actionis, id est, est in fieri formaliter & secundariò respectu illius, in quantum scilicet per illam secundariò producitur, & in facto esse respectu illius præsuppositivè, per aliam scilicet actionem, per quam priùs naturâ producitur independenter ab hac, concedo: sed hoc nihil contra nos, ut constat. *An respectu ejusdem actionis res sit in fieri & facto esse.*

SECTIO III.

Tres aliæ difficultates circa elevationem rei ad producendum seipsam.

I. *Idem non potest esse Dominus respectu sui.* OBjicies septimò; non potest idem esse Dominus aut Rex sui, ergo nec se producere. Resp. primò, ad rationem Domini, & Regis ex communi consensu omnium requiri distinctionem voluntatum, ob superioritatem, quam habere debent in subditos, & relationem, quæ requirit terminos distinctos. Secundò dico, mihi non videri improbabile; sicut juxta satis communem sententiam potest quis in duobus locis divinitùs constitutus peccare, & alia facere in uno loco & non in alio, ita & posse eum in uno loco constitui dominum, regem, & superiorem sibi ut in alio, cùm non ubique eandem necessariò servet vitæ conditionem. Ad hoc autem, sicut & ad alia, sufficit virtualis distinctio voluntatum, sicut idem in duobus locis esse potest superior sibi localiter, ut est manifestum. Et hinc infero, saltem posse aliquid elevari ad se in diverso loco constitutum secundò producendum. *Homo ut in uno loco Rex sui ut in alio.*

II. *Arguitur ex definitione causæ. Respondetur.* Objicies octavò; definitur causa esse *id quod influit esse in aliud*: ergo nihil potest producere seipsum, sic enim esset, & non esset causa. Conf. producens & productum sunt correlativa, ergo distinguuntur. Ad argumentum Resp. latiùs extendi hoc quod est producere, quàm esse causam, ut patet in Divinis: unde dicimus, casu quo idem elevaretur ad producendum se, non esset causa in hac strictâ acceptione causæ,

causæ, sed solùm principium.

III. Ad confirmationem Resp. etiam actum & obiectum esse correlativa, & tamen potest actus aliquis esse objectum sui, ut constat in hoc actu, *omnis actus intellectûs est spiritualis, simplex qualitas* &c. Deinde, distans dicit relationem aliquam ad id à quo distat, & tamen quando idem est in duobus locis, non dicit relationem ullam distantiæ ad se. Dices; res ut distans à se dicit relationem ad se formaliter ut distantem, seu ad formam per quem distat. Contrà, sic etiam dicere poterit relationem ad se ut productum, seu ad formam per quam producitur. Verum ergo habet dictum illud in productionibus tantum naturalibus, has enim solas novit dicti illius auctor Aristoteles. Reductivè tamen & impropriè hîc dici possunt producens & productum correlativa, in quantum scilicet similitudo quædam intercedit illius productionis quâ res una aliam efficit. Aliqui tamen dicunt ad hoc sufficere virtualem distinctionem extremorum, ut numero 1. insinuavi de Rege, & Domino.

Correlativa solùm sunt, ea qua producunt & producuntur naturaliter.

IV. Objicies notò; sequi ex nostrâ sententiâ dari formam quæ essentialiter supponat suum effectum formalem priùs communicatum. Probatur sequela, hæc secunda actio necessariò supponit rem productam per aliam actionem, ergo præsupponit suum effectum formalem, hoc autem non magis videtur fieri posse, quàm ut detur albedo quæ in subjecto præsupponat aliam albedinem, quod ab omnibus censetur magnum inconveniens. Sed contrà, licèt enim censeatur inconveniens ut detur forma, quæ supponat effectum suum formalem adæquatum, non tamen quæ supponat effectum inadæquatum, quod omnes qui statuunt heterogeneitatem in intensione accidentium (quod præstant plurimi ex adversarijs) admittere debent in albedine & alijs qualitatibus, secundus enim gradus albedinis non minùs est albedo, & denominat subjectum album quàm primus, & tamen naturaliter supponit primum, & subjectum jam esse album.

Obij. secundam actionẽ fore superfluam, cùm supponat suũ effectum.

V. Dices primò; secundus quidem gradus albedinis supponit primum, sed tribuit alium effectum formalem, nempe reddit subjectum intensiùs album. Contrà, etiam hæc secunda actio dat effectum formalem saltem inadæquatè diversum, licèt enim sit actio, est tamen diversæ rationis ab alterâ, & potiùs conservatio quædam illius rei, quàm prima productio. Imò major esse videtur diversitas inter hanc secundam actionem & primam, quàm inter primum, & secundum gradum albedinis.

Tam secunda actio dat novum effectum formalem, quam secundus gradus albedinis.

Dices secundò; secundus gradus albedinis supponit primum solùm naturaliter, unde per potentiam absolutam potest esse sine illo: at verò hæc secunda actio ita essentialiter supponit primam, ut nec divinitùs existere sine illâ possit. Contrà primò, si in naturalibus detur forma, quæ connaturaliter semper supponit suum effectum, saltem inadæquatum, quidni divinitùs dari aliqua poterit, quæ effectum suum formalem inadæquatum supponat, etiam in ordine ad potentiam obsolutam?

VI. *Obij. secundam actionem supponere primam essentialiter.*

Contrà secundò, ab omnibus admitti debere videntur formæ aliquæ quæ ita effectum suum inadæquatum supponat, ut eo non præsuppositò, nec divinitùs existere possint. Ex. g. effectus adæquatus unionis inter animam & corpus est reddere partes illas essentiales hominis peculiari modo intimè sibi invicem præsentes, in ordine ad unum compositum constituendum, & operationes sensitivas eliciendas, & tamen ita per duas ubicationes has partes intimè sibi invicem præsentes supponit, ut ubicationibus illis non suppositis, existere unio non possit, nec divinitùs. Idem est in opinione statuente figuram esse modum ab ubicationibus distinctum, collocantem certâ ratione partes in ordine ad se permanenter, qui tamen modus sine ubicationibus idipsum inadæquatè præstantibus produci nequit. Quod etiam de subsistentiâ totali, si sit modus, dici similiter debet.

VII. *Forma aliqua essentialiter supponit effectum suum formalem inadequatum.*

Quòd verò effectus formalis hujus secundæ actionis sit inadæquatè diversus ab effectu formali primæ, probatur, licèt enim utraque sit productio, alio tamen modo producit rem secunda quàm prima, & per modum potiùs conservationis quàm primæ productionis. Deinde, actio non solùm respicit terminum sed agens, unde licèt ex parte termini nihil appareret diversum in effectu formali unius actionis ab effectu formali alterius, sufficeret tamen ad illius possibilitatem diversitas effectûs formalis prout respicit agens. Cùm itaque secunda actio denominet rem illam exercentem quasi potestatem quandam supra seipsam, quod non facit prima, habet effectum formalem inadæquatè ab illâ distinctum, & sufficientem ut super naturaliter ejusmodi actio poni possit.

VIII. *Diversus secunda actionis à primâ.*

DISPVTATIO XX.

De prioritate causæ respectu effectûs.

SECTIO PRIMA.

Nonnulla circa prioritatem prænotantur.

I. PRioritas quoad præsens, triplex est: *temporis*, ut pater in creatis est prior tempore filio, dispositiones formâ, si ultimam exceperis: *rationis*, cùm scilicet in re realiter eâdem conceptus varios distinguimus, ubi universaliores semper sunt priores, quia simpliciores: invenitur tamen nonnunquam prioritas rationis inter prædicata quorum unum non latiùs patet altero, ut in Divinis intellectio est ratione nostrâ prior volitione, immutabilitas æternitate. Tertia demum prioritas est *prioritas naturæ* quando sc. unum verè pendet ab alio, quam prioritatem præcipuè hîc declarandam suscipimus.

Prioritas triplex. Temporis. Rationis.

Natura.

II. Aliæ duæ numerantur à Philosophis prioritates, nempe *prioritas subsistendi consequentiâ*, & *prioritas originis*: illa est, cùm aliqua duo non se habent convertibiliter in subsistendi consequentiâ, seu quando non valet mutua consequentia utriusque ad se invicem, sed solùm unius ad alterum, non è contrà: id autem à quo non valet consequentia, est hoc sensu prius. Hæc non est propria prioritas, cùm hac ratione terminus sit prior actione, qua producitur, valet enim, *est hæc actio, ergo hi terminus*, non è contrà, *est hic terminus, ergo hæc actio*, cùm per aliam actionem produci idem terminus possit. *Prioritas originis* (quam S. Thomas & Theologi communiter ordinem potiùs, quàm prioritatem vocandum asserunt, nobisque ex principijs fidei innotescit) est dum Pater æternus producit Filium, cum omnimodâ tamen simultate temporis & naturæ unde non refugiunt Theologi dicere

Prioritas subsistendi consequentiâ.

Prioritas originis.

dicere Patrem æternum esse priorem origine Filio, utpote à quo Filius verè procedit.

III. *Prioritas in quo.* Ulteriùs prioritatem dividunt aliqui in prioritatem *in quo* & *à quo*. Prioritas *in quo* est cùm duo in eodem instante reali ita existunt, ut unum dependeat, & accipiat esse ab alio, tanquam ab influente, non è contrà, saltem de facto; unde præbetur fundamentum intellectui concipiendi unum non concepto altero, ut solem non conceptâ luce: licèt autem etiam concipi possit lux non concepto sole, lux tamen non est prior sole prioritate *in quo*, quia sol non accipit suum esse à luce tanquam ab influente in solem.

IV. *Prioritas à quo.* Prioritas verò *à quo* est id à quo aliquid quomodocunque accipit suum esse, sive id à quo illud accipit, existere sine illo possit, sive non. Sic actio dicitur prior termino prioritate *à quo*, esto sine hoc numero termino esse omnino non possit, cùm sit modus illius. Omnis itaque causa est prior *à quo* suo effectu, quia effectus ab illâ pendet, & esse suum ab eâ accipit. Imò Pater æternus dicitur aliquo modo prior Filio prioritate *à quo*, cùm Filius ab eo verè producatur, non tamen debet dici prior naturâ Filio, cùm hoc sonet esse unam naturam aliâ priorem; in Divinis autem unica tantùm est natura.

Omnis causa prioritate à quo est prior suo effectu.

V. *Ad prioritatem naturæ tria requiruntur. Primò, ut influat.* Quæres ad prioritatem naturæ propriè dictam, quid requiratur? Resp. tria hæc requiri: primò, ut id quod est naturâ prius alio, det ei esse, seu verè in illud influat. Ratio est, quia prioritas naturæ imitatur prioritatem temporis, unde sicut in prioritate temporis est successio quædam quoad durationem, ita hîc esse debet quædam consecutio quoad naturam, seu ut unum physicè in aliud influat.

VI. *Secundò, ut realiter distinguatur.* Secundum ad prioritatem naturæ requisitum est, ut id quod producitur sit ab eo quod producit distinctum realiter in naturâ, seu essentiâ. Hoc ex ipsa notione nominis colligitur, esse enim naturâ prius re aliquâ, est habere naturam illâ priorem. Quo titulo, ut suprà dixi, excludunt Theologi prioritatem naturæ è Divinis; licèt enim duæ ibi personalitates producantur, cùm tamen natura in omnibus tribus Personis sit numero eadem, nec Pater Filio, nec Pater simul & Filius Spiritu Sancto priores in naturâ esse possunt.

VII. *Tertiò ut sit ab effectu independens.* Tertiò ad prioritatem naturæ requiritur, ut id quod producit, sit à re productâ independens. Sed quia independentia hæc, quanta esse debeat, non satis inter auctores convenit aliis majorem statuentibus, aliis minorem, ad rem hanc declarandam statuam sectionem sequentem.

SECTIO II.

Quæ independentia requiratur ad prioritatem naturæ. Vbi an detur dependentia à posteriori.

I. *Quidam Prioritatē naturæ constituunt in independentia.* RECentiores aliqui naturæ prioritatem inter causam & effectū constituunt in dependentiâ effectûs à causâ, cum omnimodâ independentiâ causæ ab effectu, seu in dependentiâ, ut aiunt, cùm independentiâ. Unde, inquiunt, si causa ullo modo dependeat ab effectu, tollitur conceptus prioritatis naturæ, & tam effectus influet in causam, quàm causa in effectum.

II. Hæc sententia, quamvis eruditè à suis auctoribus explicetur & illustretur, mihi tamen nunquam placuit: antequam tamen eam impugnem.

III. *Independentia triplex; ob antecedente, concomitante, & consequente.* Notandum, independentiam, sicut & dependentiam, triplicem esse; ab *antecedente*, *concomitante*, *& consequente*, seu à priori, simultaneo, & posteriori. Triplex hac independentia Deo perfectissimè convenit: independentia *à priori*; nullam enim habet causam sui: *à posteriori & concomitante*; ita enim creaturas producit, ut eas liberrimè producat, & earum existentiâ nullo modo indigeat. Res aliæ creaturæ cùm sint, à suis quæque causis singulæ, à Deo omnes à priori dependent. Quædam etiam à rebus creatis *à concomitante* pendent, ut duæ partes minimi naturalis, ex quibus neutra aliam producit; quædam *à posteriori*, ut mox ostendam.

IV. Impugnatur itaque sententia jam relata, & probo prioritatem naturæ non consistere in dependentiâ effectûs à causâ, & in independentiâ omnimodâ causæ ab effectu, sed solùm in independentiâ illius à priori, seu ab effectu tanquam ab influente. Causa completa necessaria, seu cum omnibus ad agendum requisitis, est naturâ prior effectu, sed causa completa necessaria est dependens ab effectu, ergo prioritas naturæ non consistit in independentiâ causæ ab effectu. Major ab omnibus admittitur, causa enim completa est vera causa effectûs, ergo prior naturâ illo. Consequentia est evidens. Minor probatur, tunc aliquid ab alio dependet, quando naturaliter, multò magis quando divinitùs non potest esse sine illo, sed causa necessaria completa, seu proxima, quæ nimirum omnia habet ad agendum requisita, non potest esse sine operatione, & effectu, ergo. Minor hæc probatur, si causa necessaria positis omnibus ad agendum requisitis possit non operari, ergo est causa libera, hæc enim est causæ liberæ definitio.

dente, concomitante, & consequente.

Causa interdum dependet ab effectu à posteriori.

V. Dices; causa saltem secundùm se manere potest sine effectu, ignis ex. g. sine calore quem producit, licèt in illis circumstantiis, seu quando est omnino proximè paratus ad comburendum, non possit. Contrà, causa necessaria proxima ut proxima, seu ut completa ad operandum, & ut in illis circumstantiis, est prior naturâ effectu, & vera causa illius, imò eam non causat nisi quando est completa, sed tunc non potest non operari, nec esse sine effectu, Deus enim alio modo eam ab operando impedire non potest, nisi tollendo aliquid ad operandum necessarium, ut materiam applicatam removendo, subtrahendo concursum suum, aut aliud hujusmodi, ergo. Et hoc est quod dicunt Philosophi causam ab effectu dependere à posteriori.

Causa necessaria proxima est prior effectu, sine quo tamen esse nequit.

Secundò idem ostenditur in causâ liberâ proximè ad operandum expedita. Voluntas Petri est libera in instante A ad amandum & non amandum, seu ad efficiendum amorem & liberam illius omissionem, ergo pro aliquo priori est indifferens ad causandum utrumque, & est prior illis; sed non potest utroque in illo instante carere, cùm sint contradictoria, ergo potest aliquid esse prius naturâ illo, seu illius causa, quo non potest carere, sicque ab illo à posteriori dependet nempe à suo effectu.

VI. *Dependentia à posteriori clarius constat in causâ liberâ.*

Tertiò, hoc idem probatur in punctis, & aliis unionibus quę secundùm multos reperiuntur in continuo, & aiunt subjectari in partibus, quod certè videtur probabile, ne quoties duæ aquæ, aut partes aëris, & alia hujusmodi (quod momentis propè singulis contingit) uniuntur, confugere ad Deum cogamur, ut uniones illas creet. Et tamen partes in illâ sententiâ non possunt, nec per divinam potentiam persistere sine unionibus, alioqui continuum divideretur simul & permanenter in omnes suas partes, ergo potest aliquid dependere essentialiter ab eo quod est illius effectus, seu ab aliquo quod est illo naturâ posterius, sicque à posteriori. Et idem est de ubicatione, quam res omnes producunt, dum se de loco ad locum movent, & tamen sine omni ubicatione esse res nulla potest, vel divinitùs, ut ostendam d. 33. sec. 4.

VII. *Dependentia etiam hæc cernitur in unionibus continuatīvis.*

VIII. *Dependentia tantùm ab alio tanquam ab influente obstat prioritati naturæ.*

Dicendum itaque, non quamcunque dependentiam obstare prioritati naturæ, sed dependentiam tantùm à priori, seu tanquam ab influente. Unde quantumvis causa completa necessaria, ignis ex. g. existere non possit, quin effectum, seu calorem producat, & ita ab illo dependeat, ut nisi effectus sequatur, tolli aliquid debeat in causâ, ut ostensum est, adhuc ignis est prior naturâ calore. Licèt enim, quoad existentiam in ratione causæ completæ, tam non possit ignis existere sine calore, quàm calor sine igne, calor tamen à priori ab igne pendet, seu tanquam ab influente, ignis verò à calore non nisi à posteriori, & tanquam ab effectu: non enim pro illo priori intelligitur calor quo ignis est proximè potens ad producendum calorem, seu tanquam aliquid antecedenter ad operationem ignis requisitum, sed tanquam physicè in illo instante subsequens, seu ab igne productum.

IX. *Arist. prioritatem naturæ statuit cum dependentiâ à posteriori.*

Hæc videtur esse clara mens Aristotelis; ipse enim existimavit Deum necessariò res aliquas extra se fundere, quem tamen verè causam rerum & naturâ priorem esse ubique affirmat. Et licèt erraverit constituendo Deum necessariò ad extra operantem, ex eo tamen quòd Deo hac in re tribuit, apertè docet dari dependentiam à posteriori, sicque solam dependentiam à priori, seu tanquam ab influente tollere rationem prioritatis naturæ.

X. *Ulteriùs declaratur mens Aristotelis circa prioritatem naturæ.*

Hoc ergo sensu intelligendus est Aristoteles 5. Met. c. 11. ubi ait, ea omnia esse *naturâ priora, quæ ejusmodi sunt ut sine aliis esse possint, non item sine eis illa*: intelligi, inquam, debet, effectum debere à causâ pendere tanquam ab influente: si enim loquatur de quacunque dependentiâ, tam non potest causa completa necessaria esse sine omni effectu, quàm effectus sine omni causâ. Sicut autem causa potest esse sine hoc vel illo effectu in particulari, ita similiter effectus sine hac vel illâ causâ. Hanc autem esse mentem Aristotelis suadetur ex c. de modis simul, ubi ait *ea dici simul naturâ, quorum alterum nullo pacto causa est ut alterum sit*: per causam autem intelligit communiter Aristoteles principium influens ut suprà vidimus in explicatione definitionis naturæ ab ipso assignatæ, ergo sensit Aristoteles, non quamcunque dependentiam, sed dependentiam per influxum tollere rationem prioritatis naturæ strictè sumptæ.

SECTIO III.

Solvuntur objectiones contra dependentiam à posteriori, & quædam inferuntur.

I. *Obj. Dependentia à posteriori est reipsâ ab influente.*

OBjicies primò; si causa dependeat ab effectu, quantumcunque dicatur id esse tantùm à posteriori, reipsa tamen est à priori, & ab influente, influere enim rem unam in aliam nihil aliud est quàm hanc ab illâ dependere, ergo tam effectus influit secundùm nos in causam, quàm causa in effectum.

II. *Resp. non esse idem, unum ab alio dependere, & hoc in illud influere.*

Sed contrà, nam certum videtur non esse idem, unum ab alio dependere, & hoc in illud influere: primò enim secundùm omnes, dantur meræ conditiones, ut approximatio, & similes, quæ omnino non influunt. Secundò, duæ partes minimi naturalis in elementis, vel saltem cor & cerebrum in animalibus perfectis, à se invicem pendent, quorum tamen neutrum in alterum influit. Tertiò, actio suo modo influit in terminum, à quo tamen vicissim essentialiter dependet, & tamen nec ipsi adversarij dicent terminum ullo modo influere in actionem, ergo tanquam res indubitata in confesso apud omnes est, non esse idem hoc ab illo dependere, & illud in hoc influere. Quintò, jam ostensum est causam completam tam necessariam, quàm liberam essentialiter dependere ab effectu.

III. *Idem clarè ostenditur in Divinis.*

Contrà quintò; Pater in Trinitate verè dependet à Filio, & tamen certum est Filium non influere in Patrem, nec dare esse seu producere Patrem, sicut Pater dat esse & producit Filium. Hinc ergo manifestè habetur non esse idem, unum ab alio pendere, & hoc in illud influere, sed esse conceptus essentialiter diversos, ergo & in creatis potest causa dependere, etiam essentialiter, ab effectu tanquam ab aliquo posteriori, absque eo quòd effectus influat in causam. Quare autem non detur prioritas naturæ in Divinis, dixi sec. primâ.

IV. *Nec in hoc situm est ullum mysterium.*

Objicies secundò; hoc esse mysterium Trinitatis, nec in res creatas inducendum. Resp. nihil hìc esse mysterij, nec in eo situm esse difficultatem Trinitatis, quòd Pater Filium producat, à quo tamen essentialiter dependet, sed quòd eadem indivisibilis entitas, una sit, & Trina. In hoc, inquam, caligat ratio, utpote, quod contrarium videtur principio illi vel oraculo Metaphysico, *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*: quod proinde assequi nunquam potuit Aristoteles, cùm tamen secundum assequutus sit, ut vidimus.

V. *Quid sit unum influere in aliud.*

Quæres, quid ergo est influere? Resp. quidquid sit, certum videri non esse merè quod unum dependeat ab alio, ut jam ostensum est in actione, & dependentiâ Patris à Filio in Divinis, qui tamen in Patrem nullo modo influit, & Pater, ut est de fide, verè producit Filium, licèt à Filio essentialiter dependeat. In hoc ergo explicando par omnibus est difficultas. Influere itaque est actionem productivam ad aliquid sequi, quod vel formaliter, vel eminenter rem jam à parte rei positam continet; quam proinde causa totalis in perfectione vel superat, si sit causa æquivoca, vel adæquat, si sit univoca.

VI. *Omnia ex parte causæ in actu primo sunt priora naturâ effectu.*

Hinc infero primò, omnia quæ se tenent ex parte causæ in actu primo constitutæ in ordine ad causandum, posse aliquo modo dici naturâ priora effectu: licèt enim omnia non influant (ut conditiones) tenent tamen se ex parte causæ, & aliquo modo requiruntur ut causa operetur: unde aliquo modo integrant causam in ratione causæ saltem ut aliqua necessariò prærequisita ut causa agat, & prodeat in actum secundum.

VII. *Actio est prior termino prioritate à quo.*

Infero secundò; actionem, aliquo modo, quamvis minùs propriè, esse naturâ priorem termino, prioritate *à quo*: licèt enim non possit esse sine hoc numero termino, & hoc sensu magis pendeat à termino, quàm terminus ab illâ (cùm illâ mutatâ, permanere possit adhuc idem terminus) independentiâ tamen per modum influxûs, quæ maximè obstat prioritati naturæ, non pendet actio à termino, sed tantùm à posteriori, & ut ab aliquo per actionem causato; terminus verò dependet ab actione à priori, tanquam à causalitate agentis, estque ipse influxus, quo causatur & producitur effectus. Consistit ergo prioritas naturæ in dependentiâ effectûs à causâ per modum influentis, & in independentiâ causæ ab effectu in eâdem ratione. Cùm ergo actio sit ipse influxus, pendet terminus ab eâ à priori *ut quo*, à causâ, à priori *ut quod*, sicque causa est naturâ prior effectu *ut quod*, actio *ut quo*, licèt non adeò propriè, ut dictum est. *In quo consistat prioritas naturæ.*

VIII. *Triplici prioritati triplex respondet simultas.*

Infero tertiò, triplici prioritati suprà positæ, *temporis, rationis*, & *naturæ*, triplicem respondere simultatem: *temporis*, cùm scilicet duo eodem tempore producuntur, ut sol & lux, intellectus & voluntas. *Rationis*, cùm aliqua duo necessariò cognoscuntur simul, ut dici communiter solet de relatione & termino, privatione & formâ, actione & effectu &c. Tertia est simultas *naturæ*, quando scilicet aliqua duo sunt

sunt à se invicem omnino quoad influxum independentia, sese tamen naturali quadam consequentiâ comitantur, ut relationes paternitatis & filiationis.

IX. *Quædam sunt priora naturâ solùm in ordine ad unũ tertium.*

Aliquando verò quædam dicuntur simul naturâ, non in ordine ad se invicem, sed in ordine ad aliquod tertium, ut præmissæ in ordine ad conclusionem, duo homines simul conjuncti ad portandum idem pondus, licèt hi dici non possint simul naturâ positivè in ordine ad se, sed solùm negativè, id est, quòd neuter sit prior alio, cùm neuter ab alio dependeat. Dici ergo commodiùs possunt hæc & hujusmodi non simpliciter simul naturâ, sed simul priora naturâ, nempe priora naturâ respectu effectûs, ad quem producendum simul concurrunt. Imò aliquando contingit aliqua duo esse priora naturâ respectu alicujus tertij, quorum tamen alterum sit prius naturâ respectu alterius, & vera illius causa; ut anima est prior intellectu, & verè illum causat in sententiâ potentias distinguente ab animâ, anima tamen & intellectus sunt priora naturâ respectu intellectionis ab utroque productæ. Idem est de oculo & specie impressâ, in eo receptâ, respectu visionis, & sexcentis hujusmodi.

Disputatur hîc à multis, utrùm causa in actu primo includat actionem. Hac de re dixi suprà d. 5. s. 2. n. nono. X.

DISPVTATIO XXI.

De mutuâ prioritate.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm causæ possint esse sibi invicem causæ.

I. *1. Sent. est affirmativa.*

PRima sententia est affirmativa: ita Vasq. 1. 2. d. 211. c. 3. n. 11. & c. 4. n. 25. & fusè c. 6. Suar. d. 27. Met. sec. 2. n. 4. & 5. Conimb. l. 2. Phys. c. 7. q. 9. a. 2. Ruvius l. 2. Phy. tra. 8. q. 2. & alij, saltem quoad causalitatem in diverso genere.

II. *2. Negativa.*

Secunda sententia negat posse causas esse sibi invicem causas, sive in eodem, sive in diverso genere: ita Erice 1. p. d. 16. c. 12. n. 101. Hurt. d. 8. Phy. sec. 8. n. 158. Arriaga d. 7. Phy. sec. 8. n. 96. & 102. Oviedo con. 7. Phy. p. 8. n. 3. & p. 9. n. 4. estque communis inter recentiores opinio.

III. *Quæstio procedit de eodem instante reali.*

Notandum primò, quæstionem esse de eodem instante reali, nam de diversis instantibus, seu successivè, non videtur dubium: nil enim repugnare videtur quin ignis B qui in instante A productus fuit ab igne A, postea in instante C conservet ignem A, à quo primò fuit productus, modò tamen in illo instante ignis B aliunde conservetur, & non ab igne A.

IV. *Quæstio etiam est de causis physicis, non intentionalibus.*

Notandum secundò, sermonem esse de causis physicis physicè influentibus, ut de efficiente & materiali, non de intentionalibus, seu quæ operantur in quantum sunt in mente, & apprehenduntur, quales sunt causa finalis & exemplaris; hæ enim sicut non requirunt omnino existentiam ad causandum, ita, ut in apprehensione seu esse intentionali, possunt esse causa sui in esse physico, id est, possunt mente conceptæ movere causam efficientem, ut eas producat, & acquirat, ut de agricola semen terræ mandante, & aliis constat.

V. *Causa finalis & efficiens possunt esse sibi invicem causa. In his solum causis mutuum prioritatẽ concedit Aristoteles.*

Dico primò: causam finalem & efficientem non repugnare quominùs sint sibi invicem causæ, ut deambulatio est causa valetudinis, & valetudo deambulationis, *finalis* valetudo, deambulatio *efficiens*. Hoc & nihil aliud vult Aristoteles 1. Phy. c. 3. tex. 30. dum ait: *sunt præterea, quæ mutuò sunt sibi causæ ut exercitium est causa bonæ valetudinis, & hæc causa exercitij, at non eodem modo, sed hæc ut finis, illud ut principium motûs.* His, inquam, verbis solùm astruit Aristoteles mutuam prioritatem, & dependentiam inter causam finalem, & efficientem, quarum illa est prior in intentione, seu ut apprehensa, hæc in executione, seu physicè. Cùm ergo nullius alterius causæ adhibeat exemplum Aristoteles præterquam finalis, & efficientis, dum dicit causas esse sibi invicem causas, intelligi solùm debet loqui de *causâ finali, & efficiente:* per quod solvitur quidquid afferunt contrarij de auctoritate Aristotelis.

VI. *Non possunt duæ causæ mutuò se primò producere.*

Dico secundò: non possunt duæ causæ invicem se primò producere, seu dare sibi primum esse. Ita P. Hurt. hîc d. 8. s. 8. n. 158. & alij citati n. 2. Ratio est primò, quia si utraque sit causa sui invicẽ, ergo sunt priores sibi naturâ, cùm juxta Aristotelem & Philosophos, causa semper sit naturâ prior effectu, sed non possunt esse invicem priores naturâ, ergo. Probatur minor, prioritas naturæ, ut suprà vidimus ex Aristotele, in eo sita est, ut id quod est prius naturâ altero, sit independens ab illo à priori, seu ut ab influente, sed hoc consistere nequit si effectus in illud vicissim quoad primum esse influat, ergo.

VII. *Prius esse debet res, quàm operetur.*

Secundò probatur, prius est esse quàm operari, ergo prior est ignis A actione quâ producit ignem B, ergo à fortiori est prior actione profluente ab igne B, cùm entitas ignis B sit prior causalitate ab ipsâ procedente, sed nullius effectus potest esse prior causalitate quâ producitur, ergo non possunt duæ causæ esse sibi invicem causæ, quia tunc sequeretur unamquamque priorem fore causalitate, quâ producitur, cùm debeant esse priores sibi invicem ut operantibus, & consequenter priùs operarentur quàm essent, cùm priùs operarentur quàm producerentur, si essent priores actione quâ producuntur.

VIII. *Idem est de diverso genere causæ.*

Dices; probare hæc, non posse causas esse sibi invicem causas in eodem genere, duas ex. g. causas efficientes, non tamen in diverso, ut causam efficientem & materialem. Contrà, tam probant contra mutuam causalitatem in diverso genere, quàm in eodem; nam esse prius in quocunque genere causæ, est esse aptum ad agendum, ergo præsupponitur esse ante illud quod producit, ergo ante illius causalitatem, ergo non accipit primum esse per causalitatem ab illo profluentem, nam alioqui non præsupponeretur ad illud, ergo idem est de quocunque genere causæ.

IX. *Idẽ est esse, in quocunque genere causæ producatur.*

Urgebis, cùm causæ in diverso genere causæ se producunt, dant sibi diversum esse, ergo quoad unum esse potest causa efficiens præsupponi ad materialem, & quoad aliud materialis ad efficientem. Nego antecedens, idem enim & indivisibile esse dant sibi invicem, & à se mutuò accipiunt; quod proinde, indivisibile cùm sit, non potest præsupponi ad causam sui productivam, cùm tunc effectus esset in rerum naturâ priùs suâ causâ.

Tertiò probatur, & est explicatio rationis præce-

Implicat ut effectus ingrediatur actum primū productivum sui.

dentis : non potest effectus productus in statu actualitatis ingredi actum primum physicum productivum sui, ut videtur lumine naturæ notum; sed si darentur duæ causæ sibi invicem causæ, effectus ingrederetur actum primum physicum constitutivum sui, ergo. Major videtur certa, nam alioquin idem esset productivum sui quoad primum esse, quod in terminis implicat. Minor probatur, agens omne physicum agit in quantum physicè existens, ergo includit existentiam essentialiter, ergo supponitur existens, ergo extra omnes suas causas, ergo in illo priori præsupponuntur omnes ejus causæ, sed altera causa est ipse effectus, si duæ causæ sint sibi invicem causæ, ergo vel ingreditur, vel, quod magis est, supponitur ad principium productivum sui.

XI. *Nec divinitùs dari potest mutua causalitas.*

Quæ hactenus dicta sunt, probant, ne quidem divinitùs dari posse mutuam causalitatem, ita scilicet, ut duæ res se vel primo instante quoad primum esse producant, vel secundo instante conservent : omnes enim rationes adductæ urgent æqualiter in ordine ad divinam potentiam. Utrùm autem possint duo se quoad secundum esse producere, vel conservare, videbitur sec. tertiâ.

XII. *Quicquid movetur, ab alio movetur.*

Quartò probant aliqui, quia concessâ mutuâ causalitate quoad primum esse, sequeretur non posse probari Deum, seu primum motorem, cùm hinc communiter probetur, *quòd omne quod movetur, ab alio moveatur*, unde arguitur debere aliquando perveniri ad primum aliquem motorem qui non moveatur ab alio, admissâ autem hac mutuâ causalitate, non tenet prior argumentatio, res enim omnes possent se invicem quoad primum esse producere & conservare, sicque non esset opus investigare ulteriùs primam aliquam causam, quæ movens alia, ab iis vicissim non moveatur. Hoc argumentum probabile est, videtur tamen responderi posse, licèt duæ causæ possint se mutuò producere quoad primum esse, neutram tamen habere potentiam operandi nisi dependenter à Causâ primâ, quæ debeat essentialiter supponi, & utramque juvare ad se mutuò ex nihilo extrahendum, qua non præsuppositâ, nihil agere possent.

SECTIO II.

Solvuntur objectiones pro mutuâ prioritate.

I. *Mens S. Thomæ circa mutuam prioritatem.*

OBjicies primò Aristotelem, qui asserere videtur causas esse sibi invicem causas. Sed illius mentem declaravimus sect. præcedente, n. 3. Difficilior est explicatio S. Thomæ, qui sæpiùs ait materiam & formam esse sibi invicem causas. Probabilis tamen illius interpretatio est, solùm velle sanctum Doctorem, materiam recipere formam, & formam informare materiam, sicque per hoc duplex munus eas esse invicem causam respectu compositi, non respectu sui, id est, mutuò concurrere ad constitutionem compositi.

II. *Non datur mutua prioritas inter calorem & formam ignis.*

Objicies secundò : ultimus gradus caloris qui disponit ad formam ignis, producitur ab ipsâ formâ ignis, ergo est prior ipsâ in genere causæ materialis (cùm dispositiones teneant se ex parte materiæ) & est posterior eâdem formâ in genere causæ efficientis, cùm ab illâ efficienter producatur. Quod etiam asserit P. Vasquez contingere inter gratiam habitualem, & actum contritionis, & alij inter materiam & formam. Sed contrà, non potest calor disponere ad formam ignis antequam calor sit, cùm prius sit esse quàm disponere, ergo in illo priori habet aliquam causam efficientem, cùm sit ens ab alio : ergo non potest produci à formâ ignis, cùm prius supponatur calor esse in subjecto, quàm forma ignis existat. Dices; præsupponi solùm materialiter seu in genere causæ materialis. Contrà, illud materialiter involvit entitatem illius existentem, ergo verè pro illo priori est illa entitas, non à se, ergo ab aliquâ causâ efficiente, ergo pro illo priori habet aliquam causam efficientem, & sic esse aliquid prius in uno genere arguit prioritatem simpliciter, cùm in quocumque genere sit causa, supponatur esse simpliciter, seu esse à parte rei sufficienter ad causandum, ergo non potest causari primò ab eo ad quod præsupponitur.

III. *Ultima dispositio non producitur ab igne.*

Dico itaque ultimam dispositionem prærequisitam ad formam non produci à formâ introductâ, sed ab eâdem causâ à qua producuntur reliqui gradus. Ignis enim non semper requirit octo gradus caloris, ut introducatur, ut alibi dicam latiùs.

IV. *Obj : actionem eductivam subjectari interminо.*

Objicies tertiò; generatio, seu actio eductiva subjectatur materialiter in termino quem producit, ergo terminus efficienter dependet ab illâ, illa materialiter à termino, sicque sunt sibi invicem priores, & posteriores, in diverso genere causæ. Conf. creatio non habet aliud subjectum quàm terminum, ergo ibi saltem dabitur mutua causalitas inter ipsam & terminum.

V. *Resp. esse in termino, solùm ut in subjecto adhæsionis.*

Ad argumentum negatur antecedens; solùm enim est in termino actio eductiva ut in subjecto adhæsionis, seu intimæ affectionis, non sustentationis; subjectum verò sustentationis illius est idem cum subjecto termini, per illum producti. Actio eductiva ex. g. qua calor educitur ex materiâ ligni, non subjectatur in calore, ut in subjecto sustentationis, sed in materiâ ligni, in quâ etiam subjectatur calor, quæ terminum, seu calorem sustentat *ut quod*, actionem *ut quo*, per actionem enim sustentat terminum. Ad Confirmationem Resp. creationem non esse in ullo subjecto sustentationis, cùm sit ratio per quam terminus productus sit independens ab omni subjecto sustentationis, ergo illa est independentia à subjecto sustentationis *ut quo*, licèt essentialiter sit in termino, ut in subjecto adhæsionis, & intimæ affectionis, quod tamen nihil facit ad mutuam prioritatem.

VI. *Obij. posse duo à se invicem pendere in esse possibili.*

Objicies quartò; possunt duo in ordine transcendentali pendere à se invicem quoad esse possibile, datur enim secundùm nos mutuus ordo transcendentalis inter res varias, materia enim pendet à formâ ignis possibili, ita ut illâ implicante implicaret, & forma vicissim implicante materiâ; dari ergo similiter possunt duo quæ se producant invicem physicè & realiter quoad esse actuale, & à se mutuò dependeant in existentiâ.

VII. *Resp. prædicata illa possibilia solùm esse conditiones concomitantes.*

Resp. prædicata illa possibilia solùm esse conditiones concomitantes, quas omnes admittere debent, ut suprà ostendi, in corde & cerebro animalis perfecti. Hoc autem non probat dari mutuam causalitatem, vel mutuam antecedentiam, hæc enim æquè implicat in conditionibus, ac in causis ob rationes sec. præcedente allatas, sed solùm probat mutuam dependentiam, quam existimo à nemine negari posse.

VIII. *Quo sensu sit prior illa natura in esse possibili.*

Dices; prioritas naturæ, quæ de facto datur inter causam & effectum, inter solem v. g. & lucem, erat antea possibilis, ergo datur prioritas in esse possibili. Resp. dari prioritatem naturæ in esse possibili, hoc sensu, nempe quòd res illæ conceptæ in esse possibili habeant in se relucentem ordinem quem servare debent à parte rei existentes, concedo itaque hoc sensu consequentiam, nam in materiâ in esse possibili relucet prædicatum hoc, quòd sit semper prior formâ materiali à parte rei, & quòd petat esse causa materialis illius : sicut in potentiâ visivâ, aut quavis aliâ potentiâ relucet esse priorem illam suæ actioni, non è contrà; At verò quoad ipsum esse possibile

nulla

nulla exercetur prioritas, nec materia priùs est possibilis ullâ ratione quàm forma materialis sit possibilis, nec potentia visiva priùs est possibilis quàm actualis visio ab ipsâ in statu actualitatis elicienda sit possibilis, nec è contrà, sed quoad hoc omnia sunt simul. In statu ergo possibilitatis relucet solùm prioritas naturæ conditionata, nempe quando existent materia & forma materialis, illa respectu hujus erit subjectum, & naturâ prior.

IX. *Varia experientia pro mutuâ causalitate.*

Objicies quintò varias experientias: primò, multæ prunæ simul positæ, invicem se fovent. Secundò, manus conjunctæ calorem in se invicem effectivè conservant. Tertiò, manus frigidæ mutuâ confricatione incalescunt. Quartò, piper calorem in linguâ producit, & lingua vicissim in pipere, sicque mutuò se calefaciunt. Quintò, duo ligna erecta, quorum alterum alteri innititur, mutuò se sustentant, ergo ibi datur mutua causalitas & prioritas. Sextò, partes minimi naturalis invicem se conservant, separatæ enim statim perirent, ergo &c.

X. *Satisfit his experientiis.*

Ad duas primas instantias. Resp. Si ita ponatur casus, ut calor non sit æqualis in utrâque manu, vel prunis illis, partes magis calidæ producent in aliis calorem; si verò æqualis sit in omnibus calor, non alio modo se conservant quàm quòd hoc modo conjunctæ meliùs se contra agentia extrinseca contraria defendant: *Virtus* enim *unita fortior*. Deinde, aërem etiam circumfusum magis, & ad majorem distantiam calefaciunt, quo fit ut à frigore circumstante minùs lædantur.

Virtus unita fortior.

XI. *Motus est causa caloris.*

Ad tertium Resp. manus sese invicem confricantes mutuò se calefacere per motum duplicem, qui calorem in utraque producit, *motus* enim *est causa caloris*. Id verò præstat motus ille vel rarefaciendo aërem intermedium, vel spiritus vitales in quibusdam partibus manuum excitando, qui ad extimas partes deducti, illas calefaciunt. Ad quartum dico, piper non calefacere linguam per calorem formalem in ipso à linguâ productum, sed per virtualem, in se contentum, lingua verò producit in pipere formalem calorem, sicque non agunt secundùm eundem calorem, calor enim qui in pipere producitur à linguâ, calorem in linguâ non producit.

XII. *Quomodo duo ligna erecta se sustineant.*

Ad quintum dico, duo illa ligna non se mutuò conservare, sed esse invicem conditiones concomitantes, ut utrumque talem habeat situm, utrumque enim nititur occupare locum alterius, & versus illam partem cadere, impeditur verò ab alio, sicque sunt sibi invicem impedimenta, non causæ. Ad ultimum Resp. eodem ferè modo, partes minimi naturalis non in se invicem agere, & conservare hoc sensu, sed solùm esse conditiones invicem concomitantes, ut forma minimi naturalis in iis partibus conservetur.

XIII. *Cur dari possint conditiones concomitantes, non causæ.*

Quæres cur dari possint conditiones mutuò concomitantes, & non pari modo causæ invicem concomitates? Resp. rationem esse, quia juxta Aristotelem, & Philosophos, omnis causa est prior naturâ effectu, utpote in naturam à se distinctam realiter influens, unde est implicatio in terminis dicere, causæ respectu sui invicem concomitantes; cùm conceptus causæ sit ut naturâ antecedat effectum.

SECTIO III.

Possintne elevari duæ causæ ad se producendum quoad secundum esse.

I. *Possunt duæ causæ se divinitus quoad secundum esse producere.*

DIcendum, nullam esse repugnantiam, ut duæ causæ divinitùs mutuò se quoad secundum esse producant. Explico conclusionem: ponamus duos ignes primò produci à solo Deo, per duas actiones sibi proprias, & sufficientes ad illos independenter ab omni alio concursu conservandos. In hoc casu dico posse illos ignes in eodem primo instante elevari ad se invicem secundò per duas alias actiones producendos, quæ tamen actiones essentialiter supponunt duas aliquas primas, à quibus ignes illi primò producantur.

Probatur itaque conclusio: nulla est repugnantia ut hoc modo conservati duo ignes se invicem secundò producant, ergo poterunt hoc modo se producere. Antecedens patet, nam tunc pro aliquo priori intelligitur uterque ignis esse completè à parte rei, ergo & esse sufficiens in illo priori ad operandum. Conf. effectus in hoc casu non ingreditur constitutionem principij productivi sui, ut contingeret si duo se invicem primò producerent, ergo. Antecedens probatur, uterque ignis completè intelligitur existens, indepenter à se invicem, per aliam actionem præcedentem, ergo ignis A non accipit virtutem qua producit ignem B ab ipso igne B, cùm virtus illa ut producens ignem B, non procedat ab igne B, sed à solâ actione Dei productivâ ignis A, independenter à concursu ignis B: sicque eodem modo ignis A produceret ignem B, sive ignis B in illum vicissim influeret, sive non.

II. *Ratio est, quia nulla planè est repugnantia.*

Secundò probatur: ut aliquid dicatur prius alio, influere in illud debet independenter ab influxu alterius, sed hic ignis A influit in ignem B independenter à concursu ignis B, & è contrà ignis B in ignem A independenter à concursu ignis A, nam uterque ad se invicem concurrit dependenter solùm à concursu illo primo Dei, qui est independens ab his aliis concursibus, & uterque iste secundus concursus est à se invicem independens, perstaret enim quilibet, altero sublato, ergo hîc nulla involvitur implicantia, & consequenter poterunt se invicem secundò producere.

III. *Influere in se possunt duo ignes independenter à se invicem.*

Dices primò; si ignis B producitur ab igne A, ergo dependet ab illo, ergo non est independens, nec illo prior. Distinguo primum consequens, ergo dependet ab illo quoad secundum esse, & secundùm quid, concedo consequentiam; quoad primum esse, & simpliciter, seu in primo produci, nego: nam simpliciter est ab illo independens, cùm eodem modo persisteret, licèt ignis A ad illum omnino non concurreret.

IV. *Sunt sibi invicem priores quoad secundum esse.*

Dices secundò; ut res possit operari, debet intelligi extra omnes suas causas, ergo ut ignis A intelligatur potens producere ignem B, debet pro aliquo priori intelligi extra omnes suas causas, sed una ex istis causis, secundùm nos, est ipse ignis B, cùm ab illo etiam producatur, ut supponimus, ergo ignis B constituit principium productivum sui, cùm constituat principium productivum suæ causæ. Resp. distinguendo primum antecedens, ut possit operari, debet intelligi extra omnes causas, à quibus quoad illam operationem dependet, concedo antecedens; à quibus quoad illam operationem non pendet, nego: ignis autem A non dependet, ut operetur, à causalitate ignis B, cùm, si ignis B non concurreret, non minùs existeret à parte rei ignis A, & causaret ignem B, quàm modò; in operando enim solùm dependet à causalitate seu actione Dei, per quam existeret à parte rei, & operaretur licèt ignis B illum non produceret. Ab actione autem Dei ita dependet uterque ignis in esse & operari, ut si illa substraheretur, uterque ignis periret, nisi alio simili concursu prior actio Dei suppleretur.

V. *Duo ignes in se invicem sic agentes intelliguntur extra omnes suas causas.*

Unde ulteriùs dico, si posset naturaliter dari duplex actio totalis, duos istos ignes, in hoc casu, necessariò se conservaturos invicem pro secundo instante rationis, uterque enim in eo casu, esset aptus ad agen-

VI.

dum independenter ab altero, cùm ineſſe, & operari à ſe invicem non dependeant, ergo neceſſariò agerent in ſe, cùm ſint agentia neceſſaria.

VII. *Non ſunt priores, & poſteriores quoad idem eſſe.*

Dices tertiò: ſequi fore ſibi invicem priores & poſteriores. Reſp. negando ſequelam, ut enim ignis A exiſtat ſecundò, ſeu per ſecundam actionem, non dependet ab igne B ut exiſtente ſecundò, ſeu per ſecundùm actionem, nec è contrà, ſed ſolùm ab illo ut primò, ſeu per primam actionem exiſtente.

VIII. *Poteſt effectus elevari ad ſecundò producendum in ſuam cauſam.*

Imò, ulteriùs exiſtimo poſſe elevari effectum ad producendum ſecundò cauſam à qua ipſe eſſe ſuum accipit, lucem ex. g. ad ſecundò producendum ſolem, à quo ipſa primò producebatur. In quibus productionibus hic ſervatur naturæ ordo: actio primò productiva ſolis eſt à ſolo Deo, & hæc actio in hac ſerie actionum de qua hic loquimur, eſt prima ſimpliciter, utpote à qua omnes aliæ dependent, & quæ ab iis eſt independens: deinde ſequitur actio qua ſol producit lucem: tertiò loco actio à luce procedens, quâ ſecundò producit ſolem; licèt hæ omnes actiones ſint in eodem inſtante reali, & ſucceſſio non ſit temporis, ſed naturæ, ſeu quoad ſigna rationis.

IX. *Secunda hæc duorum invicem productio nihil derogat myſterio Trinitatis.*

Dices quartò; ſi admittatur poſſe duas cauſas mutuò ſe producere ſecundò, non eſt ullâ ratio unde oſtenditur Patrem æternum non poſſe ſecundò produci à Filio producto à Patre, par enim hîc videtur ratio, atque in luce ſecundò producente ſolem, à quo ipſa primò producitur. Nego antecedens, licèt enim non oriatur repugnantia ex ratione mutuæ productionis ut ſic, oritur tamen ex ratione mutuæ productionis in Divinis, ubi nulla mutua productio dari poteſt: cùm enim nulla poſſit dari mutua productio quoad primum eſſe, ſed ſolùm quoad ſecundum, ſemper ante ſecundam productionem ſupponitur res eſſe, ac proinde ſecunda productio naturaliter (in Deo autem nihil fieri poteſt ſupernaturaliter, ut ſuprà d. 19. oſtendimus) dari non poteſt, cùm foret ſuperflua, utpote quæ ſupponit terminum ſuum priùs exiſtentem, in Divinis autem nihil poteſt eſſe otioſum aut ſuperfluum, ut ſuprà latiùs d. 16. ſect. 2. n. 5.

Quidquid eſt in Deo eſt ipſi naturale.

X. *Vtraque ſecunda actio pendet eſſentialiter à duabus primis.*

Notandum verò, cùm duo ignes conſervati à Deo, ſe invicem ſecundò producunt, ablatis actionibus procedentibus à ſolo Deo, & aliis ſimilibus in earum locum non ſuffectis, neceſſariò ceſſaturas actiones utriuſque ignis in ſe invicem, cùm eſſentialiter dependeant ab utrâque illâ actione, quâ ignes conſervantur, utpote per quas accipiunt primum eſſe, & virtutem operandi, quibus proinde ablatis amittunt ignes primum eſſe, & conſequenter alia omnia quæ ad primum eſſe illorum ſubſequuntur.

XI. *Nec poſſunt cauſæ mid. ata ſe primo producere.*

Ex his infero, idem eſſe dicendum de cauſis mediatis, nempe non poſſe ſe invicem cauſare quoad primum eſſe; ex. g. ſi ignis A producat ignem B, & ignis B ignem C, non poteſt ignis C producere ignem A quoad primum ſuum eſſe; nam ignis A, ut agat, debet in illo priori eſſe extra omnes ſuas cauſas, ergo non poteſt procedere ignis A ab igne C, quippe qui producitur tantùm in tertio inſtante, ſeu ſigno, cùm ſit effectus ignis B qui producitur ab igne A, & conſequenter eſt illi poſterior naturâ. Poterit tamen ignis C quoad ſecundum eſſe elevari ad productionem ignis A, ſeu ad illum ſecundò producendum.

XII. *Eſſent ſibi priora & poſteriora quoad idem eſſe.*

Dices; non repugnare ut aliqua duo primò ſe producant, nec enim eſſent ſibi priora & poſteriora ſub eâdem ratione, ſed ſub diverſâ, nam ignis A eſſet prior igne B ut cauſa ejus, & poſterior ut effectus. Sed contrà, quia in illo priori quando intelligitur ignis A potens operari, intelligi debet extra omnes ſuas cauſas; & ens ab alio, ergo in illo conceptu ingreditur actio procedens ab igne B, ergo etiam ſupponitur ignis B, ergo proaliquo priori ſupponitur ignis B exiſtens, antequam operetur ignis A, ergo in illo priori erit ens à ſe, cùm nulla ſupponatur actio, qua producatur.

SECTIO IV.

Statuuntur variæ diviſiones cauſarum.

I. *Cauſa materialis, formalis, efficiens, & finalis.*

DIviditur primò cauſa vulgari illâ diviſione ex Ariſtotele deſumptâ in *materialem*, *formalem*, *efficientem*, & *finalem* quæ & cauſa intentionalis dicitur, quia movet in quantum eſt in intentione ſeu intellectu quibus à nonnullis additur cauſa *exemplaris*, licèt ab aliis reducatur ad formalem, de quibus ſigillatim poſteà. Aliis autem nominibus enumerantur hæ quatuor cauſæ à nonnullis, nempe cauſa *activa*, *paſſiva*, *formalis*, & *finalis*. Secundò dividitur cauſa in *Primam* & *ſecundam*, illa eſt Deus, hæc creatura. Tertiò, in immediatam, ſeu proximam, & mediatam ſeu remotam, quippe quæ per ſe non concurrit ad effectum, ſed per aliquid à ſe productum de qua diviſione dictum eſt ſuprà; d. 18. ſ. 2. Quartò in *intrinſecam*, ut in materiam & formam, & *extrinſecam*, ut in efficientem & finalem.

Cauſa prima, & ſecunda.

Proxima, & remota.

II. *Cauſa phyſica, & intentionalis.*

Quintò dividitur cauſa in cauſam phyſicè & realiter influentem, ut ſunt efficiens, materialis, & ſecundùm aliquos formalis (quæ proinde realiter exiſtere debent, ut cauſent) & in influentem ſolùm intentionaliter, & metaphoricè, ut eſt cauſa aliqua moralis, & omnis finalis, quæ influunt ſolùm ut apprehenſæ.

III. *Cauſa moralis eſt duplex.*

Cauſa verò moralis duplex eſt, moralis phyſica, & moralis quæ propriè dicitur talis: illa eſt cauſa omnis libera, ut voluntas, quæ revera eſt quid phyſicum, phyſicè & realiter producens ſuos actus: ſicut ergo cauſa neceſſaria vocatur naturalis, ita cauſa libera vocatur moralis. Cauſa purè moralis eſt quæ per ſe non influit in effectum, in prudentum tamen æſtimatione illi aſcribitur effectus, æquè ac ſi phyſicè illum produceret; ut ſiquis ſuadeat furtum alicui, quod ille poſteà ex hujus ſuaſu committit: vel ſiquis canem incitet in viatorem, qui ipſum ex hac incitatione occidit, ille qui ſuadet & incitat, cenſetur in prudentum æſtimatione cauſa illius furti, & cædis, perinde enim ſe habet in prudenti hominum æſtimatione, atque ſi ipſe per ſe abſtuliſſet pecuniam, aut hominem occidiſſet: cauſa autem phyſica furti eſt fur, cauſa phyſica cædis, canis.

IV. *Cauſa totalis, & partialis.*

Sextò dividitur in cauſa *totalem* & *partialem*. *Totalis* eſt vel cauſa aliqua ſimplex, vel complexum cauſarum ſufficiens ad effectum ex ſe fundendum: *Partialis* è contrà, eſt illa, quæ ſufficientes ex ſe vires non habet ad effectum producendum, ſed ad hoc eget alterius adminiculo, & aliam concauſam poſtulat. Sic oculus connotat ſpeciem impreſſam immiſſam ab objecto, eſtque ſolùm partialis cauſa viſionis. Cauſa item activa ſeu efficiens naturalis reſpicit paſſivam, ſeu ſubjectum ut concauſam, cùm creare non poſſit. Cauſa etiam ſecunda efficiens hoc modo reſpicit primam. In cauſis intrinſecis, materia ut cauſa partialis compoſiti reſpicit formam ut compartem, & è contrà.

V. *Cauſa totalis in uno, & in omni genere.*

Cauſa *totalis* vel eſt totalis in omni genere cauſæ, ad quam proinde conſtituendam ſaltem in cauſis naturaliter agentibus concurrunt omnia quatuor cauſarum genera: vel eſt totalis ſolùm in uno genere efficientis ſcilicet, aut materialis. Sed de cauſa totali & partiali, ſeu adæquatâ & inadæquatâ plura infrà d. 24. ſ. 3.

Septi-

VI. *Causa univoca, & Æquivoca.* Septimò dividitur causa in *univocam*, quæ in prædicatis convenit cum effectu, ut cùm ignis producit ignem, calor calorem &c. & *Æquivocam*, quando scilicet causa in prædicatis est dissimilis affectui, ut cùm Deus producit Angelum, sol lucem &c.

VII. *Causa per se, & per accidens.* Octavò, in causam *per se*, & *per accidens*: causa *per se* illa dicitur, quæ necessaria est ad aliquem effectum, ut peritia ædificandi in architecto respectu domûs ædificandæ; & hoc sensu dici potest substantia aquæ causa *per se* frigoris in manu; à frigiditate illius aquæ producti, licèt aqua ipsa ad frigoris illius productionem immediatè non concurrat; quia nimirum *per se*, seu necessariò requiritur ad conservationem frigoris in aquâ, & sic, saltem mediatè, concurrit ad frigus illud producendum. Causa *per accidens* est, quæ concomitanter solùm se habet ad effectum, nec ullo modo ad eum est necessaria; ut in exemplo Aristotelis, *medicus & musicus ædificant per accidens*, quia licèt architectus nec esset artis medicæ peritus, nec musicæ, adhuc æquè perfectè ædificaret, ac modò; unde musica & medicina sunt in ipso causa *per accidens* ædificij, quia ad ædificationem omnino non concurrunt. *Musicus ædificat per accidens.*

Nonò tandem dividitur causâ in *principalem*, quæ primariò in effectum aliquem influit, & *instrumentalem*, quæ solùm concurrit secundariò; ut artifex est causa principalis; serra, securis, malleus, instrumentales. Qua de re plura infrà d. 24. s. 2. VIII. *Causa principalis, & instrumentalis.*

DISPVTATIO XXII.

De causâ materiali & formali.

SECTIO PRIMA.

In quo consistat ratio causæ materialis, & quomodo distinguatur ab efficiente.

I. *Hic latè sumitur causa materialis.* Hic latè sumitur causa materialis prout idem sonat, ac subjectum, & convenit, non materiæ primæ tantùm, sed animæ etiam rationali respectu intellectûs, ac voluntatis, & aliorum accidentium, quæ in se recipit: item Angelo respectu suorum actuum & proprietatum, respectu quorum dici potest aliquo modo causa materialis. Uno verbo, convenit omni subjecto respectu formæ cujuscunque, sive substantialis sive accidentalis, quam in se recipit.

II. *Materia, formâ materialem respicit ut compartem, & ut effectum.* Notandum, materiam duplici ratione respicere formam in constitutione cujusvis compositi materialis, ut compartem, & ut aliquo modo effectum. Prima ratio est, cùm recipit formam per unionem, & constituit compositum, & hac ratione respicit etiam & recipit animam rationalem, idque licèt unio esset creata, cùm non minùs verè cum illâ tanquam cum comparte constituat compositum, etiam per unionem creatam, quàm cum formâ materiali & unionis generatis, & eductis de illius potentiâ. Alia ratio, qua materia respicit formam, est tanquam subjectum sustentationis, & hoc modo formas tantùm materiales respicit, ad quas concurrit, materialiter in eas influendo. De utrâque ratione aliquid obiter dicendum.

III. *Materia est vera causa influens in formam.* Dico primò: materia prout est subjectum sustentationis formarum materialium, exercet veram & rigorosam rationem causæ respectu illarum. Ita Philosophi communiter. Probatur, verè enim influit esse in aliud, materialiter siquidem influit in formas, realiter à materiâ distinctas, ergo materia est propriè causa respectu illarum, cùm hic sit conceptus, & definitio causæ.

IV. *Ratio est, quia generantur, & educuntur ex potentia materiæ.* Quòd verò materia verè influat in formas materiales, videtur certum, tum quia generantur, & educuntur ex potentia materiæ, ergo materia ad illas concurrit; tum quia aliter se habet materia erga illas, quàm erga animam rationalem, quam tantùm recipit informativè, sed per unionem, ergo formæ materiales peculiari modo pendent à materiâ. Deinde, dicuntur præcontineri in materiâ, quod tamen animæ rationali non competit; licèt enim reluceat anima rationalis in materiâ, tanquam compars in comparte, ut suprà diximus, non tamen tanquam effectus in causâ, seu tanquam præcontentum in præcontinente. Probatur primò, actio generativa & creativa distinguuntur essentialiter, sed non ex eo quòd dependeat actio generativa à materiâ tanquam à subjecto tantùm denominationis, hoc enim competit creationi, quæ est in termino tanquam in subjecto denominationis, & intimæ affectionis, ergo quod ab eâ dependeat, tanquam ab influente. Probatur secundò, alioqui formæ omnes materiales, & accidentia existere naturaliter possent separata, & independenter à subjecto, sicut anima rationalis, quod tamen ab omnibus negatur, dicunt enim Deum concursu miraculoso conservare accidentia Eucharistiæ, supplendo scilicet concursum materiæ.

V. *Quo sensu materia sit sola causa compositi.* Hinc deduco, compositi ut compositi causam, hoc sensu, esse solam materiam, non formam. Ratio desumitur ex dictis lib. 1. nam compositum, ut compositum reduplicat compositionem seu unionem; cùm ergo juxta nos sola materia sit subjectum sustentationis respectu unionis, materia sola erit propriè causa compositi, ut compositum est.

VI. *Tam materia, quam forma sunt causa compositi.* Dico secundò; tam materia quàm forma possunt dici causæ respectu compositi. Probatur, nam licèt influere, propriè loquendo, significet influxum aliquem, seu causalitatem secundariam procedentem à re, quæ est causa (qualis est influxus, seu actio procedens à causâ efficiente, & passio procedens à causâ materiali) possunt tamen tam materia, quàm forma dici aliquo modo influere, & dare esse composito per unionem, quâ quasi influunt, & communicant se composito, & dant se illi partes illius constitutivas.

VII. *Persona Divina non sunt causa Trinitatis.* Dices; ergo Deus Pater (idem est de aliis Personis) erit causa Trinitatis. Nego consequentiam, quis enim non videt latam disparitatem inter materiam & formam respectu compositi, & personam aliquam Divinam respectu Trinitatis, cùm materia & forma tanquam entia essentialiter incompleta ordinentur ad constitutionem unius per se. Pater autem in Divinis non est quid incompletum, ut est manifestum.

VIII. *Sunt tamen partes illius constitutivæ.* Nec ullus dicet tres Divinas Personas coalescere ad faciendum unum per se, seu constituere unum compositum, sicut coalescunt & constituunt materia & forma. Eo tamen modo, quo Trinitas est unum, non in naturâ, sed ut tres Divinæ Personæ constituunt numerum ternarium: admitti potest Pa-

trem, aut Filium in Divinis esse partem vel principium intrinsecum Trinitatis: sicut plurimi ex Theologis admittunt Verbum esse partem intrinsecam Christi.

IX. *In quo differat causa influens materialiter ab efficiente.*

Dico tertiò: causa materialis, prout dicit influxum respectu termini, in quem influit, seu prout dicit subjectum sustentationis, in hoc differt ab efficiente, quòd licèt utraque sit principium per se influens esse in aliud, efficiens tamen quà efficiens, id præstat sine intrinsecâ mutatione sui, materialis verò ita influit in aliud, ut ex præcisâ ratione causandi materialiter petat immutari; qua de causâ, illius influxus vocatur passio, quod nimirum ab illâ subjectum patiatur.

X. *Eadem interdum est causa materialis, & efficiens.*

Dixi causam efficientem quà efficientem influere sine mutatione sui; aliquando enim (ut in intellectione, visione, & actibus omnibus vitalibus, & immanentibus) contingit causam efficientem per influxum suum mutari: sed hoc ab ea non provenit, ut causa efficiens est, sed ut simul est materialis, unde intellectus, & omnis potentia vitalis respectu sui actûs est non solùm causa efficiens, sed etiam materialis, & ut efficiens efficit actum suum, ut materialis eundem recipit: & hoc peculiare est actibus immanentibus, qui petuntinesse principio à quo fluunt, & illud intrinsecè immutare

XI. *Causa efficiens habet se præcisivè circa receptionem sui effectûs.*

Ratio ergo causæ efficientis habet se præcisivè ad receptionem suæ actionis, & illam in conceptu suo non includit, licèt etiam positivè non excludat, ita ut non possint hæ duæ rationes subinde inveniri identificatæ. Sicut etiam animal præcisivè se habet ac rationale, hoc est, illud in conceptu suo non involvit, licèt positivè non excludat, nec renuat quò minus illud aliquando habeat concomitanter quoad realem identificationem, ut contingit in homine.

XII. *Deus esse nequit causa materialis.*

Hinc evidens deducitur ratio, cur Deus ad effectum ullum concurrere materialiter non possit, argueret enim in eo imperfectionem & mutationem. Potest tamen in alio genere causæ, nempe efficientis, supplere defectum causæ materialis, seu concursum secundarium subjecti in formas, vel accidentia, sicut de facto fit in speciebus sacramentalibus; hoc enim nullam dicit imperfectionem.

XIII. *Tres sunt effectus materiæ, forma, unio, & compositum.*

Ultimò hîc noto, tres communiter esse effectus materiæ, & omnis causæ materialis, *formam*, *unionem*, & *compositum*; in unionem & formam materialem verè influit per causalitatem, & influxum, ut diximus, nam materialiter in illas influendo concurrit per passionem, quæ eadem realiter est cum actione, seu concursu agentis. In compositum verò non alio modo influit quàm dando se illi tanquam partem illius intrinsecè constitutivam, & hoc modo causat totum inadæquatè saltem à se distinctum, nempe tanquam includens ab incluso, ut suprà dictum est.

XIV. Quomodo causalitas materiæ in formam distinguatur ab unione formæ cum materia, dictum est suprà d. 14. s. 8. & 6. Qua ratione verò actio distinguatur à passione, dicetur infrà d. 40. sec. tertia.

SECTIO II.

De causâ formali: ubi de pugna formarum, præsertim accidentalium inter se.

I. *Forma est vera causa compositi.*

NOtandum primò, formam, licèt non influat physicè in unionem, & consequenter nec hoc sensu in compositum, sicut influit materia, sicque rigorosam illam causæ rationem, quam habet materia respectu formæ & unionis, non sortiatur, in illo tamen convenire cum materiâ, quòd verè constituat compositum, & hoc modo influat in illud, nempe dando se illi intrinsecè ut partem illius physicè constitutivam. Licèt, ut suprà dixi, d. 15. s. 1. nec materia, nec forma sit propriè causa respectu compositi. Cujus ratio ulterior est, quia materia, ut pars actualis, includit in obliquo tam unionem quàm formam, & forma eodem modo unionem & materiam, materia autem unio & forma sunt totum, ergo materia (idem est de formâ) ut pars actualis est totum, ergo non potest esse causa totius, cùm nihil possit esse causa sua.

II. *Causa formalis duos habet effectus formales, primarium, & secundarium.*

Notandum secundò, causam formalem duos habere effectus formales, primarium alterum, alterum secundarium: effectus primarius est ipsa forma unita subjecto, cui tribuit effectum suum formalem, & denominationem primariam; ut albedo unita subjecto denominat illud album, lux lucidum &c. qui proindè effectus, semper comitatur causam formalem. Effectus formalis secundarius non est mera forma in subjecto apto, sed quid consequens, ut calor unitus subjecto per effectum primarium denominat ipsum calidum, secundariò expellit frigus. Unde per Divinam potentiam impediri nonnumquam potest effectus secundarius alicujus formæ, non primarius, Deus enim, si calor ponatur in subjecto apto, impedire nequit quo minùs denominet illud calidum, efficere tamen potest, ut non expellat frigus, potest enim, etiam in summo calorem & frigus simul in eodem subjecto conservare.

III. *Ignis expellit frigus efficienter, calor formaliter.*

Alio tamen modo expellit calor frigus, quàm ignis idem frigus expellat; ignis enim illud expellit solùm efficienter, producendo scilicet calorem, calor autem unitus subjecto, expellit frigus formaliter per suam entitatem. Unde effectus formalis adæquatus caloris, primarius scilicet, & secundarius simul, est calidum sine frigido, id est, sine gradu frigoris sibi oppositi, in conceptu enim adæquato involvitur utrumque.

IV. *Eodem instante quo una forma inducitur, alia expellitur.*

Dico itaque, eodem instante reali quo introducitur una forma substantialis (idem est de accidentalibus, in gradibus in quibus sunt sibi invicem contrariæ) expellitur alia. Conclusio est communis contra Lorcam To. 2. in 1. 2. d. 4. de gratiâ. Probatur conclusio, nam alioqui in eodem instante reali essent simul in eâdem parte subjecti duæ formæ substantiales, item calor & frigus in gradibus repugnantibus, peccatum & gratia &c. vel saltem esset materia uno saltem instante reali sine omni formâ. Probatur sequela, si non destruitur & expellitur forma præcedens eodem instante, quo altera inducitur, ergo vel instante præcedente destruitur, vel sequente: si primum, per unum instans realis durationis materia est sine omni formâ; si secundum, per unum instans realis durationis erit sub duabus, ergo. Nec in hac re ulteriore opus est probatione, cùm res per se sit manifesta.

V. *Dices ut calor, & frigus pugnent, debet utrumque simul existere.*

Dices; ergo ignis & aqua, calor & frigus, & alia hujusmodi non pugnant inter se, quod & est contra communem Philosophorum sententiam, & ipsam quotidianam experientiam. Probatur sequela, calor non pugnat cum frigore antequam existat, sed eo instante quo calor est, frigus, secundùm nos, non est; ergo non pugnant inter se, cùm non magis pugnare possit frigus, postquam est destructum, quàm calor antequam producatur, ergo ut inter utrumque detur pugna, debent ambo, uno saltem instante, simul existere.

VI. *Resp. hanc pugnam requirere ut non coëxistant.*

Resp. ad hanc pugnam tantùm abest ut necessaria sit utriusque coëxistentia, ut, si vel ad unum instans existere simul possent, non pugnarent: pugna siquidem hæc aliud nihil est, quàm naturalis quædam contrarietas, seu repugnantia, & incompossibilitas

ut

ut sint simul in eodem subjecto.

VII. *Si uno instante possint simul existere, possunt diutius.*

Deinde si possunt esse simul quoad unum instans, non apparet cur non possint esse simul diutiùs, sicut suprà arguebamus d. 18. s. 3. n. 5. si causa possit agere primo instante quo non est, quidni etiam ullo ex sequentibus? cùm ergo calor & frigus in summo sint agentia naturalia, si repugnant, necessariò repugnant, ergo pro primo instante, vel nec repugnabunt secundò, nec sequentibus, omnia enim instantia usque ad illud instans in quo dicuntur repugnare, perinde se habent ad instans illud, atque si non fuissent.

VIII. *Pugnare frigus idem est ac repugnare.*

Pugna itaque inter calorem & frigus (si sit sermo de pugnâ formali) nihil aliud est quàm repugnantia ut simul quoad certos gradus existant, & pugnare hîc frigus idem est ac repugnare: unde resistit frigus in subjecto instante priore quàm expellitur, resistere enim frigus calori est obsistere, vel obstare, quominus calor inducatur, obsistit autem & obstat quando est, quando verò expellitur, cedit, seu non ampliùs obstat, licèt, ut dicatur actu resistere, debeat impugnari ab agente aliquo parato inducere gradum caloris illi repugnantem: pugna autem per quam calor inductus in subjectum dicitur pugnare cum frigore quod expellit, nihil est aliud quàm informare subjectum illud, & frigus expellere.

IX. *Non propriè pugnant gradus, sed agentia.*

Gradus ergo se invicem ab eodem subjecto expellentes non dicuntur propriè pugnare, cùm nunquam eodem instante existant, sed pugnant propriè duo agentia, ignis v. g. & aqua, inter quæ datur actio & reactio, quippe quæ sibi vires invicem diminuunt, producendo in se mutuò contrarias qualitates, ut ignis producendo in aquâ calorem, & aqua vicissim in igne producendo frigiditatem. Et hæc est ratio cur calor in igne lentiùs agat in aquam, quàm in stuppam, quia nimirum frigus intensum aquæ, activè resistit, vires ignis diminuendo, & frigus in se per ignem destructum, ex parte resarciendo. Pugna proinde hæc propriè exercetur inter principia effectiva, non formalia.

X. *Explicatur hæc pugna exemplo duorum corporum se loco pellentiũ.*

Quæ declarari possunt exemplo duorum corporum, quorum unum aliud loco pellit, corpus enim ut ubicatum in illo loco obsistit, quo minùs aliud pro eo tempore, quo est in illo loco inducatur, unde obstat ubicatio illa instante priore quàm destruatur, & quàm ingrediatur aliud corpus, eodem autem tempore quo corpus illud ingreditur, expellitur hoc, & non resistit tunc, sed cedit: cedit tamen successivè, sicut alterum inducitur; quo etiam modo cedit frigus calori, non totum simul, sed paulatim, & successivè. Unde fit, ut paulatim etiam, & successivè calor introducatur. Hoc tamen interest inter calorem & frigus, & inter duo corpora, quod utrumque corpus supponatur priùs existere quàm unum aliud loco pellat, non sic calor & frigus priùs quàm ex eodem subjecto expellant: licèt si instituatur quæstio de corporibus ut ubicatis, seu de ubicationibus ipsis, par videatur ratio in utroque exemplo. Plura hac de re dicam d. 7. de Gen. sect. 2.

SECTIO III.

De modo quo formæ se invicem è subjectis expellunt.

I. *Forma accidentales expellunt se invicem in genere causæ formalis.*

Dicendum, formas accidentales expellere se invicem ex eodem subjecto in genere causæ formalis ac proinde expulsio formæ præcedentis est effectus formalis subsequentis, jam inductæ. Probatur, hæc enim est vera causalis, *ideo* corrumpitur frigus, quia introducitur calor, non è contrà, ideo introducitur calor quia corrumpitur frigus. Conf. dicunt Philosophi, *Generatio unius est corruptio alterius*, non è contrà, corruptio unius est generatio alterius.

II. *Primum in intentione est ultimum in exequtione.*

Objicies primò; generatio est finis à naturâ intentus; ergo licèt sit prior in intentione, erit tamen posterior in executione, ergo corruptio erit illâ prior in executione, quia generatio est finis corruptionis. Sed contrà, nam ut benè notat P. Arriaga d. 8. Phy. s. 4. n. 31. durum videtur Deum priùs naturâ expellere ex animâ gratiam, ut locum faciat peccato, quoties justus de gratiâ decidit.

III. *Quibus mediis finis sit executione posterior.*

Resp. itaque negando primam consequentiam; licèt enim finis executione posterior sit mediis, quæ sunt propriè media, nempe quæ efficiunt finem, vel antecedenter ad illum prærequiruntur, non tamen in ordine ad omnia respectu quorum quacunque ratione potest dici finis. Ex. g. essentia est finis passionum suarum & proprietatum, & anima finis intellectûs, & voluntatis, & tamen viâ executionis passiones & proprietates non sunt priores essentiâ, nec intellectus, & voluntas priores animâ, cùm ab illa dimanent, sicque supponunt eam esse, cùm sit illarum causa. Idem est in præsenti, & universim in omni ablatione impedimentorum, quæ auferuntur per ipsam formam inductam, cùm enim forma auferat illa informando materiam, debet forma priùs naturâ esse in subjecto, quàm illa auferat, cùm auferat existendo in subjecto, & hæc causalis est vera, *ideo aufertur frigus quia calor est in subjecto*, non è contrà. Finis ergo licet quidem sit executione posterior mediis quibus acquiritur, & conditionibus ad finem requisitis, non tamen conditionibus ab ipso fine ortis, qualis hîc est expulsio, vel destructio formæ præcedentis, utpote quæ ob novæ inductionem destruitur.

IV. *Dices, expulsio prioris formæ est dispositio, sicut prior forma inductæ.*

Urgebis tamen ulterius: expulsio formæ præcedentis est dispositio ad inductionem sequentis, ergo priùs expellitur, quàm alia inducatur, ergo expulsio illa non est effectus formæ inductæ, cùm sit prior illâ, vel concedenda est mutua prioritas: Antecedens verò probatur, frigus enim est impedimentum ad inductionem caloris, sed priùs debet auferri impedimentum inductionis formæ, quàm forma inducatur, sicut in aliis impedimentis videmus, ergo. Resp. negando antecedens, non enim est dispositio, sed quid consequens inductionem formæ sequentis, cùm inductio illius reddatur pro ratione expulsionis hujus in propositione causali, ut vidimus, *ideo* enim *expellitur frigus, quia inducitur calor.* Ad probationem nego minorem, si enim sermo sit de prioritate temporis, ablatio prioris formæ, quæ impediebat, est in eodem instante, vel tempore reali cum inductione alterius, ac proinde nulla requiritur prioritas temporis: si verò loquamur de prioritate aliquâ rationis & naturæ, ablatio impedimenti, seu prioris formæ, est posterior inductione sequentis, ut ostensum est.

Resp. non esse dispositionem, sed illius effectum.

V. *Duo genera impedimentorum.*

Quòd verò dicitur ablationem impedimentorum esse priorem effectione rei, quam impediebant, animadvertendum diversa esse genera impedimentorum, alia enim sunt impedimenta, quæ quasi prævie, etiam tempore, auferri debent, ex. g. ut quis aperiat ostium, debet priùs retrahere seram, vel pessulum, ut lux ingrediatur, seu producatur in caveâ, aut cubiculo, debent aliquâ ratione priùs aperiri fenestræ, ut quis constrictus catenis currat, debent priùs dissolvi, vel diffringi catenæ, & alia hujusmodi.

VI. *Quædam impedimenta auferuntur per positionem alterius.*

Alia verò impedimenta sunt, quæ per positionem alterius auferuntur, & horum ablatio non est prior positione illius, per quod auferuntur, sed posterior, & illius effectus. Sic diversâ ratione se habet apertio fenestræ ad ingressum lucis, & ad ingressum venti, quando scilicet per motum, & impulsum venti aperitur,

ritur, nam ad productionem lucis apertio fenestræ est quasi dispositio, & conditio antecedens, quia lux nullo modo est causa apertionis fenestræ; at verò respectu ingressus venti, apertio fenestræ non est conditio antecedens, sed effectus, cùm ventus per impulsum occupando spatium, in quo erat fenestra, illam propellat loco; ac proinde est causa cur fenestra relinquat locum illum, & alium occupet per motum & impetum in ipsam à vento impressum.

VII. *Priùs naturâ quis ingreditur domum aliquando, quam ostiũ aperiat.*

Dices; ergo si quis eodem impetu aperiat ostium, & ingrediatur cubiculum, priùs ingreditur, quàm aperiatur ostium, quod tamen videtur mirum. Distinguo consequens, priùs tempore, nego consequentiam; priùs ratione & naturâ, concedo; non priùs tempore, nam eodem tempore quo ostium relinquit locum, homo eundem occupat, cùm sit ostio immediatus, alioqui dabitur vacuum. Quòd autem priùs naturâ & ratione id fiat, nil aliud dicit quàm motum illum, & ingressum hominis in locum ostij, esse causam cur ostium locum illum relinquat.

VIII. *Sufficit ut unum corpus eodem tempore locum relinquat, quo aliud ingreditur.*

Instabis, non est aptus locus ille ut homo illum occupet, nisi priùs deseratur ab ostio, cum simul in eodem loco esse non possint. Nego antecedens, sed sufficit simul deseri seu relinqui à corpore illo eodem tempore quo homo ingreditur, tunc enim nullum est impedimentum, & consequenter locus est aptus ad recipiendum hominem, vel aliud corpus, quod illo tempore succedit in locum ostij: si verò propellatur ostium ab homine ingrediente, tunc priùs naturâ est ibi homo quàm illud expellatur, hoc enim nihil aliud est quàm dimoveri corpus illud per ingressum hominis, seu per motum ostio impressum.

IX. *Pro eodem signo rationis, quo calor est in subjecto non intelligitur frigus non esse.*

Objicies secundò; pro illo priori intelligitur calor esse in subjecto, ergo intelligitur frigus non esse in subjecto. Distinguo consequens, non esse pro illo priori, nego consequentiam; pro aliquo posteriori, concedo: effectus enim non est pro eodem signo rationis cum causâ, sed illâ posterior. Instabis, pro illo priori non intelligitur expulsio, seu non esse frigoris, ergo pro illo priori intelligitur frigus, ergo simul in eodem subjecto intelligitur calor & frigus, ergo sunt ibi simul in gradibus repugnantibus. Resp. negando primam consequentiam, in illo enim priori nec intelligitur frigus, nec non frigus, sed habet se intellectus præcisivè circa tam frigus quàm illius negationem pro illo priori. Quod evidens videtur in causâ liberâ, quoties se exercet, & actum liberum elicit.

X. *Agens solùm efficienter expellit formam.*

Objicies tertiò; agens fortius, ignis ex.g. subjecto alicui applicatus, etiam antequam quidquam in eo producat, petit ut Deus frigus conservare desinat, ergo destructio frigoris est naturâ prior inductione caloris. Resp. negando antecedens, agens siquidem non expellit frigus formaliter, sed solùm efficienter, per calorem scilicet à se productum.

XI. *Quo modo se habent pugna inter formas substantiales.*

Objicies quartò; licèt hæc fortè probent de formis accidentalibus, formæ tamen substantiales non videntur destrui ad introductionem novæ formæ substantialis, sed antecedenter semper ad eam, ad desitionem scilicet dispositionum, ideo enim expellitur forma ligni, quia deficiunt dispositiones, ad eam conservandam sufficientes, harum autem desitio semper antecedit inductionem formæ novæ substantialis, ergo priùs destruitur forma præcedens, quàm nova inducatur.

XII. *Dici etiam hic potest expulsio prioris formæ effectus novæ.*

Resp. tamen probabiliter sustineri posse expulsionem prioris formæ substantialis sequi ad introductionem novæ: unde hoc modo statui possunt signa rationis. In primo signo ignis applicatur ligno: in secundo producuntur dispositiones ad formam ignis: in tertio destruuntur dispositiones ligni, & forma ignis introducitur: in quarto demum destruitur forma ligni. Unde dispositiones formæ ignis ad hæc duo concomitanter determinant, nempe ad destructionem dispositionum ligni, & productionem formæ ignis. Si quis verò contendat, destructis dispositionibus ligni expellendam formam ligni, sive forma ignis producatur, sive non: hoc ad summum probat concomitanter se habere expulsionem formæ ligni, & inductionem formæ ignis: quod est satis probabile.

XIII. *In quo consistat causalitas formalis secundaria.*

Quæres, in quo consistat hæc causalitas causæ formalis, respectu formæ corruptæ, caloris ex.g. respectu frigoris, quod expellit, aut formæ ignis respectu formæ ligni, ab illa expulsæ. Primò, certum videtur non esse solam unionem formæ cum subjecto, cùm hæc per Divinam potentiam dari possit, sine expulsione alterius formæ. Nec etiam consistit in unione caloris, & destructione frigoris, potest enim Deus, non ob calorem inductum, sed alias ob causas, frigus in his circumstantiis destruere; quo casu non expelleretur frigus propter calorem. Consistit ergo hæc secundaria causalitas, si sumatur adæquatè, in unione formæ cum subjecto, connotando voluntatem Dei volentis expulsionem frigoris propter exigentiam caloris, jam subjectum informantis.

DISPVTATIO XXIII.

De causa Finali, & exemplari.

SECTIO PRIMA.

Explicatur & dividitur causa Finalis.

I. *Quid sit causa finalis.*

ARistoteles l. 2. phy. cap. 2. 3. & 7. & 2. Met. tex. 8. & alibi sæpè sic causam Finalem definit: *Finis est cujus gratiâ cætera fiunt.* Quam definitionem aliis verbis sic tradunt aliqui: *finis est propter quem consequendum aliquid fit.* Finis ergo est illud ob cujus amorem, & complacentiam movetur quis ad aliquid agendum, ut, ob sanitatem amatam sumit potiones amaras infirmus, uri se pâtitur, secari &c. Ubi notandum, voluntatem amare sanitatem præcipuè & *propter se*, medicinam propter sanitatem; unde sanitas est objectum formale, medicinæ sunt objecta materialia, quia in illis non sistit voluntas, sed ulteriùs progreditur. Quod etiam contingit in aliis omnibus rebus. Idem tamen objectum potest simul nonnumquam amari ut medium & ut finis, si nimirum in ipso repræsententur duæ bonitates quasi disparatæ, ut si deambulatio aliqua ametur, & quia jucunda, sub quâ ratione est finis, & non ulteriùs ordinata, & quia utilis sanitati, ubi amatur ut medium. Idem est in potione aliquâ seu medicinâ dulci. *Idem eodem actu amari potest ut medium, & ut finis.*

II. Dividitur primò Finis in Finem *cui*, & finem *qui*. Finis *cui* est res illa vel persona, cui bonum amatur, ut Petrus est finis *cui* sanitatis. Finis *qui*, seu *cujus gratiâ* est

Finis cui, & finis qui, seu cujus gratiâ.

est bonum illud quod per se amatur, & alia in ordine ad illius consecutionem, ut sanitas est finis *cujus gratiâ* respectu mediorum, quibus comparatur. Sanitas verò seu finis *qui* & *cujus gratiâ* est propriè finis, & non medium respectu finis *cui*, & constituit unum quasi finem adæquatum cum illo: quod enim plenè & adæquatè vult Petrus infirmus, est ut ipse sit sanus, sanitas autem non est medium respectu Petri. Licèt ergò finis *cui* sit finis magis principalis, finis tamen *qui* seu *cujus gratiâ* non est medium respectu illius, sed habet in se bonitatem, ratione cujus immediatè convenit fini *cui*, media autem quâ talia, hoc non habent, sed solum remotè conveniunt fini *cui*, nec per se amabilia sunt, & propter se, sed solùm in quantum sunt apta ad consequendum finem *cujus gratiâ*, qui secundùm se immediatè est conveniens finis *cui*.

Finis qui, & cui integrant unũ finem.

III. Secundò dividitur finis in finem *qui*, & finem *quo*. Finis *qui* est ipsa res quæ amatur fini *cui*, ut Deus est finis *qui* beatorum; finis *quo* est unio, vel possessio illius rei; ut visio beata, per quam possident Beati Deum, est finis *quo*, Deus finis *qui*, licèt ex utroque simul integretur unus finis adæquatus.

Finis qui, & finis quo.

IV. Notandum verò, id quod est finis respectu unius, posse esse medium respectu alterius: sic fossionis finis est plantatio vitis, quæ tamen habet ulteriorem finem, nempe fructum. Unde plantatio illa non est propriè & simpliciter finis, sed simpliciter medium, nec enim amatur propter se, sed propter fructum, qui inde speratur. Finis autem ultimus rerum omnium est Deus.

Finis respectu unius potest esse medium respectu alterius.

V. Tandem mihi non displicet quod affirmant aliqui media scilicet quà talia, licèt nullam habeant in se bonitatem absolutam, seu honestam, aut delectabilem habere tamen utilem, & respectivam, illamque non accipere à fine, sed sibi habere propriam, licèt quà talis bonitas est, essentialiter ordinetur ad finem, potio enim amara, rheubarbarum ex.g. in se intrinsecè vim habet purgandi choleram, licèt hæc ipsa virtus ex se ordinetur ulteriùs ad finem, nempe sanitatem: & potio illa in tantum est appetibilis, in quantum juvat ad affectionem illam noxiam pellendam, & hominem ad æquale humorum temperamentum, in quo consistit sanitas, reducendum.

Media habent bonitatem utilem.

Sanitas est æquale humorũ temperamentũ.

SECTIO II.

Quænam agentia agant propter finem.

I. Dico primò: Bruta, pueri, & amentes non agunt propriè, & formaliter propter finem, sed solum materialiter, & impropriè. Ratio est, quia sufficientem notitiam non habent; ut discernant inter finem & medium, & unum judicativè conferant cum alio, ac media appetant quà media, seu ut apta ad talem finem, licèt materialiter, & instinctu quodam naturæ media subinde proportionata ad rem aliquam perficiendam applicent: ut aranea tendit retia ad captandas muscas, hirundines nidos construunt ad excludendos pullos &c. quâ de causâ materialiter dicuntur agere propter finem, id est, faciunt materiam finis & mediorum, licèt non perfectè conferant unum cum alio.

Bruta, pueri, & amentes non agunt propriè propter finem.

II. Existimo tamen cum S. Thoma 1.p.qu.78.art.4. corp. bruta, licèt propriè non agant propter finem, operari tamen subinde ex apprehensione vel imaginatione utilitatis rei alicujus, quæ ad opus, quod agunt, conducit. Sic enim S. Thomas citatus, *avis colligit paleam, non quia delectat sensum, sed quia utilis est ad nidificandum.*

Operantur subinde bruta ex imaginatione utilitatis.

Dices; ergo utitur quodam discursu, cùm sensu utilitatem illam non percipiat. Nego consequentiam, sed id cognoscit per actum imaginationis ex speciebus insensatis, ut aiunt, seu à sensibus exterioribus non collectis, provenientem, qui actus objecta sensibus perceptibilia repræsentat. III.

Nullo tamẽ utuntur discursu.

Quòd si quis quærat, unde Bruta has species habeant, cùm ministerio sensuum non colligantur? Dico, cùm species hujusmodi sint brutis ad vitam tuendam, & speciem propagandam necessariæ, in primâ eorum productione iis ab auctore naturæ infundi, id naturâ ipsorum, & bono universi exigente. IV.

Vnde habeant bruta species insensatas.

Ex quibus à fortiori deducitur, agentia naturalia, seu inanimata non agere propter finem propriè, cum nullam habeant cognitionem. Aliquo tamen modo dici possunt agere propter finem, hoc nimirum sensu, quatenus per potentias suas & inclinationes, seu pondus quoddam naturæ tendunt ad certos terminos, à naturâ constitutos; ut ignis ad suam sphæram, terra ad centrum, &c. Cùm verò dicitur, *Opus naturæ est opus intelligentiæ*, vel est sermo de naturâ naturante, nempe Deo, à quo omnia, dum fiunt, ordinantur ad finem; vel sensus est, ita omnia ordinatè & certis veluti legibus procedere in universo, quasi haberent intelligentiam, qua se in omnibus dirigerent. V.

Inanimata non agunt propter finem.

Opus naturæ est opus intelligentiæ.

Deus verò in operationibus ad extra, homines, & Angeli propriissimè operantur propter finem, cùm distinctè, & perfectè cognoscant convenientiam, ac proportionem mediorum ad finem, & medium quà tale distinguant ac discernant à fine, illudque ad finem referant, quod est propriè ac formaliter operari propter finem. Actus autem ad intra in Deo, seu volitiones ejus liberæ non habent, nec habere possunt causam finalem. Ratio est, quia causa finalis est respectu illarum tantùm rerum, quæ fiunt, cùm causa finalis sit id, gratiâ cujus aliquid fit, sed volitiones divinæ non fiunt, cùm nihil in Deo sit factum, ergo. Licèt itaque divina bonitas dici possit finis actuum Dei ad intra, vel, ut loquitur S. Thomas 1. contra Gent. cap. 86. *Ratio finalis illorum*, causa tamen finalis dici nequit, cùm causa distinctionem semper dicat ab illo, cujus est causa; unde etiam 1. par. quæst. 19. artic. 5. docet non dari causam divinæ voluntatis. VI.

Deus, Angeli, & homines propriissimè operantur propter finem.

Divina bonitas est finis actuum Dei ad intra.

S. Thomas.

Dices; ergo nec Deus potest esse finis creaturarum, cùm fieri non possit, finis autem fieri debet per media, cùm tamen certum sit Deum esse creaturarum finem, juxta illud Proverb. 16. v. 4. *universa propter semetipsum operatus est Dominus.* Resp. negando consequentiam, ad rationem enim finis sufficit aliquid fieri propter ipsum, sive ipse finis fiat, sive non. VII.

Deus est finis creaturarum.

Infero tamen ulteriùs, operationum ejus ad extra dari propriè causam finalem, ad rationem enim causæ finalis non requiritur ut amor ipse finis causetur, amor enim in Deo, cùm sit ipsa Divina volitio, fieri aut causari non potest, sed sufficit ad rationem causæ finalis, quod ab amore finis media causentur, ut hîc contingit, cùm Deus velit creaturas propter seipsum. VIII.

Operationẽ Dei ad extra datur causa finalis.

Tandem noto, quando ex. g. amicus præstat aliqua in gratiam amici qui proinde est illorum finis, illa tamen non habere propriè rationem mediorum, cùm non ideo ab eo fiant, ut aliquid per ea consequatur. Quare non est de ratione omnis finis, ut semper obtineatur per ea, quæ fiunt propter illum, sed illud solum est verum in fine *Qui*, & quando ea quæ fiunt, sunt propriè media.

SECTIO III.

Alia quædam ad perfectam causæ finalis cognitionem spectantia.

I. *Nihil volitum, quin præcognitū.*

PRimum est, quomodo cognitio pertineat ad rationem finis? Primò, certum est requiri saltem ut conditionem, cùm *nihil volitum, quin præcognitum.* Secundò dico, non ingredi tanquam quid attrahens ad se voluntatem, per modum objecti amati: hoc videtur evidens, nam cùm quis amat sanitatem, non amat nec partialiter cognitionem, quâ repræsentatur, cùm cognitio illa non cognoscatur. Tertiò, actus quo infirmus amat sanitatem, est actus desiderij, sed non desiderat actum quo repræsentatur sanitas, cùm illum possideat, ergo actus repræsentans sanitatem, non est objectum actûs desiderij. Unde id quod finalizat, seu constituit rationem finis per modum objecti amati, est sola bonitas in objecto, sive illa vera sit, sive solùm apparens. Utrùm autem cognitio sit mera conditio, an ratio aliquo modo movens & impellens voluntatem ad amorem finis, multum habet de nomine, sed pendet à dicendis in libris de Animâ, ubi hoc fusiùs disputabitur d. 27.

Quomodo cognitio spectet ad rationē finis.

II. *Quinam sint effectus finis.*

Secundum est, quinam sint effectus finis? sermo autem est tantùm in creatis. Primò, ipse amor vel complacentia finis apprehensi est effectus illius, nam bonitas in objecto movet voluntatem ad actum illum complacentiæ eliciendum, licèt dici non possit effectus finis amati, cùm hic sit primus actus amoris, qui fertur in finem, & consequenter alium non supponit. Ex quo à fortiori deducitur, omnes alias actiones sequentes hanc complacentiam, esse effectus finis, ut sunt gaudium, & fruitio de obtento fine, dolor & tristitia de non obtento &c. Propriissimus tamen effectus finis est electio mediorum, si tamen electio hæc distinguatur ab intentione finis de quo in libris de animâ. Longè autem manifestiùs sunt effectus finis actiones externæ, quas exercet quis, ut finem consequatur.

III. *Sitne Finis causa realis.*

Tertium est, sitne finis causa realis? Primò, entitativè sine dubio ex genere suo non est, cùm finis communiter sit res non existens, dum intenditur, imò aliquando quid impossibile. Secundò, si sermo sit de causâ physicè influente, certum est finem non esse causam realem, cùm res non existens, & præsertim impossibilis, influere physicè, & realiter non possit. Solùm ergo dici potest finis causa realis intentionalis, non physica, in quantum sc. per realem repræsentationem movet voluntatem ad illius amorem, & prosecutionem, quod est realiter intentionaliter movere, non realiter physicè. Sed quæstio fermè est de nomine. Licèt autem Deus, qui est finis hominum, concurrat physicè ad operationes virtutum, quibus sancti viri finem seu Deum consequuntur, non tamen concurrit ad illas ut causa finalis, sed ut efficiens.

IV. *In quo consistat causalitas Finis.*

Quartum, in quo consistat causalitas finis? Primò, non est ipsa sola entitas finis, esse enim potest entitas illa, & non finalizare, seu quidquam causare, aut etiam movere voluntatem. Nec est cognitio repræsentans finem, nam potest repræsentari finis per hanc cognitionem, & tamen non movere voluntatem efficaciter ad ponenda media in ordine ad illum consequendum. Nec etiam videtur sola actio physica agentis, cùm hæc esse possit, juxta probabilem sententiam, quamvis finis ille nullo modo in eam influat, ut cùm quis ambulat propter sanitatem, continuare deambulationem eamdem potest, etiamsi non recordetur sanitatis, nec ob eum finem id faciat, imò licèt actu reflexo nolit ambulare propter eum finem. Consistit ergo causalitas causæ finalis in actione quidem productivâ effectuum, sed suppositis talibus circumstantiis in agente, nempe cognitione & amore finis, ad hujusmodi actionem impellentibus.

V. *An voluntas appetere possit aliquid impossibile.*

Quintum, utrùm voluntas appetere possit aliquid impossibile? Si repræsentetur ut possibile, certum est posse, res enim non amantur vel appetuntur ut sunt, sed ut existimantur, cum potentiæ appetitivæ, utpote cæcæ, sequantur intentionales. Si verò impossibile repræsentetur ut impossibile, tunc actu efficaci appeti non potest, potest tamen inefficaci, seu simplici complacentiâ. Primum constat, nam voluntas efficax alicujus rei est illa, qua vult quis aliquid consequi, sed judicium de impossibilitate tollit hoc motivum, cum judicet se hoc consequi non posse, seu, rem hanc omnino non posse obtineri, ergo non potest velle efficaciter illam consequi, sic enim vellet pugnantia. Secundum etiam constat, nam multi inefficaciter optant vitam amici mortui: & quidni etiam posset aliquis vanâ quadam complacentiâ in volatu, & similibus delectari, & ea inefficaciter velle. Imò Scotus & Gabriel docent Luciferum, & Angelos malos habuisse de facto hujusmodi actus, quibus volebant se esse similes Deo, id est, appetebant æqualitatem cum divinâ essentiâ quam tamen sciebant sibi esse simpliciter impossibilem.

VI. *Quomodo actus contritionis non velit aliquid impossibile.*

Dices; etiam efficaciter potest quis velle impossibile cognitum ut impossibile, actus enim contritionis est efficax circa peccatum præteritum, quod sc. contritus vellet non fuisse. Respondetur, actum contritionis esse interpretativè tantum efficacem, id est, ita est animo affectus qui illum habet, ut si peccatum non esset perpetratum, illud nullo modo committeret. Præterea actus contritionis est efficax in mediis adhibendis ad destruendum peccatum commissum, quatenus manet habitualiter, non tamen est efficax eo sensu, ut jam velit efficaciter actu non fuisse, seu ita ut adhibeat media, quibus conetur efficere ut peccatum illud nunquam fuerit commissum, hoc enim novit esse impossibile, nec id ullus sanæ mentis attentaret.

VII. *Quid dicat hic actus. Vellem esse arbor.*

Hic verò actus quo quis dicit, vellem esse arbor, aut aliquid hujusmodi, vel potest esse solum ex parte judicij, id est, ita ut quis judicet, si objectum illud esset possibile, se habiturum actum efficacem voluntatis, quo illud appeteret; vel potest esse ex parte voluntatis, quo quis simplice quodam affectu optat se esse arborem, non tamen efficaciter. In hoc tamen actu saltem implicitè affertur alius actus conditionatus efficax, quasi quis inefficaci quodam affectu diceret, volo esse arbor, & si hoc esset possibile, illud vellem efficaciter. Hac de causâ finali in præsenti sufficiat; reliqua ad finem spectantia in libris de Animâ discutiemus.

SECTIO IV.

Inquiruntur quædam circa naturam causæ Exemplaris, seu Idealis.

I.

DE causâ exemplari eo pauciora nobis hîc necesse erit tradere quo plura de illa in Logicâ, ubi de actu practico & speculativo disputatum est, tradidimus. Qui plura cupit, habet quos consulat Conimb.c.7.q.3. Suar. in Met. d.25. Rubium hîc, & alios.

II. *Definitio causæ exemplaris.*

Aristoteles primo Met.c.7.t.32. sic exemplar definit. *Exemplar est illud in quod operans inspiciendo operatur.*

cur. Quam definitionem alij sic explicant, *exemplar est forma quam effectus imitatur, ex directione agentis sibi determinantis finem.* Unde, quæ omnino cognitione carent, operari per exemplar non possunt, sicque flores, vel folia in eâdem arbore, vel horto, licèt crescant sibi simillima, seque perfectissimè referant, non tamen operantur per se invicem tanquam per exemplar. Bruta verò, sicut propriè non operantur propter finem, quia convenientiam inter media, & finem propriè non discernunt, nec illa quà talia, ad finem quà talem conferunt; sic ex defectu ejusdem cognitionis non operantur per exemplar, licèt lato quodam modo per illud operari dici possint, ut cùm simiæ inspiciendo humanas actiones, illas imitantur, & ad amussim exprimunt.

III. *In operante per exemplar quatuor reperiuntur.*

In operante propriè per exemplar, ut cùm pictor aliquis, leonis imaginem intuens, aliam ei similem delineat, quatuor reperiuntur: objectum externum quod intuetur pictor, cognitio illius objecti, alia cognitio ex cognitione prioris orta repræsentans objectum, seu imaginem faciendam, & quartò imago ipsa, seu opus externum, quod artifex molitur. Primum objectum dicitur propriè exemplar, utpote ex cujus inspectione occasio sumitur novam imaginem depingendi, cognitio tamen prima quæ vocatur *exemplar formale*, est solùm speculativa, ut dixi in Logicâ, cùm feratur in objectum tantùm ut factum. Secunda autem cognitio quæ repræsentat imaginem faciendam, est practica, hæc enim sola est, quæ dirigit propriè, & immediatè operantem; alia verò, quæ sc. repræsentat exemplar, solùm dirigit remotè & occasionaliter, quatenus sc. ex occasione exemplaris per eam repræsentati, determinatur intellectus ad cognitionem, & repræsentationem imaginis, quam operans intendit depingere; quando enim pictor ducit hanc vel illam lineam, licèt quidem remotè excitetur ab imagine quam intuetur, sive ab exemplari, immediatè tamen dirigitur ab actu repræsentante lineam, quam ducit.

Quæres an Deus operetur per exemplar? quod aliis verbis proponi solet, utrùm in Deo sint Ideæ? Resp. affirmativè: Deus enim, utpote artifex omnium peritissimus, res ipsas faciendas perfectissimè præconcipit, sibique distinctissimæ repræsentat, earumque inspectione ad illarum productionem dirigitur: juxta illud Boëtij IV. *Deus operatur per exemplar.*

— *Tu cuncta superno*
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, similiq; ab imagine formans.

Utrùm autem exemplar sit actus ipse intellectûs repræsentans objectum, an objectum ipsum repræsentatum, controversia est de modo loquendi, quam proinde miror nonnullos tam operosè discutere. Mihi congruentiùs, & ad exemplaris naturam accommodatiùs loqui videntur, qui objectum ipsum dicunt esse ipsum exemplar, hoc enim ostendit definitio exemplaris suprà ab Aristotele posita, *Exemplar est illud in quod operans inspiciendo operatur.* Utrique tamen in suo genere convenit ratio exemplaris, unde cognitio exemplar formale dicitur, objectum exemplar objectivum. V. *Objectum & actus illud repræsentans constant unum exemplar.*

Differt exemplar à fine, quòd finis moveat ad consecutionem sui, exemplar verò solùm dat occasionem, ut aliquid ad imitationem ipsius fiat; unde tota causalitas exemplaris, seu actuum circa exemplar peragitur in solo intellectu, non in voluntate, quod tamen est maximè proprium finis, ut sc. moveat voluntatem ad amorem, & consecutionem sui. VI. *Quomodo exemplar differat à Fine.*

Reliqua de causâ exemplari, nempe quomodo dirigat, & utrùm efficienter concurrat, tractavimus in Logicâ, cùm de actu practico & speculativo, & disp. ultimâ procœmiali, utrùm sc. Logica concurrat efficienter, an solùm directivè ad actus aliarum scientiarum. VII.

DISPVTATIO XXIV.

De Causa efficiente.

SECTIO PRIMA.

An sit, & quid sit causa efficiens.

I. *Sermo est de creatâ.*

SErmo est de causâ efficiente creatâ, de Increata enim suppono pro præsenti dari, quod in Metaphysica d. 12. quæstione ad hanc ipsam rem peculiariter institutâ, ostendam.

II. *Negabant aliqui causas creatas quidquam agere.*

Quidam apud Albertum Magnum hîc, tractatu 2. c. 3. & S. Thomam 1. p. q. 105. a. 5. corp. negarunt causas secundas quidquam omnino facere, sed solum Deum in præsentiâ ignis producere ignem, in præsentiâ caloris calorem, in præsentiâ solis lucem, & sic de cæteris: in rebus autem creatis nullam aiebant esse virtutem rei ullius effectricem. Quam sententiam, inquiunt Conimb. hîc c. 7. q. 11. a. 1. ab inferis revocare velle videntur Aliacensis in 4. d. 1. q. 1. & Gab. d. 2. q. 1. & 3. Hujus opinionis meminit Averroës c. 9. Met. comm. 7. & c. 12. com. 18. ejusque assertores ait debilis esse cerebri. Quam etiam sententiam hodie Philosophi omnes meritò rejiciunt ut improbabilem.

III. *Certum tamen est causas creatas*

Causas ergo secundas aliquid verè & physicè operari est manifestum: quia certum est liberum arbitrium aliquid operari, & actus producere. Quod, præterquam quòd definitum sit à Concilio Tridentino sess. 6. can. 4. ubi damnat erroris illos omnes *qui dicunt liberum arbitrium nihil omnino agere, sed habere se passivè, & mortuo modo*, probatur ulteriùs, quia alioquin homines nec peccarent, nec mererentur, sicut enim si Paulus aliquid laude dignum præstet in præsentiâ Petri. Petrus propterea non meretur laudem, ita nec si Deus opera illa producat in ejusdem præsentiâ. Deinde, ubique in Scripturâ ascribitur efficientia rebus creatis: *videte ficulneam & omnes arbores cùm producunt jam ex se fructum*, Luc. 21. v. 29. *lignumq; faciens fructum secundùm speciem suam*, Gen. 1. v. 12. & infinita hujusmodi. *verè & physicè operari.*

Præterea, quando equus currit, quis dicet equum tunc nihil facere, sed Deum solum ad præsentiam equi motum illum producere? Imò, cur tanta quibusdam rebus datur membrorum, & organorum diversitas, nisi ut illis ad varias functiones utantur? Quare etiam non æquè producit Deus calorem ad præsentiam frigoris, atque ad præsentiam caloris? Dices; quia est major affinitas & similitudo inter calorem & calorem, quàm inter frigus & calorem. Contrà, cur ad præsentiam albedinis non producit albedinem: cur etiam non producit lucem ad præsentiam frigoris? cùm tanta sit similitudo inter frigus & lucem, atque inter lucem & calorem; aut cur IV. *Varia organa, ac dispositiones in viventibus arguunt ea verè agere.*

non æquè producit Angelus Angelum, ac homo hominem?

V. *Diversis experientiis deprehendimus causas secundas operari.*

Cùm ergo videamus semper præsente & applicato igne, produci calorem & ignem, non frigus, præsente nive frigus, nunc calocem; præsente sole lucem &c. colligimus hæc & alia agentia vim habere productivam horum effectuum, & non aliorum, ac proinde causas secundas, seu creatas habere veram virtutem effectivam aliquorum effectuum.

VI. *Causa efficiens inter causas prima.*

Quoad secundum in titulo propositum, Aristoteles hîc tex. 29. & 5. Met. t. 2. sic causam efficientem definit: *Causa efficiens est unde principium primum mutationis, & quietis:* per ly *Principium* convenit cum aliis causis: *Primum* intelligitur dignitate, quia scilicet causa nobilissima, unde à nonnullis sola causa efficiens vocatur causa. Licèt autem finis sit aliquando entitativè æquè, vel magis nobilis quàm efficiens, imò idem aliquando cum efficiente, adhuc finis est solùm causa intentionalis, non physica, nec physicè & realiter influens, ac proinde in ratione causæ est inferior causâ efficiente. Imò causa efficiens viâ executionis est aliquo modo prior aliis, nam hæc causalis aliquo sensu est vera, quia efficiens agit, materia patitur, non è contrà quia materia patitur, efficiens agit. Ly *unde*, licèt si latè sumatur, conveniat omni principio, sicut *propter* convenit omni causæ, sicut tamen *propter* strictè sumptum convenit soli causæ finali, ita & *unde* strictè sumptum convenit soli efficienti, & denotat influxum extrinsecum. Particula *mutationis*, si strictè sumatur, limitat causam efficientem ad solas generationes & mutationes naturales, & non convenit causæ creanti præsertim si aliquid creatum fuisset ab æterno: quod tamen non est mirum, cùm creatio Aristotelem latuerit. Ultima particula *quietis* addita est ab Aristotele, ut denotaret causam res omnes, non tantùm primò producere, sed etiam conservare. Aliis tamen verbis explicatiùs tradi posset hæc definitio si diceretur, *Causa efficiens est principium per se influens esse in aliud, præscindendo à mutatione sui.* Quæ definitio est eadem, & eodem modo explicari debet, quo illa quam posui d. 22. s. 1. concl. 3. ubi differentiam assignavi in modo causandi inter causam efficientem & materialem.

Creatio latuit Aristotelem.

Definitio causæ efficientis.

VII. *Divisiones causæ efficientis.*

Dividitur causa efficiens primò in creatam, & increatam. Secundò, in universalem, & particularem: illa est, quæ universali quodam & communi modo ad varios effectus cum causis quibusdam particularibus concurrit, ut sol, cœlum, &c. unde Deus causa dicitur universalissima, quia concurrit cum omnibus. Reliquæ causæ divisiones positæ sunt suprà d. 21. s. 4.

Deus causa universalissima.

SECTIO II.

Quid sit causa principalis, quid instrumentalis.

I. *Prima sententia concepit causa instrumentalis statuit in operatione prævia.*

PRimus hac in re procedendi modus est Thomistarum (& non semel insinuat S. Thomas, licèt alio sensu explicari possit) instrumentum esse quod aliquid operatur prævisè ad effectum. Verùm licèt hoc instrumentis fortè naturalibus ut plurimum conveniat: calor enim, antequam cum substantiâ producat substantiam, producit dispositiones aliquas accidentales in subjecto, in supernaturalibus certè locum communiter non habet, nam cùm sacramenta (quæ communis est apud Thomistas opinio) producunt gratiam, nihil operantur prævie in animâ ad gratiam. Quòd si dicant, ut dicunt, produci motum aliquem localem in aquâ dum quis baptizat, vel in aëre, dum sacerdos verba absolutionis profert, motus tamen ille non producitur in animâ, cùm nihilominus, juxta S. Thomam, id quod prævie producitur ad effectum, in eodem subjecto producatur ac ipse effectus. Deinde posset Deus uti ipsâ animâ, vel intellectu tanquam instrumento ad producendum gratiam in animâ, & tamen ibi nulla tunc esset prævia operatio, ergo de ratione omnis instrumenti non est prævia operatio.

Impugnatur hæc sententia.

II. *2. Sent. alt causam instrumentalem esse eâ, cui nulla respondet formalitas in effectu.*

P. Hurt. d. 9. Phy. s. 12. in hoc ait consistere rationem instrumenti, ut illi nulla respondeat formalitas in effectu, & solùm concurrat dispositivè, & non immediatè ad illum producendum, causa verò principalis, inquit, est cui aliquod respondet prædicatum, vel formalitas in effectu. Sed contrà, si Angelus elevaretur ad producendum Angelum, vel unus actus visionis ad producendum alium, Angelus & visio continerent omnes, vel plures saltem formalitates alterius Angeli, & visionis, & tamen non essent causæ principales, sed instrumentales respectu effectuum productorum, ergo. Circa id verò, quòd asserit causam instrumentalem non immediatè quidquam producere in effectu, contra hoc, inquam, est: nam causa instrumentalis est vera causa respectu illius effectûs cujus est causa, quod exinde confirmatur, quòd instrumenta artis ideo communiter dicantur non esse propriè instrumenta, quia scilicet non concurrunt effectivè, nec producunt, sed solùm recipiunt motum, & consequenter nihil operantur propriè, ergo causa instrumentalis censetur vera causa respectu effectûs principalis, ergo non solùm disponit, nam si solùm disponat ad effectum, ergo verè illum non facit. Respectu verò dispositionis quam calor producit, non est causa instrumentalis, sed principalis.

Rejicitur hæc sententia.

III. *3. Sent. vult causam principalem esse eam, quæ est aquè perfecta, vel perfectior effectu.*

P. Suarez d. 17. Met. s. 1. n. 16. 17. & 18. ait causam principalem esse illam, quæ est æqualis vel majoris perfectionis, quàm effectus, dicitque ad illum proportionem: quod addi debet, quia Angelus non est causa principalis alterius Angeli, nec albedo albedinis, & alia hujusmodi, quia scilicet nullam dicunt proportionem & habitudinem ad illa in ratione producentis, & producti, cùm non possint invicem se producere. Causa verò instrumentalis est illa, secundùm ipsum, quæ vel concurrit ad effectum se nobiliorem, vel ad eum ad quem nullam ex se habet proportionem: sicque effectus, licèt non superet subinde instrumentum in perfectione entitativâ superat tamen virtutem ejus naturalem operativam, utpote quam in hunc effectum nullam habet. Prioris exemplum est, cùm calor producit ignem, & alia hujusmodi; posterioris, cùm Angelus elevatur ad producendum alterum Angelum, albedo ad albedinem, muscam &c.

Quid causa instrumentalis.

IV. *Major explicatio prioris sententiæ.*

Juxta hunc ergo modum dicendi, quandocunque aliquid concurrit ad effectum se præstantiorem, est causa instrumentalis, non principalis respectu illius. Imò aliqui hoc extendunt ad cœlos, & causas secundas universales, quas dicûnt esse causas instrumentales in productione viventium, & omnium effectuum, ad quos concurrunt, ipsis præstantiorum: sicque in hac sententiâ semper debet esse, saltem aliqua causa, vel æquè perfecta, vel perfectior effectu, & quæ elevet cæteras; quæ autem elevat alias, est simpliciter perfectissima.

V. *Hic modus explicandi causam princip. & instrum. est optimus.*

Hanc acceptionem causæ principalis & instrumentalis non ita multis patere difficultatibus fatetur P. Hurtado: eam sequitur P. Arriaga d. 11. Phy. s. 3. & mihi vel ob hoc videtur amplectenda, quòd claram & instrumentis omnibus communem regulam assignet. Quòd verò objici posset, instrumenta artis esse entitativè perfectiora formâ accidentali, quam producunt, cùm sint substantia ac proinde fore causam

Difficultas de instrumentis artis.

sam illius principalem, non instrumentalem: Resp. instrumenta artis nullam dicere proportionem ad formam artificialem: unde ex hoc capite sufficienter ostenditur ea esse instrumenta, non causas principales illius formæ. Præterea, ut suprà dixi, instrumenta artis non sunt propriè instrumenta, nec causæ instrumentales, cùm non omnino activè concurrant ad formam artificialem, sed ad summum remotè, & passivè, recipiendo scilicet in se, non efficiendo impetum, vel motum localem, ad quem forma artificialis resultat: sicut aqua dicitur agere denominativè per calorem in se receptum.

VI. *Alius modus probabilissimus explicandi causam principalē, & instrumentalem.*

Volunt alij, non quidquid concurrit ad effectum se præstantiorem, censendum statim esse causam instrumentalem, modò effectus illud petat: sicque aiunt speciem impressam respectu visionis materialis esse causam principalem, & intellectum respectu visionis beatificæ. Secundùm hunc itaque modum dicendi, non erit opus ut una aliqua ex causis sit perfectior effectu, sed omnes simul sumptæ, seu causa adæquata.

VII. *Declaratur ulteriùs hæc sententia.*

Hæc sententia exinde illustrari potest, quòd licèt, partiales causæ sint imperfectiores respectu totius effectûs materialiter sumpti, respectu tamen illius formalitatis quæ singulis correspondet, singulæ causæ sunt saltem æquè perfectæ, cùm in illâ formalitate præcisè consideratâ nihil reluceat, quod sit perfectius causâ & in illâ non præcontineatur: ut in visione beatificâ ex.g. si concipiatur formalitas intellectionis præcisè, nihil in eâ apparet quod intellectus solus producere non possit, cùm sic concepta intellectio nil differat à naturali. Et idem est de aliis formalitatibus respectu suarum causarum partialium. Perfectissima autem causa, per se loquendo, erit illa quæ, tribuendo singula singulis, concurrit ad perfectissimam formalitatem in effectu. Illa autem propriè non dicetur elevari, nam licèt non possit sine concursu alterius producere effectum illum, non tamen censetur in hoc esse elevata, cùm nihil dicatur elevari nisi ab aliquo perfectiore, esto concurrat ad effectum se nobiliorem, & præstantiorem. Hic modus dicendi est acutior præcedente, mihique satis videtur probabilis.

Illustratur exemplo visionis beatificæ.

VIII. *Instrumentum conjunctum & separatum.*

Instrumentum aliud *conjunctum*, aliud *separatum*: *conjunctum* sumitur dupliciter, vel *quoad esse*, vel *quoad causalitatem*: instrumentum *conjunctum quoad esse* dicitur, id quòd aliquo modo unitur causæ principali, vel quoad præsentiam localem, vel quoad contactum physicum, ut serra, malleus, & alia instrumenta artis, vel demum, & propriissimè, per unionem physicam, ut calor unitus igni.

IX. *Instrumentum non agit nisi motum à causâ principali.*

Instrumentum *conjunctum quoad causalitatem* est quod ad operandum requirit concursum principalis agentis: quo sensu dicitur instrumentum non agere nisi motum à causâ principali: unde instrumentum separatum quoad causalitatem propriè dari non potest, cùm instrumentum elevari debeat in actu secundo per actionem, & concursum agentis principalis; eo autem ipso quòd hoc fiat, est instrumentum conjunctum quoad causalitatem.

X. *Instrumentum separatum quoad esse.*

Instrumentum separatum quoad esse est, quod nullo ex tribus superiùs dictis modis conjungitur causæ principali. Aliqua sunt instrumenta conjuncta quoad causalitatem, & separata quoad esse, ut secundùm aliquos sacramenta, quibus Christus in cœlo existens, utitur ut instrumentis ad producendum gratiam in animabus hominum in terris. Alia sunt conjuncta & *quoad esse*, & *quoad causalitatem*, ut calor unitus igni & cum eo producens alium ignem.

XI.

Ad id quod hic quæri solet utrùm scilicet causa sit perfectior effectu? patet solutio ex dictis. Secundùm formalissimam ergo rationem causæ & effectûs certum est causam esse nobiliorem effectu; *beatius* enim *est dare*, *quàm accipere*, cùm hoc indigentiam & dependentiam sonet, illud potestatem & munificentiam. Quo sensu intelligendum est illud S. Augustini dum ait; *omne quod fit, ei à quo fit par esse non potest*, nam ignis productus & homo specificativè loquendo, est tam perfectus atque ignis, & homo producens, & ei in perfectione æqualis. Deinde, si sumatur collectio omnium causarum partialium, seu causa adæquata, semper est perfectior effectu, cùm causa prima in causarum complexione semper includatur, vel saltem æquè perfecta est ac effectus, si mente à causâ primâ præscindatur.

Beatius est dare, quàm accipere.

S. Augustinus.

XII.

Quoad causam particularem, in modo dicendi Patris Suar. suprà relato, debet semper dari una aliqua causa æquè perfecta, vel perfectior effectu. In postremo modo explicandi causam principalem, & instrumentalem, hoc non requiritur. Uterque dicendi modus est probabilis.

SECTIO III.

Unde dignoscenda sit causa adæquata.

I. *Opinio P. Vasq. de causâ adæquatâ.*

PRima opinio est P. Vasq. 1. p. d. 43. quem sequitur P. Hurt. hîc d. 9. s. 5. & alij, causam scilicet adæquatam desumendam esse penes correspondentiam formalitatum inter causam & effectum, ut nimirum illa censenda sit causa adæquata, quæ vel formaliter, ut in univocis, vel eminenter continet omnes formalitates effectûs: illa verò partialis cui una tantùm vel altera in effectu formalitas correspondet. Sic, inquiunt, ignis cum generali concursu Dei est causa adæquata ignis, oculus cum specie & concursu Dei, est causa adæquata visionis; formalitas enim entis tribuitur Deo, formalitates accidentis, qualitatis, & vitalitatis potentiæ vitivæ, formalitas demum imaginis objecti tribuitur speciei, unde hæ omnes causæ partiales conflant respectu visionis unam totalem.

Formalitatum correspondentia inter causam, & effectum.

II. *Hic modus ingeniosus est, sed difficilis.*

Hic philosophandi modus, licèt ingeniosè excogitatus sit, nullâ tamen ratione videtur satisfacere, nec certam regulam investigandi causam adæquatam assignat.

III. *Impugnatur primò in causâ materiali.*

Contrà ergo est primò. Causam adæquatam creatam semper ingreditur causa materialis, & tamen nulla est formalitas in effectu causæ materiali peculiariter correspondens, seu quæ illi soli tribui debeat, & non aliis, ergo non est desumenda ratio causæ adæquatæ penes correspondentiam formalitatum. Major est certa: minor probatur, quando calor educitur ex potentia subjecti, vel nulla omnino formalitas correspondet causæ materiali, vel nulla est quæ non correspondeat & causæ efficienti formaliter & materiali, ergo eadem formalitas tribuitur diversis causis.

IV. *Secundò, quòd omnis formalitas sit Ens.*

Contrà est secundò, nam, ut ostendi d. 40. Log. s. 4. nulla potest præscindi formalitas, quæ non sit formaliter ens, ergo formalitas ignis est formalissimè ens, ergo eidem formalitati assignari debet duplex causa, Deus nimirum, cui tribuunt productionem prædicati entis, & ignis cui tribuunt formalitatem ignis, quæ, ut loco citato ostendi, est formalissimè ens.

V. *Tertiò, quia Deus præcontinet omnes formalitates.*

Contrà tertiò, Deus non rationem tantùm entis præcontinet, sed omnes etiam alias formalitates, ergo hoc etiam nomine plures causæ respiciunt eandem formalitatem. Conf. non propter formalitates tantùm, sed ob alias etiam rationes requiri subindè possunt causæ ad aliquem effectum, sicut requi-

runtur variæ conditiones, ergo regula hæc de formalitatibus non subsistit.

VI. *Formalitas Entis tribuitur peculiariter Deo.* Id solùm notaverim, probabile nihilominus mihi videri, quod à nonnullis acerrimè impugnari video, nempe tribuendo singula singulis, formalitatem entis peculiariter tribui posse Deo, seu causæ primæ in productione omnis effectûs. Ratio est, quia sicut vitalitatem ideo tribuimus potentiæ vitali, quia valet, *est actus vitalis, ergo est à potentiâ vitali*, sic eodem modo valet, *est ens, ergo est à Deo*: non tamen valet, *est ens, ergo est ab igne, aqua, sole, cœlo, aut ullâ aliâ re creatâ*, cùm dentur entia quæ à nullâ re creatâ procedant, ut materia prima, Angeli, anima rationalis, &c. si autem hæc consequentia valeret, *est ens, ergo est ab igne*, quidquid est ens, esset ab igne.

Hæc consequentia valet, est Ens ergo est à Deo.

VII. *Deus in omni re creatâ respicit Ens ut Ens.* Causa prima ergo in omni effectu respicit ens, in quantum ens, id est, si nulla alia ratio, vel formalitas esset in re productâ præter formalitatem entis creati, adhuc requireretur Deus, & hoc est *ens ut ens tribui Deo formaliter*, id est, Deus peculiari modo respicit prædicatum entis, ut ens est. Deinde, prædicatum entis est primum, cùm enim *universaliora sint priora*, universalissima sunt prima, sed conceptus entis est universalissimus, ergo primus in re quavis reali.

Vniversaliora sunt priora.

VIII. Cùm ergo Deus etiam determinet ad individuationem, tribuetur illi propriè tanquam principio formali primum & ultimum in unaquaque re: sicque optimè intelligitur quomodo non solùm respectu totius universi, & ut finis & efficiens, sed respectu singulorum etiam effectuum sit Deus A & Ω in genere causæ efficientis. Hoc tamen non arguit quin causa omnis respectu transcendentali, qui est physicus & realis, respiciat omnes formalitates cujusque rei, sicut easdem realiter, & physicè producit.

Deus respectu cujus rei A & Ω.

IX. In assignatione ergo causæ adæquatæ non existimo certi quidquam universim statui posse, nec regulam ullam generalem dari, in qua animus plenè acquiescat, sed in particularibus casibus videndum quid pro effectuum varietate & exigentiâ censeri rationabiliter possit hîc & nunc in productionem rei alicujus influere.

SECTIO IV.

An res aliqua possit seipsam conservare inadæquatè.

I. *Status quæstionis.* SErmo est de conservatione naturali: sicut enim, ut suprà dixi d. 19. s. 1. idem elevari potest ad se, primo instante, secundò producendum, ita & in secundo & subsequentibus instantibus elevari poterit ad se secundò conservandum, actione scilicet ab eâ, quâ vel à Deo, vel ab agente aliquo creato priùs naturâ eo instante conservatur, dependente.

II. *Existimant nonnulli posse res aliquas se inadæquatè conservare.* P. Lessius l. 10. de Perfect. Divinis, c. 4. refert nonnullos existimantes, licèt res quædam adeò imperfectæ sint, ut conservari connaturaliter, nisi ab iisdem causis, nequeant, à quibus primò fuerant productæ, quales sunt lux, species intentionales, & hujusmodi: aliæ tamen, inquiunt, sunt, ut calor, frigus, albedo, nigredo, colores omnes, odores, & pleraque accidentia & formæ substantiales, quæ cùm à Deo simul cum aliqua causâ secundâ sint productæ, postea tamen à Deo solo conservantur, sicque minori conatu ex parte causæ extrinsecæ, quem proinde conatum partialiter supplent res istæ conservatæ, & aliquo modo concurrunt ad conservationem sui.

III. Hanc sententiam loco citato doctissimè, more suo, refellit P. Lessius, & P. Arriaga d. 9. Phy. l. 6. quamvis per se falsa adeò videatur, ut refutatione non indigeat. Quia tamen plerique hodie, Athenienſium instar, (qui Act. 7. v. 21. *ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid novi*) si quid insuetum aut peregrinum in scholas invehatur, avidè statim arripiunt, nec quàm solidum illud sit, curare videntur, sed, modò aures titillet, oraculi loco habent: huic, inquam, malo ut occurratur, & ne silendo hanc approbare opinionem videar, eam etiam hîc breviter refellam.

Multi non quàm vera res sint curant, sed quam nova.

IV. *Prius est esse, quàm operari.* Impugnatur itaque primò: *prius est esse, quàm operari*, operatio siquidem provenit à re existente, nihil enim operari potest nisi quod existit, ut suprà ostendi d. 18. s. 3. cùm ergo operatio proveniat à re existente, existentia prior esse debet operatione, ergo operatio non potest esse prior existentiâ, sic enim daretur mutua prioritas, idque in eodem respectu ejusdem. Conf. primò, omnis causa naturâ prior esse debet effectu; quam ob causam fatentur Philosophi non posse idem se primò producere, ergo nec se poterit conservare. Conf. secundò, ut res intelligatur apta ad operandum, intelligi debet extra omnes suas causas, ergo non potest esse causa, etiam inadæquatè conservativa sui, ut est manifestum, sic enim non esset extra omnes suas causas. Conf. tertiò, hoc enim à fortiori probant ea omnia quæ suprà d. 21. contra mutuam prioritatem sunt allata, quæ non est opus hîc repetere.

Res, ut operetur, esse debet extra omnes suas causas.

V. *Hæc probant non solùm non posse aliquid se primò inadæquatè producere, sed nec conservare.* Dices primò; probare quidem hæc, non posse rem ullam se primò, etiam inadæquatè, producere, non tamen obstare quò minùs res eadem se conservet, jam enim pro aliquo priori res est producta, ergo habet existentiam & prioritatem sufficientem ad operandum. Sed contrà, ut aliquid habeat existentiam, & prioritatem sufficientem ad operandum, debet prioritatem illam & existentiam habere eo instante quo operatur, totum enim tempus quod instans illud in quo operatur, præcessit, perinde se habet ad operandum in hoc instante atque, si non fuisset, sicut de præmissis constat respectu conclusionis, quæ quantumvis longo etiam tempore in mente fuerint, nisi tamen illo instante in intellectu sint, quo elicitur conclusio, perinde est quoad hunc effectum, ac si omnino non fuissent.

VI. *Idem est de conservatione sui in genere causæ formalis.* Dices secundò; conservationem hanc, quâ res inadæquatè conservat seipsam, non esse effectivam, sed formalem, quâ scilicet per suam entitatem resistit formaliter contrariis, eaque ab expulsione & destructione ipsius impedit. Contrà primò, in quocunque genere causæ se conservet, debet pro aliquo priori existere, cùm conservare sit aliquid physicum, & reale, ergo pro illo priore debet res existere, ergo & pro illo priori habere causam adæquatam conservativam sui. Contrà secundò, resistentia illa est ut res non destruatur, res autem, ut supponitur, hoc instante est, ergo non potest hoc instante destrui, ergo frustranea planè est ejusmodi resistentia pro hoc instante. Si autem dicat quis solùm exigere in instante A ut non destruatur in instante B, fateor hoc in aliquibus rebus inveniri, ut in Angelo, sole, & aliis naturaliter incorruptibilibus: sed hoc non est rem seipsam inadæquatè conservare, imò si hæc sit conservatio sui, conservaret se adæquatè, cùm per se adæquatè petat ut sequente instante non destruatur.

VII. *Quo sensu res facilius conservetur, quàm primò producitur.* Objicies primò, res faciliùs conservatur quàm primò producitur, ergo minore influxu. Contrà, hoc non probat rem conservare seipsam, nec inadæquatè, sed non requirere tantum influxum in secundo instante, quantum requirebat in primo. Resp. tamen distinguendo antecedens, res faciliùs conservatur quàm producitur, si eædem circumstantiæ permaneant,

neant, agentis nimirum contraria; quæ impediebant ejus productionem, nego antecedens; si circumstantiæ mutentur, hoc est, si agentia contraria vel amoveantur, vel ita debilitentur, ut conservationi rei non obsistant, sicut resistebant primæ productioni, concedo. Unde Angelus, sol, cælum, & similia eâdem planè facilitate conservantur, quâ primò producebantur.

VIII. *Lux sicut momento tota producitur, ita tota momento perit.*

Objicies secundò: lux amoto luminoso statim perit, calor extincto vel amoto igne etiamnum permanet, ergo calor partialiter conservat seipsum. Nego consequentiam, sed hoc in ipsas rerum naturas est refundendum: lux enim sicut momento tota producitur, ita tota momento perit, calor perit sòlùm successivè, sicut successivè producitur. Quemadmodum in naturas rerum refundere debent oppositum hîc sentientes, cur foret miraculum si Deus sine concursu ullius causæ creatæ formam aliquam materialem produceret, & tamen nullum est miraculum quod hoc modo producat animam rationalem. Res ergo diversæ diversas habent exigentias.

IX. *In tantum sensibus credendum, in quantum rectæ rationi non adversantur.*

Objicies tertiò: ex eo quòd ad præsentiam ignis videamus semper ignem produci, colligimus unum ignem alium producere, ergo ex eo quòd amoto igne calorem adhuc videamus persistere, rectè inferimus calorem se conservare, tam enim oculis & experientiæ assensus in uno casu præbendus est, quàm in altero. Contrà, hoc enim probaret calorem conservare se adæquatè, oculis enim, experientiâ, & sensu non cognoscimus Deum ad res creatas concurrere. Resp. ergo ita sensibus & experientiæ fidendum, ut via non præcludatur discursui, per quem sicut cognoscimus Deus cum causis secundis inadæquatè & partialiter concurrere, ita, ubi nulla est causa secunda sufficiens, colligimus Deum res quasdam vel primò producere, vel conservare adæquatè, cùm ob rationes suprà positas certum omnino sit non posse rem ullam, etiam partialiter se primò producere, aut conservare.

X. Hæ sunt præcipuæ rationes quas pro hac sententia à suis auctoribus afferri video. Alia plura affert P. Arriaga citatus, & benè refutat. Sed operæ pretium non existimo huic rei diutiùs insistere.

DISPVTATIO XXV.

De causâ productiva substantiæ.

SECTIO PRIMA.

Variæ referuntur auctorum sententiæ.

I. *Causam substantiæ statuebat Plato substantiam in communi.*

PRima in hac re sententia est Platonis, qui Ideas seu formas statuebat separatas formarum sublunarium effectrices. In hac proinde substantiarum omnium, quæ hîc indies generantur, effectionem rejiciebat, & ignem in communi ajebat producere ignem particularem, rosam in communi rosam, hominem in communi hominem &c. Quæ opinio in Logicâ rejecta est d. 26. s. 1.

II. *Avicenna infimam intelligentiam.*

Secunda sententia est Avicennæ, qui formas quidem accidentales effici à rebus corporeis asserebat, ut calorem ab igne &c. formas verò omnes substantiales produci ajebat ab infimâ intelligentiâ. Sed contrà, æquè enim videmus ignem produci ad præsentiam ignis, ac calorem ad præsentiam caloris vel ignis, ergo ignis producit ignem, cum virtutem ad hoc habeat sufficientem. Deinde, intelligentiæ & animæ separatæ nihil in rebus extra se producunt præter motum localem. His ergo somniis relictis.

III. *Alij solis accidentibus totam agendi vim tribuunt.*

Tertia celebris est Thomistarum opinio docentium, nullam substantiam creatam immediatè producere aliam substantiam, sed ignem asserunt adæquatè produci à calore, nullo igne concurrente. Sola proinde accidentia asserunt producere substantiam, in virtute tamen substantiæ: imò adæquatam operandi virtutem solis tribuunt accidentibus, & nullam substantiam creatam ajunt respectu ullius effectûs esse immediatè operativam.

IV. Huic etiam sententiæ ex nostris subscribit Vasq. 1. p. d 186. Fonf. 5. Met. c. 2. q. 6. s. 3. Rubius tr. 4. de causâ efficiente, qui in secundâ editione videtur mutasse sententiam. Eidem etiam opinioni favent ex Recentioribus non pauci.

V. *Alij solam substantiam dicebant producere substantiam.*

Quarta sententia est Scoti cum suis, Occami cum Nominalibus, Durandi cum aliis, quos sequitur P. Hurt. d. 9. Phy. s. 3. P. Arriaga d. 11. Phy. s. 2. & 37. P. Oviedo c. 9. Phy. p. 4. & alij, qui totam efficientiam in substantiam tribuunt soli substantiæ, ita ut accidentia ad illam omnino non concurrant, nisi tantùm producendo dispositiones.

VI. *Alij demum substantiam simul cum accidente.*

Quinta demum sententia est media, & ait nec substantiæ soli, nec solis accidentibus tribuendam esse productionem substantiæ, sed utraque per modum unius causæ influere immediatè in substantiam quæ producitur. Ignem itaque & calorem simul dicit hæc sententia producere ignem. Ita Suar. dist. 18. Met. s. 2. Conimb. & alij secuti nonnullos ex antiquis, estque hodie communissima in scholis opinio. Et P. Arriaga nu. 42. fatetur possibile esse accidens quod partialiter producat substantiam. De singulis hisce sententiis aliquid strictim dicendum.

SECTIO II.

An sola accidentia producant substantiam.

I. *Ad substantiam non sufficiunt sola accidentia.*

COnclusio: Sola accidentia non possunt producere substantiam, hoc est, calor solus non potest producere ignem, frigus aquam &c. sed in substantiæ productione necessariò intervenire debet substantia. Hoc probatur primò ex Aristotele 2. de Generat. t. 53. ubi ait, *sicut materiæ est pati, & moveri, ita formæ est agere & movere*, ergo censet formam substantialem concurrere ad productionem substantiæ: t. 54. sic habet, *præterea facultates, per quas res gignuntur, instrumentarias corporibus attribuunt, utque interea causam quæ ad formam pertinet, auferunt*, ergo censet Aristoteles rationem agendi in productione substantiæ communiter esse ipsam formam. Dices, formis tribui efficientiam ab Aristotele, quia ab illis proveniunt qualitates, quæ operantur. Contrà, hæc non potest dici vera & propria actio formæ, sed remota solùm, & radicalis, nec per illam dicitur forma operari, nisi impropriissimè, sicut paries dicitur videri, visâ albedine, cùm tamen sola albedo propriè videatur; sic in præsenti solum accidens propriè ageret,

Probatur primò ex Aristotele.

substantia verò denominativè tantùm,& impropriè, quod reipsa est non omnino agere; sicut paries reipsa non videtur, sed sola albedo.

II. *Secundò à priori, ex ratione causæ totalis.* Secundò probatur conclusio à priori, causa totalis debet in se continere totam perfectionem effectûs, vel formaliter, si sit causa univoca, vel eminenter seu virtualiter, si æquivoca: sed calor non continet in se totam perfectionem ignis, seu effectum quem producit, ergo non potest esse causa totalis illius, sed simul cum eo concurrere necessariò debet aliqua substantia æqualis saltem perfectionis cum igne producto. Major videtur certa, *nemo enim dat quod non habet*, id est, quod aliquod modo in se non continet, nempe vel formaliter, vel eminenter: si enim quidquam in effectu reluceat, quod non relucet in causâ, effectus hoc recipere ab illâ nequit, sed habere debet aliunde. Minor etiam probatur, nam calor si contineat perfectionem ignis, vel debet illam præcontinere formaliter, vel eminenter: non primum, quod enim hoc modo aliud præcontinet, esse debet saltem æquè perfectum, atque illud quod præcontinet. Hoc ergo modo tantùm causa univoca præcontinet effectum, calor autem non est causa univoca ignis, ut constat. Nec etiam præcontinet calor ignem eminenter, quod enim hac ratione præcontinet aliud tanquam causa totalis, debet esse contento perfectius, calor autem non est perfectior igne, ut est manifestum, ergo calor solus, & ut causa totalis, non potest producere ignem nec accidens substantiam.

Nemo dat quod non habet.

Calor nec formali er præcontinet ignem, nec eminenter.

III. *Conf. ex visione beatificâ.* Conf. ideò secundùm omnes intellectus solus non potest producere ut causa totalis & adæquata visionem claram Dei, quia in hoc effectu relucet perfectio aliqua quæ non continetur in virtute naturali intellectûs, sed intellectus est illâ imperfectior: Cùm ergo in igne reluceat prædicatum substantiale quod est longè perfectius calore, non poterit calor solus ignem producere. Conf. secundò, calor ut quatuor non potest producere calorem ut sex, quia scilicet effectus superat virtutem causæ, sed non minùs superat substantia virtutem accidentis, ergo.

IV. *Tertium argumentum ex Doctore subtili.* Probatur tertiò, nam ut rectè Scotus, si hæc ratio non teneat, quod aliud ut causa principalis æquivoca producit, est illo perfectius, siquis obstinatè defendere vellet Deum non esse perfectiorem rebus creatis, quas producit, non posset convinci.

V. *Impugnatur quod dicitur accidens operari in virtute substantiæ.* Dices primò; convincere hæc argumenta, accidens, si operaretur in virtute propriâ, non posse ut causam totalem producere substantiam, sic tamen si operetur in virtute substantiæ. Sed contrà, accidens quando operatur, operatur in virtute propriâ, ergo. Probatur antecedens, operatur adæquatè per virtutem sibi intrinsecam; sine ullius, præterquam causæ universalis, auxilio, ergo sicut cum ignis in contrariâ sententiâ producit ignem, dicitur operari in virtute propriâ, quia agit per virtutem sibi intrinsecam, ita & accidens in hac sententiâ, cùm non minùs operetur adæquatè per propriam suam virtutem, quàm ignis quando producit ignem.

VI. *Nulla virtus à substantiâ in accidens derivatur.* Dices secundò; operari in virtute substantiæ, est accipere aliquam virtutem sibi à substantiâ communicatam. Contrà, virtus illa à substantiâ in accidens derivata, vel est substantia, vel accidens: si secundùm, idem redit de illo argumentum; si primum, ergo accidens solum non producit substantiam, sed simul cum eo concurrit substantia.

VII. Dices tertiò; accidens gerit vices & locum substantiæ in productione alterius substantiæ sicut Prorex vices Regis; sicut ergo Prorex habet auctoritatem Regis, quia illius loco substituitur, ita accidens virtutem habet substantiæ, quia illius hîc locum obtinet. Contrà primò, si Rex in loco illo quò mittit Proregem, nullam in se haberet auctoritatem, non posset ullam conferre alteri, seu eum constituere vicarium loco sui, sed substantia secundùm adversarios nullam omnino habet vim agendi respectu alterius substantiæ, ergo non potest ullam conferre accidenti. Contrà secundò, Rex, quando constituit Proregem, aliquam ei virtutem moralem confert, sicut ipsi Regi communicata est quando ascitus est in regnum: ergo ut accidens sit loco substantiæ, conferri ipsi debet aliqua virtus physica à substantiâ, sicut ibi confertur Proregi virtus, & potestas moralis à Rege: sicut enim Prorex est moraliter loco Regis, ita accidens est physicè loco substantiæ: sed nihil hujusmodi physicum derivatur in accidens à substantiâ, nam ut proximè dictum est, vel illud est substantia, vel accidens; sed neutrum, ut ibi ostendi, ergo accidens solâ suâ virtute, sibique adæquatè intrinsecâ produceret substantiam, quod est impossibile.

Accidens in productione substantiæ non potest gerere vices substantiæ.

VIII. *Substantia hîc potius operaretur in virtute accidentis quàm è contrà.* Imò potiori jure secundùm hunc modum philosophandi diceretur substantia operari in virtute accidentis, quàm accidens in virtute substantiæ, sicut paries videtur in virtute albedinis: & si respondeatur parietem omnino non videri, sic etiam dico substantiam omnino non agere, vel si propterea substantia agit quia agit ipsius qualitas, sic & paries videbitur dum albedo, ipsius qualitas videtur, estque hac in parte vicaria parietis.

IX. *Accidens non potest loco substantiæ producere nisi id ad quod habet vires.* Dices quartò; calor (idem est de aliis accidentibus respectu suarum substantiarum) est virtus substantiæ, seu ignis, ad operandum, ergo poterit loco illius operari. Distinguo consequens, poterit loco illius operari ea ad quæ habet vires, concedo consequentiam; ea ad quæ non habet vires, nego: sic enim aliquid daret quod non habet. Sicut si rex daret proregi auctoritatem ad hoc vel illud tributum imponendum, hanc vel illam causam judicandam &c. non propterea posset alia tributa imponere, vel causas alias indicare.

X. *Virtus accidentis est illi intrinseca, sicq; non apta ad producendã substantiam.* Instabis, substantia communicat accidenti omnem vim suam, non ad accidentia tantùm producenda, sed etiam ad substantiam. Contrà primò, substantia nullam habet per adversarios virtutem ad producendam substantiam, ergo nullam potest communicare. Contrà secundò quamcunque dat substantia virtutem accidenti, est accidenti intrinseca, & cum ipso identificata, utpote ipsa illius entitas, ergo dum per eam operatur accidens, operatur virtute propriâ. Contrà tertiò, accidens non est capax in suâ entitate solâ, ut habeat vim sufficientem ad producendam substantiam, sic enim deberet esse vel æquè perfectum, vel perfectius substantiâ quam producit, ergo non potest talis virtus in accidens à substantiâ derivari.

XI. *Discrimen inter res morales, & physicas.* Unde notandum latum discrimen inter res morales, & physicas; in rebus enim moralibus confertur personæ aliqua auctoritas distincta à personâ, cui confertur; hîc autem nihil confertur accidenti distinctum ab illius entitate, ergo si ex naturâ suâ non possit producere substantiam, non poterit illam producere ob aliquid ipsi collatum à substantiâ, cùm ab illâ nihil accipiat præter intrinsecam suam entitatem, & naturam.

XII. *Res hæc illustratur exemplis.* Res hæc exemplis reddetur clarissima. Imbelles quidam milites habentes ducem strenuum, præcisè ex eo quod sint milites illius, non possunt hostem devincere, nisi Dux aliquid ipsis conferat, & aliquo modo influat, vel unà cum iis pugnando, vel verbis animos addendo, aut præbendo consilium, vel aliâ quapiam ratione cum iis concurrendo. Pauper etiam quispiam servus heri opulentissimi, nihilo propterea

tereà est ditior, nisi herus aliquid ei pecuniæ conferat. Ita similiter accidens, nisi aliquid præter meram suam entitatem, & vim quam habet intrinsecam, accipiat à substantiâ, non fiet potentius, sed manebit in tenui suâ re, nec plus poterit quàm ex naturâ suâ, & propriâ virtute possit. Imò quicquid agit, agit virtute propriâ: & licèt concederemus agere nomine substantiæ, non tamen ageret virtute substantiæ, sed propriâ, nec plus posset, sicut nec puer plus posset, qui nomine viri fortis, ingens aliquod pondus levare contenderet. Tandem res eò devolvitur, ut idem sit agere in virtute substantiæ, & in virtute accidentis, cùm tota virtus activa substantiæ, juxta adversarios, sit accidens.

Puer nomine gigantis non plus potest, quam nomine proprio.

XIII. Deinde quando ex collisione duorum silicum producitur ignis, aut ex putri generatur rana, quæro in virtute cujus ignis aut ranæ id præstant accidentia? non enim est major ratio cur in virtute unius ignis, vel ranæ producantur quàm alterius, cum nulla sit ibi rana vel ignis, ut supponimus. Respondent aliqui, estque communis solutio, produci in virtute ignis & ranæ in communi. Contrà, rana illa in communi non est nisi per intellectum, illam abstrahentem à singularitatibus; & solùm habet esse repræsentatum, per quod tamen non est apta ad operandum physicè, ergo produci nequit à ranâ in communi. Præterea, qui hac solutione utuntur, mirari desinant in his & similibus casibus recurri ad Deum, cùm ipsi recurrant ad ranam in communi.

Assignari nequit in virtute cujus rana, rana hic & nunc producatur.

Rana in commun.

XIV. Dicunt ergo alij, produci ranam illam ab omnibus ranis, quæ præcesserunt, illisque tanquam majoribus ascribendam ranam filiam, quæ jam incerto parente nascitur. Sed contrà, inquiro cur illis potiùs ascribatur, quàm subsequentibus? Dices; quia ipsæ petunt genus suum propagari. Contra primò, sic etiam petunt subsequentes. Contrà secundò, ponamus, quod facilè potest contingere, primam ranam prognatam fuisse ex putri, tunc non fuisset producta in virtute ranarum præcedentium, ut est manifestum, cùm nulla præcesserit, in cujus ergo virtute fuit producta. Contrà tertiò, in illius enim substantiæ virtute operari deberent illa accidentia, juxta adversarios, cujus sunt proprietates, sed non sunt proprietates omnium, vel plurium ranarum, sed unius tantùm, ergo non possunt operari in virtute plurium.

Non est cur magis producatur in virtute ranarum præcedentium, quàm subsequentium.

XV. Et eodem modo impugnatur, quod insinuant aliqui, operari sc. accidentia illa in virtute alicujus ranæ vagæ & indeterminatè sumptæ: hæc enim accidentia non sunt proprietates ranæ alicujus vagæ, & indeterminatæ, sed determinatæ. Deinde, non est major ratio cur in virtute unius ranæ operentur, quàm alterius.

Nec producitur in virtute ranæ vagè sumptæ.

XVI. Ultimò dici posset, calorem, quando producit ignem, & nullus alius ignis adest, operari in virtute illius agentis, quod calorem illum produxit. Sed contrà, calor ex duorum silicum collisione productus, ad quem sequitur ignis, fit per motum juxta illud, *motus est causa caloris*, ergo producitur in eo casu ignis in virtute illius agentis quod produxit motum, ergo in virtute hominis, quod nullus dicet.

Motus est causa caloris.

SECTIO III.

Objectiones contendentes sola accidentia producere substantiam.

I. OBjiciunt primò Aristotelem 7. de Generat. t. 50. dicentem; *nihil esse aptum agere; nisi quod habet contrarium.* Item de sensu & sensibili, cap. 4. ait *ignem non agere in quantum ignem; sed in quantum calidum*, seu in quantum habet contrarium. Sed contrà, hæc loca Aristotelis explicanda etiam sunt ab auctoribus contrariæ sententiæ, lux enim operatur, & tamen non habet contrarium. Deinde, eodem modo ait Aristoteles *non pati nisi contraria*, non tamen protereà dicet, opinor, quisquam accidentia contraria, ut calorem & frigus se invicem recipere.

Difficultas circa mentem Aristotelis in proposito.

ductione substantiæ.

II. Resp. itaque hæc ad summum probare, cum substantiâ necessariò debere concurrere accidens. Secundò, nullas propositiones magis incertas esse & fallaces quàm reduplicativas, nunc enim reduplicatur ratio formalis, nunc sola conditio, ut *ignis agit in quantum applicatur*. Unde & ab Aristotele reduplicari hîc potest calor ut dispositio ignis, vel ut conditio necessaria ad agendum, esto calor nil agat. Et certè omnis actio substantiarum in se invicem pendet ab accidentibus, si enim substantiæ existerent sine accidentibus, non inter se mutuò agerent. Hoc tamen non arguit quando jam accidentia disposuerunt subjectum, eadem ulteriùs producere, saltem adæquatè formam substantialem, cùm non habeant virtutem ad hoc sufficientem.

Resp. solùm velle Aristot. accidens debere concurrere cum substantiâ.

III. Objicies secundò; quod accidens sit imperfectius substantiâ, non arguitur non posse illud eam producere, nam actio quâ producitur substantia, est illa longè imperfectior, imò secundùm multos est accidens, ergo si actio imperfectior substantiâ possit substantiam efficere, poterit & solum accidens. Resp. magnam esse disparitatem inter modum concurrendi actionis & accidentis, actio enim non concurrit per modum principij, & causæ in actu primo præcontinentis effectum, sed solùm est determinatio causæ ad agendum, & applicatio virtutis illius in actu secundo. Unde sicut applicatio virtutis causæ in actu primo, nempe approximatio, est quid longè imperfectius effectu, ita & imperfectior esse poterit applicatio ejusdem in actu secundo. Accidens verò juxta auctores contrariæ sententiæ, est ipsa totalis causa & principium agendi, & quod solum producit effectum virtute sibi adæquatè intrinsecâ: unde debet illum præcontinere, quod tamen non potest, ut ostensum est.

Disparitas inter accidens, & actionem in productione substantiæ.

IV. Objicies tertiò; *potentia & actus debent esse in eodem genere*: sed omnis actio, quæ est actus potentiæ generativæ, est accidens, ergo est potentia ipsa. Non urget, primò enim cùm Deus solus accidens aliquod producit, non dicent credo potentiam illius esse accidentalem, cùm quicquid est in Deo, sit substantia, & Deus. Secundò, universim loquendo, est falsum, dictum illud, si sumatur, ut jacet; nam materia prima est potentia ad formas accidentales, & tamen non est accidens; item est potentia ad formas spirituales, & tamen non est spiritus. Deinde, hoc argumentum probat contra adversarios non posse accidens producere substantiam, cùm potentia & actus debeant esse in eodem genere.

Dices potentia, & actus esse debent in eodem genere.

Retorquetur argumentum.

V. Dices; sensum esse, potentiam remotam esse debere in eodem genere, non proximam. Contrà, si intelligi hoc debeat de potentiâ remotâ, ergo substantia non potest per accidens producere accidens, tunc enim potentia remota non esset in eodem genere cum effectu, seu actu. Per potentiam ergo & actum illo loco intelligit Aristoteles materiam primam, seu potentiam passivam in ordine ad constituendum unum per se propriè & rigorosè; non enim potest constituere unum per se substantia cum accidente, sed solùm cum aliâ substantiâ.

Quid hic intelligat Aristoteles per actum & potentiam.

VI. Objicies quartò; nil vetat aliquid imperfectius, ut causam instrumentalem, producere rem se perfectiorem: modò causa principalis sit perfectior; ac proinde nil obstat quominùs calor, ut instrumentum ignis, producat ignem, est enim causa tantùm instrumentalis, ignis autem principalis. Sed contrà, quando

Si accidens solum pro ut stat substantiam, est causa illius principalis.

do accidens solum producit substantiam, nulla omnino est alia causa, quæ ad illius productionem concurrat, ergo accidens ibi est causa principalis, & adæquata virtus quæ illam producit, non *ut quo*, sed *ut quod*, nulla enim est illic alia causa principalis, seu quæ concurrat *ut quod*.

VII. *Quintò arguitur à conglobatis.* Objicies quintò; sæpè videmus produci substantiam in præsentiâ solorum accidentium, ergo tunc nulla concurrit substantia. Antecedens ostenditur primò, dum à ferro candente accenditur stuppa. Secundò, dum rana & alia insecta producuntur ex putri. Tertiò, dum in furnis Ægypti excluduntur pulli. Quartò, in formâ cadaveris. Quintò, dum ex reflexione radiorum solarium, vel eorum coarctatione in vitro, aut ex collisione duorum lapidum producitur ignis. Sextò, quis neget si gutta aquæ infundatur in species vini consecrati versum iri in vinum? & tamen ibi nulla est substantia vini, ergo sola accidentia in eo casu producunt substantiam, & vini formam inducunt in materiam aquæ.

VIII. *Resp. experientias nihil probare, ubi est aperta ratio in contrarium.* Sed contrà, experientiæ nihil probant ubi est manifesta ratio in contrarium, quam hîc esse ostendimus sec. præcedente. In illis ergo experientiis recurrendum est ad causam aliquam universalem, cælum sc. solem, vel in aliorum defectu ad ipsam etiam causam primam.

IX. *Objic. Non esse philosophicum recurrere ad Deum.* Objicies sextò; Parum esse philosophicum recurrere ad Deum. Contrà, idem ipsi facere debent in rerum conservatione; quando enim accidentia ferri candentis producunt ignem in stuppâ applicatâ, amoto ferro non est aliud agens, quod ignem conservet præter Deum.

X. *Resp. in quibusdam casibus esse maximè Philosophicum.* Deinde dico, maximè esse philosophicum ad Deum in iis casibus recurrere, ubi aliquorum effectuum nulla assignari causa secunda potest; ad Deum enim, ut auctor naturæ est, spectat, non solùm res omnes creare & conservare, mundum gubernare, & cum causis particularibus ad omnes earum effectus concurrere, sed etiam supplere defectus.

XI. *Quod in navi gubernator &c. hoc in mundo Deus.* In quam rem præclarè Aristoteles l. de mundo ad Alex. c. 9. *Quod in navi gubernator est, in curru auriga, in Choro præcentor, in civitate lex, in exercitu Imperator, hoc in mundo Deus, cum hoc tamen* (inquit) *discrimine, quod illis principatus laboriosus, perturbatus, & anxiosus sit, Deo autem expers omnis mœstitiæ, & laboris, nullamq; ei affert debilitatem, aut fatigationem.* Sicut ergo Imperatoris in exercitu munus est, non generalem solùm omnium curam gerere, sed militis etiam subinde munus obire, ubi usus venerit, & necessitas postularit; ita & ad Deum pertinet non solùm generalem universi providentiam habere, & modo quodam universali cum rebus omnibus influere, sed etiam particularium subinde causarum quasi munus obire, & illarum, ubi res tulerit, vices gerere.

SECTIO IV.

Utrùm substantia sola, sine concursu accidentium, sit causa adæquata alterius substantiæ.

I. *Status quæstionis.* ID est, utrùm dum producitur ignis ab alio igne, causa adæquatè productiva illius sit ignis, an simul cum igne concurrat calor ad illius productionem. Affirmat Scotus, Hurt. Arriaga, Ovied. & alij suprà f. 1. citati n. 4.

II. *Dicunt aliqui accidens semper concurrere cum substantiâ.* P. Suar. verò d. illâ 18. sect. 1. ait substantiam sine concursu accidentis nunquam producere aliam substantiam: ad quod tamen probandum, inquit ipse, non est in re tam abditâ quærenda evidens aliqua ratio, & à priori, sed sufficiunt conjecturæ aliquæ, & rationes deductæ ab experientiis, atque à posteriori, quæ si rem hanc non convincant, magnam tamen secum probabilitatem afferunt.

III. *Angelus per emanationem immediatè producit substantiam.* Prima conclusio: substantia immediatè & sine concursu accidentis producit aliquando substantiam, per actionem sc. emanativam. Probatur primò, Angelus, anima, & aliæ substantiæ producunt per emanationem suam subsistentiam, sed subsistentia non est accidens, sed substantia, vel, ut aliqui loquuntur, est quid substantiale, ergo substantia aliqua substantiam producit immediatè. Ratio autem hujus est, quia productio nullius rei est prior productione subsistentiæ, ergo nihil debet illâ priùs produci, ergo nec intelligi quidquam potest ut comprincipium partiale cum substantiâ illam coefficiens, cùm sit omnibus aliis prior, saltem negativè, id est, nulli posterior, seu nihil est illâ prius, præter ipsam substantiam animæ, vel Angeli. Conf, priùs debet substantia compleri substantialiter, quàm accidentaliter, ergo primus ejus actus est subsistentia.

IV. *Accidens unà cum substantiâ concurrit ad substantiam.* Secunda conclusio: excepta actione emanativâ, nulla substantia immediatè potest sine concursu accidentis producere aliam substantiam: ita P. Suar. citatus, estque communior inter recentiores opinio. Variæ à nonnullis ad hujus conclusionis probationem afferuntur rationes à priori, quæ tamen vereor ut assequantur intentum.

V. *Substantia esse nequit sine accidentibus, ergo nec operari.* Probatur ergo conclusio primò, sicut se habet substantia creata ad esse, ita se habet ad operari, sed quoad esse non potest connaturaliter existere sine accidentibus, ergo nec sine iis connaturaliter operari, ergo ad operationem requirit consortium accidentium, per quæ in operando & producendo sibi simile compleatur, & coadjuvetur. Conf. substantia creata ex essentiâ suâ est ens, non per essentiam, id est, est ens quod intra se non continet intrinsecè omnem perfectionem, sed quod essentialiter petit compleri intrinsecè per accidentia, ergo nec debet esse principium per essentiam, seu in suâ essentiâ continens totam rationem formalem principij, sed sicut ad esse eget complemento accidentium, ita & ad operari, cùm *modus operandi sequatur modum essendi.*

Modus operandi sequitur modum essendi.

VI. *Dices, est sufficiens proportio substantiæ ad substantiam.* Dices primò; non minorem proportionem habet, substantia cum aliâ substantiâ, ignis sc. cum igne quàm accidens cum accidente, calor nimirum cum calore, ergo sicut calor per se immediatè & adæquatè omnia alio excluso, producere potest calorem, poterit similiter ignis solus producere ignem.

VII. *Resp. tamen esse contra limitationem substantiæ.* Resp. primò, negando consequentiam, licèt enim æqualis sit proportio entitativa inter substantiam & substantiam, atque inter accidens & accidens, repugnat tamen substantiam esse per se principium adæquatè operativum, quia esse contra limitationem, & imperfectionem propriam substantiæ creatæ, non sic contra limitationem propriam accidentis, accidens enim, utpote entis ens, quidquid habet perfectionis, habet ut sit complementum substantiæ, sicque ex genere suo est quid imperfectum, ac proinde quantumcunque habet virtutis, habet tantùm in genere accidentis. Sicut licèt secundùm omnes detur accidens supernaturale, negatur tamen posse dari substantiam supernaturalem, quia sc. argueret nimiam perfectionem in substantiâ, non tamen in accidente, quod cum ex genere suo sit imperfectum, quantumcunque crescat illius perfectio, crescit tantùm in genere imperfecto. Præcipua tamen ratio cur dicamus accidens producere adæquatè accidens, & substantiam non adæquatè producere substantiam, desumi debet à posteriori ab experientiis & effectibus, quæ est præcipua probatio hujus conclusionis, ut posteà videbimus.

Se-

VIII. *Accidens nunquam producit aliud sibi in intensione æquale.*

Secundò respondetur, calorem, licèt producat alium calorem per se immediatè, & adæquatè, non tamen sibi in intensione æqualem, sed calor ut sex ex.g. producit calorem ut quatuor, vel quinque, & semper effectum minoris intensionis quàm sit causa, cùm ergo substantia non possit intendi, utpote indivisibilis intensivè, & ex exemplo accidentis ostendatur non posse causam aliquam solam producere effectum sibi in intensione æqualem, substantia sola nihil poterit producere. Quod argumentum saltem urget in causis substantialibus univocis.

IX. *Differentia inter causam materialem, & efficientem.*

Dices secundò; materia recipit formam substantialem per se adæquatè sine concursu accidentis, ergo & causa efficiens aliam substantiam efficiet per se adæquatè, & sine alterius concursu. Nego consequentiam, ratio est quia accidens non potest recipere formam substantialem, cùm forma substantialis ordinetur ad faciendum unum per se cum suo subjecto, cum accidente autem non potest facere unum per se, nec illud informare, in causa autem efficiente non requiritur ut uniatur suo effectui, nec ut unum per se cum illo constituat.

X. *Præcipua conclusionis probatio.*

Secundò, & præcipuè probatur conclusio à posteriori, substantiis enim omnibus creatis, ut cœlo, soli, elementis, & aliis videmus potentias quasdam accidentales à naturâ tributas, quibus operationes suas exerceant. Cùm ergo aliunde habeamus res varias concurrere ad effectus se perfectiores, ut species visibilis cum oculo concurrit ad visionem; species intelligibilis cum intellectu ad intellectionem, intellectus & voluntas ad actus supernaturales, &c. Verosimile est potentias hasce accidentales substantiis ob suam limitationem datas esse, hasque iis in omni operatione uti, ac veluti instrumentis indigere.

XI. *Hoc probat, etiam ad operationes substantiales requiri accidentia.*

Dices; ad summum probare hoc argumentum, substantiæ dari potentias accidentales ad operationes accidentales, & ad disponendum subjectum, non tamen ad substantiales. Contrà primò, si universaliter substantiæ dentur instrumenta accidentalia ad operandum, signum est fundatum hoc esse in illius naturâ, & ob suam limitationem illa universim requirere, ergo etiam ad producendam substantiam, si enim ob limitationem requirat substantia instrumenta accidentalia ad operationes accidentales, quidni etiam ad substantiales? cùm hæ sint illis perfectiores.

XII. *Experientia in aliis rebus valent, ergo & hic.*

Contrà secundò, non habemus aliud fundamentum asserendi calorem producere calorem, & non albedinem producere albedinem, nisi quod in præsentiâ caloris semper videamus produci calorem, & non in præsentiâ albedinis albedinem, sed videmus semper in præsentiâ caloris intensi produci ignem, ergo cùm nulla sit repugnantia ut calor simul cum igne producat ignem, ut ostensum est n. 10. non est cur quis calorem neget de facto ignem producere. Cur autem, quando in præsentiâ solorum accidentium producitur substantia, accidentia sola illa non producant, dixi suprà s. secunda.

SECTIO V.

Quænam accidentia concurrant ad productionem substantiæ, num quæ in agente, an quæ in passo.

I. *Tam concurrunt accidentia in agente, quàm in passo.*

Resp. utraque accidentia concurrere, tam ea scilicet quæ sunt in agente, quàm quæ in passo. Est contra P. Hurt. d. 2. de Gen. s. 2. §. 30. ubi latè contendit, posità sententiâ quæ docet accidens producere substantiam, debere eam produci ab accidentibus, quæ sunt in agente, non quæ sunt in passo. Nobis etiam hac in parte adversatur P. Sua. d. 14. Met. s. 2. Rub. 1. de Gen. c. 4. tr. 3. q. 11. & alij.

II. *Ratio est, quia utraque sunt aquè apta.*

Probatur primò, accidentia quæ sunt in passo æquè sunt apta producere effectum, atque ea, quæ sunt in agente, & æquè, imò meliùs applicata, ergo illum producent. Antecedens probatur, nam accidentia in passo sunt dispositio sufficiens ad inducendam formam, seu sunt ultima dispositio ad illam, ergo possunt illam æquè producere ac accidentia in agente, quod enim est sufficiens dispositio ad formam, est per se loquendo, si aliunde sit activum, sufficiens ad illam partialiter producendam.

III. *Accidentia in passo possunt esse instrumenta agentis.*

Dices primò; accidentia in passo non sunt instrumenta agentis, sed potiùs passi, cùm non sint conjuncta agenti. Distinguo antecedens, non sunt conjuncta quoad esse, concedo antecedens; quoad causalitatem, nego: sunt enim instrumenta agentis, quia illius sunt instrumenta, à quo elevantur ad agendum, seu quîcum in operatione concurrunt.

IV. *An accidentia etiam conservent formam substantialem.*

Dices secundò; saltem in conservatione non possunt accidentia in passo concurrere ad producendum seu conservandum formam substantialem, cum sint proprietates illius in conservatione, & consequenter ipsâ posteriores. Resp. primò, concedendo totum, cujus rei sufficiens ratio assignatur in argumento, quæ tamen non urget in primâ productione. Resp. secundò, probabile esse non omnia accidentia in passo esse proprietates in conservatione formæ, sed aliquas adhuc esse dispositiones, ergo illa saltem concurrere poterunt ad conservationem formæ. Resp. tertiò, licèt omnes sint proprietates, & posteriores formâ, adhuc posse concurrere ad formam conservandam, non quidem ut illa pars accidentis conservet illam partē formæ cujus est proprietas, sed proximam, & sic pars formæ A efficit partem A accidentis receptam in eadem secum parte materiæ, pars autem A accidentis non conservat instrumentaliter eandem partem A formæ, à qua in conservatione producitur, sed partem B proximam, & sic de reliquis.

V. *Partes caloris frigoris, &c. quas partes formarum substantialium conservent.*

Imò alicui non improbabile fortè videbitur partem A caloris, non solùm conservare instrumentaliter partem B formæ sibi proximam, sed alias omnes præter partem illam formæ, à qua ipsa conservatur, ac proinde totum calorem præter partem A dici posse conservare partem A formæ, sicque omnes partes totam formam, nisi quòd singulæ non concurrant ad eam formæ partem conservandam, à qua ipsæ conservantur, seu cujus sunt proprietates. Hoc tamen postremum, quia nonnihil habet difficultatis, ob mutuam prioritatem, quæ inde sequi videtur, melior est prior pars hujus solutionis, nempe, ut pars caloris, quæ in secundo instante conservatur à parte A ignis, conservet partem B caloris, & pars B caloris partem C ignis, & sic deinceps.

SECTIO VI.

Argumenta contendentia solam substantiam producere substantiam.

I. *Substantia est proportionata in esse entis, non in esse causæ.*

Objicies primò; substantia per se est proportionata ad producendam aliam substantiam, ergo producet. Hoc solutum est suprà s. 4. n. 7. Distinguo ergo antecedens, est proportionata in esse entis, concedo antecedens; in esse causæ, nego: esse quippe contra limitationem substantiæ operari sine concursu potentiarum accidentalium, ut à posteriori colligimus ab experientiis.

II.

Objicies secundò; ignis solus continet in se perfectionem

Sola præcontinentia effectûs, non arguit vim completè illius productivam.

fectionem alterius ignis, ergo poterit ipsum solus producere, & sine concursu accidentis. Retorqueo argumentum; ignis solus continet in se perfectionem alterius ignis, ergo non eget materiâ concurrente, sed sine illius concursu poterit ignem producere, aut etiam sine concursu ullius causæ universalis. Sicut ergo ibi, licèt ignis contineat totam perfectionem ignis, adhuc non potest solus illum producere, ita nec hîc, ob limitationem & cætera sec. 4. allata.

III. *A qua causâ producatur forma cadaveris.*

Objicies tertiò; saltem aliquæ substantiæ producuntur ab aliis immediatè, ut forma cadaveris, præsertim cùm aliquis moritur subitò, & nulla accidentia apparent, quæ cum ullâ causâ substantiali possint formam illam producere. Respondeti potest primò, cœlum esse causam principalem formæ cadaveris, & operari mediis quibusdam accidentibus in operando similiter universalibus. Quòd si nulla sint accidentia, quæ concurrere possint cum substantiâ cœli ad producendam formam cadaveris, dici potest causam primam solam illam producere. Nec est inconveniens ad causam primam recurrere pro tam villi formâ, cum nonnulla non ob perfectionem, sed ob imperfectionem Deo tanquam causæ efficienti ascribantur, ut secundùm multos quantitas dicitur produci à solo Deo, quia sc. est passio materiæ primæ, rei tam imperfectæ, utpote quæ nullius, ut aiunt, rei sit effectiva, ac proinde illa passio tribui debet generanti.

IV. *Aliud est de operatione ad intra & ad extra.*

Objicies quartò; substantia sola sine concursu ullius accidentis producit suam subsistentiam, ergo eodem modo producere poterit aliam quamcunque substantiam. Resp. negando consequentiam. Disparitas est, quia subsistentia à naturâ intenditur ad perficiendam essentiam, à qua proinde ab intrinseco, & per emanationem producitur. Unde sicut subsistentia in solâ essentiâ recipitur, ita ab illâ solâ, ut ejus proprietas, producitur: secus in iis contingit, quæ producuntur ad extra.

V. *Licèt accidens solum producat accidens, non sequitur idem de substantiâ.*

Objicies quintò; accidens solum producit aliud accidens, calor ex. g. calorem, ergo & ignis solus producere poterit ignem, cùm tanta sit proportio inter ignem & ignem, quanta inter calorem & calorem. Hæc etiam objectio soluta est sec. quarta, n. 7. Resp. itaque distinguendo consequens, tanta est proportio in ratione entis, concedo consequentiam; in ratione producentis & producti, nego, ob rationes illic positas. Addo, similitudinem in prædicatis univocis nihil facere ad proportionem in ratione producentis & producti, omnes enim animæ rationales sunt sibi in prædicatis similes, una tamen aliam non producit. Sicut ergo dari potest forma, quæ aliam sibi similem omninò producere nequeat, quidni dari etiam poterit forma, quæ aliam producere possit solùm inadæquatè? ut nos, duce experientiâ contendimus fieri in productione omnis formæ substantialis materialis.

VI.

Objicies sextò; hinc sequi, etiam ubicationem & durationem in omnes effectus influere, cùm ad illarum præsentiam effectus semper emergat. Concedunt aliqui consequentiam, & dicunt rem unam in aliam influere nihil esse aliud, quàm hanc ad illius præsentiam emergere, præsertim si illa ad hujus existentiam requiratur.

VII. *Ubicatio, & duratio non influunt in rerum productionem.*

Sed contra, omnes formæ substantiales producuntur etiam ad præsentiam quantitatis, nec aliter produci naturaliter possunt, & tamen nullus dicit quantitatem in eas influere. Item anima rationalis, licèt conservari possit sine materiâ, primò tamen, nisi illi unita, produci naturaliter non potest, in quam tamen materia non influit. Resp. itaque negando sequelam, nullum enim indicium habemus, quòd ubicationes & durationes sint operativæ, quod tamen habemus de accidentibus: calor enim in aquâ manum immissam calefacit, & sic de aliis: unde, sufficientem hinc rationem habemus, cur accidentia simul cum substantiis ad substantiam producendam concurrant, non tamen quòd concurrant ubicationes & durationes.

SECTIO VII.

Virum substantia producat in se accidens.

I. *Prima sententia est negativa.*

PRima sententia negat, sed omnem efficientiam ait tribuendam esse solis accidentibus; substantias verò in creatis nihil omnino immediatè producere affirmat, sed solùm per accidentia. Hæc opinio tribui communiter solet Thomistis.

II. *Substantia producit in se aliqua accidentia.*

Conclusio: substantia per emanationem aliqua in se accidentia producit: unde tota ratio agendi in creatis non est tribuenda solis accidentibus: ita Sua. d. 18. Met. s. 3. n. 3. Hurt. d. 9. Phy. s. 1. n. 23. Arria. d. 11. Phy. s. 2. n. 11. Oviedo c. 9. Phy. p. 3. n. 1. & communis sententia.

III. *Probatur dum aqua se ad frigiditatem reducit.*

Probatur primò experientia; aqua calefacta ad pristinam se frigiditatem reducit, sed ibi nullum est accidens, quod frigus illud producat, ergo producitur ab ipsâ aquæ substantiâ. Dices cum Javello, latere in aquâ occultam quandam qualitatem, quæ amissum frigus in ea denuò efficiat. Contrà primò, gratis enim in aquâ statuitur hujusmodi qualitas, unde, inquit Hurtado, ubi quis argumento premitur, confugere ad istiusmodi causas occultas est aram erigere *ignoto Deo*. Contrà secundò, saltem aqua producit occultam hanc qualitatem.

IV. *Frigus illud aqua non producitur à generante.*

Dices, produci qualitatem illam, non ab aqua, sed à generante aquam, *qui* enim *dat formam, dat consequentia ad formam*. Contrà, generans seu producens formam aquæ sæpè abest, imò frequenter periit, ergo tunc occulta hæc qualitas conservari debet à substantiâ aquæ, ergo aliqua efficientia tribui necessariò debet substantiæ: si autem possit substantia accidens illud conservare, quidni & primò producere? cùm conservatio, aliud nihil sit, quàm iterata productio. Dices; in eo casu conservatur illa qualitas à Deo. Contrà, jam in id incidunt quod præcipuè aliis objiciunt, nempe confugiunt ad Deum, idque sine necessitate; cùm illic sit causa sufficiens, quæ conservare qualitatem illam possit, ipsa sc. forma aquæ. Deinde, sicut occultam hanc qualitatem in aquâ produci dicunt à Deo, ita dicant frigiditatem ipsam à Deo immediatè produci, & sic non erit opus hac qualitate.

V. *Secundò prob. in actibus vitalibus.*

Secundò probatur conclusio, nam saltem actus vitales, intellectûs præsertim & voluntatis procedere immediatè debent à substantiâ animæ, ut suo loco ostendam, in lib. de Anim. d. 12.

VI. *Tertiò in causâ materiali.*

Probatur tertiò, substantia concurrit materialiter in quantitatem & alias formas accidentales; quidni ergo ad easdem concurrere poterit efficienter? cùm concursus materialis non minùs sit verus & physicus influxus, quàm concursus causæ efficientis.

VII. *Quæ efficientia repugnet substantiæ.*

Dices; influere materialiter est pati, pati autem est quid ex genere suo imperfectum, sicque hoc nomine Deo repugnans: agere verò perfectionem sonat & dignitatem, adeoque substantiæ non concedendum. Contrà, ergo multò minùs concedendum est accidenti. Resp. itaque agere aliquid quasi sui juris, & cum independentiâ, arguere perfectionem; at verò agere dependenter ab alio, ad nutũ scilicet causæ primæ, & iis tantùm legibus quæ ei à Deo præscribun-

scribuntur, & cum essentiali opis illius indigentiâ, non est nimia perfectio, nec creaturæ deneganda.

VIII. Objicitur primò: in Sanctissimo Sacramento species vini non minùs se ad suam frigiditatem reducent, si calefiant, quàm aqua se reducit ad suam; sed ibi nulla remanet substantia, ergo reductio illa ascribi tanquam radici debet alicui accidenti, quod post consecrationem remanens, frigus illud denuò producit. Resp. negando consequentiam, sed reductio illa vini ad justum frigoris temperamentum fit à Deo, ad celandum mysterium. Quod asserere omnes debent quando species corrumpuntur, produci sc. à Deo materiam, in quam nova forma substantialis inducatur.

Species Eucharisticæ à Deo ad suum temperamentũ reducũtur.

IX. Objicitur secundò: si substantia producat accidens, sequitur aliquid nobilius specificationem suam sumere ab ignobiliore. Sed contrà, omnes enim fatentur substantiam materialiter concurrere ad accidens, ergo hoc modo sumit ab eo specificationem. Resp. itaque nihil in hoc esse incommodi, cùm rem sumere specificationem ab alio, nihil aliud sit, quàm dicere relationem transcendentalem ad illud: res autem quæque perfectissimæ relationem transcendentalem dicunt ad varia, multò se imperfectiora. Sic anima rationalis relationem transcendentalem dicit ad materiam; & actus spiritualis, imò supernaturalis ad negationes, & objecta quæque vilissima.

Res quæque perfectissimè relationem transcendentalẽ dicunt ad imperfectissimas.

X. Dices; ergo aliquid perfectius ordinatur per se ad imperfectius. Resp. si per *ordinari per se* intelligatur solùm dicere relationem transcendentalem ad illud, concedo; sic enim sol respicit lucem, potentia actus, essentia passiones &c. si verò per *ordinari per se* intelligatur ordinari tanquam ad finem ultimum, seu finem *cui*, nego: sic enim, licèt potentia ordinetur ad actus tanquam ad finem. *Qui*, actus tamen ordinantur ultimò, seu tanquam ad finem *cui*, ad potentiam, & passiones ad essentiam, utpote quam ornant, & perficiunt.

Passiones ordinantur ad essentiã.

XI. Notandum verò, licèt productio passionum vocetur emanatio, est tamen vera & propria actio: dicitur autem emanatio quia necessitate quadam naturæ sequitur essentiam. Qua etiam de causâ productio passionum & proprietatum tribuitur generanti, quia sc. ab essentiâ à generante productâ necessariò promanant: sicut qui dat arborem, dat fructum, qui in eâ singulis annis enascitur, licèt sola arbor fructum illum producat.

Cur productio passionum tribuatur generantis.

SECTIO VIII.

Possitne substantia extra se producere accidens.

I. PRima sententia est P. Hurtado d. 9. Phy. s. 3. n. 22. P. Arria. d. 11. Phy. s. 2. n. 17. & aliorum asserentium substantiam, ignem v.g. aquam, &c. posse accidentia quæ in se producunt, putà calorem, frigus, & alias qualitates activas, in subjecto quovis à se distincto producere. De facto tamen aiunt accidentia hæc in subjecto extraneo ab iis non produci, quia præveniuntur à calore, & frigore in ipsis substantiis existentibus. Unde, inquiunt, nec ignis unquam calorem, nec aqua frigus in subjecto applicato producit, sed solus calor in igne calorem in manu efficit, & frigus in aquâ similiter efficit frigus: licèt enim possint ignis & aqua qualitates hasce producere, magis tamen connaturale est ut producantur à calore & frigore, tanquam à causis magis his effectibus proportionatis, utpote univocis. Quare, inquit Arriaga, si ignis miraculosè existeret sine omni calore, produceret calorem in passo sibi applicato.

1. Sent. ait posse substantiam producere extra se accidens.

Hæc sententia nunquam mihi placuit; unde dico primò: hujusmodi accidentia non posse omnino ab igne vel aquâ produci in subjecto ab iis distincto, idque quantumvis aut ignis sine omni calore, aut aqua sine frigore miraculosè constitueretur.

II. *Probabilius est non posse.*

Probatur primò: si substantia sola posset producere calorem ex. g. in extraneo subjecto, non est cur ei daretur calor operativus, vel productivus caloris. Conf. substantia sola secundùm adversarios sine concursu accidentis potest producere aliam substantiam, & sine concursu etiam accidentis potest producere accidentia, ad quid ergo illi dantur accidentia? Dices; ut sint dispositiones & ornamentum substantiæ. Contrà, ad quid saltem dantur ei accidentia operativa? nam videmus primas qualitates non dari solùm ut ornamentum substantiæ, sed etiam ut adiumentum, quod tamen esset omnino superfluum, si substantia per se efficere posset, quicquid potest accidens: sicut frustra calori daretur alius calor per quem produceret calorem, cùm per se id possit.

III. *Primæ qualitates dantur substantiæ, non ut ornamentũ tantùm, sed adjumentũ.*

Dices; licèt possit ignis producere calorem, non tamen producit, quando adest calor, quia non est connaturale causæ æquivocæ agere in præsentia univocæ. Contrà, si ignis per se solum, & sine alterius adminiculo, sit productivus caloris, superfluus esset calor, & causa hæc univoca, cùm nullus sit finis, cur ei detur calor productivus caloris, si ignis per se sit caloris productivus: sicut si nix, lac, paries &c. essent alba per se & suam substantiam, superflua in iis esset albedo, imò impossibilis: sicut propterea dicunt omnes unionem non uniri aliâ unione, nec actionem aliâ actione produci.

IV. *Calor activus additus igni esset superfluus.*

Conf. sic enim daretur virtus naturalis ad effectum, quem nunquam posset naturaliter producere; sol enim secundùm adversarios habet vim producendi lucem in subjecto extraneo, quam tamen, non ex accidente tantùm, sed etiam per se nunquam potest in eo producere, cùm petat semper primò in se lucem producere, & illâ productâ, sol non potest lucem in alio subjecto efficere, sed produci semper secundùm ipsos debet à solâ luce in sole existente. Idem est in aliis substantiis respectu accidentium.

V. *Daretur virtus naturalis ad effectum naturaliter impossibilẽ.*

Secundò probatur Conclusio: si substantia sola potest, producere accidens, ergo aqua calida frigefaciet, seu producet frigus in manu, si quis eam illi inferat, præsertim si non sit in aquâ valde intensus calor, cujus tamen contrarium manifestâ constat experientiâ.

VI. *Aqua calida frigefaceret.*

Dices; est magis connaturale calori producere calorem quia est causa univoca, quàm aquæ producere frigiditatem, utpote quæ solùm est causæ æquivoca, ac propterea tunc producitur calor in manu, non frigus. Contrà primò, ponamus ergo aquam esse magis frigidam quàm calidam, tunc saltem aqua producet intensum frigus in manu cùm sit causa necessaria, & possit, nihilque sit quod impediat; cujus tamen contrarium indies experimur, nunquam sci. intensius frigus in manu produci, quàm sit in aquâ, ergo signum est substantiam aquæ non posse producere frigus in manu. Contrà secundò, sæpe causa æquivoca operatur in præsentiâ univocæ; si enim piper intensè frigidum opponatur linguæ statim in ea producit intensum calorem, cùm tamen frigus formale quod in pipere reperitur, non agat in linguam, sub calor virtualis, ergo non semper operatur causa univoca in præsentia æquivocæ, sed è contra, cum ibi piper in præsentiâ frigoris, quod in se habet, producat in linguâ calorem intensum per calorem virtualem: ergo & aqua, si habeat in se vim producendi frigiditatem, etiam in præsentiâ caloris formalis illam producet, vel saltem quando est magis frigida, quam

VII. *Dices conà naturalius ibi operari causam univocam, quàm æquè vocam. Contrà: causa æquivoca sæpe operatur in præsentiâ univocæ.*

quam calida : quod tamen est contra omnem experientiam.

VIII. *Ignis licèt ad intra producat calorem, non tamen ad extra.* Obij. potest substantia producere intra se calorem, vel frigus, ergo & in extraneo subjecto. Nego consequentiam : sicut enim non valet, calor producit calorem, ergo albedo albedinem, quia sc. est experientia in contrarium, ita nec hæc consequentia valet, substantia inter se producit accidens, ergo illud etiam producet in extraneo subjecto : sicut nec valet, ut suprà adverti, accidens solum producit accidens, ergo substantia substantiam, quia sc. omnes experientiæ videntur innuere contrarium, imò potius innuunt à solis accidentibus produci substantias, quàm sine illorum concursu. Deinde nix, lac, cygnus &c. producunt intra se albedinem, & cornus nigredinem, non tamen extra se, ut constat.

IX. *Accidens solum potest producere accidens.* Dico secundò : accidens solum producere potest aliud accidens. Probatur primò in albedine, & omni colore producente speciem visibilem sui, & in quocunque subjecto sint, æquè producunt has species, imò etiam separata ab omni subjecto, ut constat in speciebus Sacramentalibus. Secundò, calor in aquâ calefactâ producit calorem in manu illi insertâ, quod idem præstat frigus, & reliqua accidentia specierum panis & vini in sanctissimo Sacramento.

DISPVTATIO XXVI.

De potentiâ Obedientiali.

Philosophia Christiana. CUm Philosophiam, non profanam, & ethnicam, sed Christianam, & Theologiæ subservientem doceamus, dum de causis agimus, quæstio hæc, quæ ad gravissimas in Theologiâ difficultates enodandas maximè conducit, non est omittenda, quam tamen quâ potero brevitate expediam.

SECTIO PRIMA.

Quid sit potentia obedientialis.

I. *Plurimi hac in re sunt dicendi modi.* INfinitus essem si omnes hac in re dicendi modos recenserem, resque foret & confusionis, & tædij plenissima. Præcipua ergo tantùm nonnullorum placita referam, deinde quid in hac quæstione tenendum sit, aperiam.

II. *1. Sent. ait potentiam obed. esse non-repugnantiam ad obediendū creatori.* Zumel citatus à P. Hurt. d. 9. Ph. s. 14. subsec. 3. §. 199. docet potentiam obedientialem esse non-repugnantiam creaturæ ad obediendum creatori. Sed si intelligat hæc sententia non-repugnantiam formalem, seu veram negationem, apertè refellitur, nam sicut omnis potentia, ita & obedientialis est vera virtus, & aptitudo aliquid recipiendi vel efficiendi, sed negatio nihil in se vel efficere potest vel recipere, ut constat; omnis enim effectio realis & physica est à potentiâ aliquâ reali, sicut & quicquid reale recipitur, in subjecto reali recipiatur necesse est. Fortè ergo per non-repugnantiam intelligit Zumel non-repugnantiam solùm radicalem, seu entitatem fundantem non-repugnantiam formalem, & negationem illam, tunc autem verum habere potest ipsius opinio, ut videbimus.

III. *2. Sent. docet eam consistere in qualitate superadditâ.* Thomistæ communiter affirmant potentiam obedientialem consistere in qualitate quadam animæ infusâ, per quam efficit, & recipit effectus supernaturales. Sed contrà primò, anima Christi non recipit unionem Hypostaticam mediâ ullâ hujusmodi qualitate superadditâ. Contrà secundò, & præcipuè : anima recipit immediatè hanc qualitatem sine ope alterius, sed hæc qualitas est supernaturalis, ergo dicendum vel potentiam obedientialem non consistere in hujusmodi qualitate superadditâ, vel dari processum in infinitum : si enim anima ad recipiendam gratiam, quia supernaturalis qualitas est, eget qualitate supernaturali superadditâ, egebit etiam aliâ ad qualitatem hanc recipiendam, cùm etiam sit supernaturalis, & sic in infinitum.

IV. Ut ergo explicetur quid sit potentia obedientialis, notandum, potentiam propriè dictam duplicem esse ; *activam*, quæ est vis aliquid agendi, & *passivam*, quæ est virtus, seu aptitudo aliquid recipiendi, vel etiam sustentandi. Utraque hæc potentia tam activa, quàm passiva est etiam duplex ; naturalis & supernaturalis : *activa* naturalis dicitur in ordine ad illos effectos quos producere res aliqua potest cum concursu generali Dei, sibi juxta communem rerum ordinem ac dispositionem debito, simul cum iis comprincipiis, quæ juxta naturæ leges adjungi possunt, ad illos nimirum effectus, ad quos res dicit proportionem naturalem. Ex. g. intellectus creatus vim habet naturalem cognoscendi Deum abstractivè, per actum scilicet abstractivum in entitate naturalem, quia nimirum ex suis viribus, & virtute naturali conjungi potest cum omnibus comprincipiis ad hoc requisitis. Unde similiter potentia *passiva naturalis* est in ordine ad formas sibi proportionatas, seu quas juxta communem cursum rerum potest recipere. Potentia *activa supernaturalis*, seu obedientialis est potentia in ordine ad effectus illos quos ex viribus propriis, & secundùm communes naturæ leges nequit efficere : sicut & *passiva supernaturalis* est in ordine ad formas illas, quas ex natura sua recipere non potest.

Potentia duplex, activa, & passiva, *Naturalis & supernaturalis.*

V. *Potentia supernaturalis quoad substantiam & quoad modum.* Dicitur autem supernaturalis potentia vel quoad substantiam, quando sc. effectus vel forma est quoad substantiam supernaturalis, ut gratia : vel quoad modum, ut restitutio visûs : vel quoad utrumque, ut si Deus Angelum in duobus locis statueret per alteram vel utramque ubicationem supernaturalem : & totidem modis dicitur etiam potentia aliqua naturalis.

VI. Est autem hæc obedientialis potentia substantialis vel accidentalis, naturalis vel supernaturalis entitativè, & materialiter, prout fuerit entitas quæ elevatur ad operandum, substantia, vel accidens, supernaturalis, vel naturalis : ut si Angelus vel gratia elevetur ad creandum alterum Angelum. Unde si albedo elevaretur ad producendum ignem, vel gratiam, operaretur ut naturalis, vel accidentalis potentia, si ly *ut* appellet supra entitatem meram rei producentis, non verò si appellet supra concursum, cùm concursus ille sit supernaturalis, & albedini indebitus. Vocatur verò potentia obedientialis quia in operando non tam procedit secundùm statutas naturæ leges, quàm secundùm Imperium Dei, cui res quævis in omnibus, ubi non involvitur contradictio, obedit.

Potentia obedientialis unde dicta.

VII. *Declaratur potentia obedientialis.* Est itaque potentia obedientialis formaliter ipsa entitas rei, quæ elevatur, connotans extraordinarium concursum Dei, volentis cum ipsâ concurrere ad opus aliquod supra naturales illius vires, & exigentiâ tam

tam rei illius, quàm comprincipiorum, quibus secundùm communem cursum rerum conjungi potest ad operandum Connotatio verò hæc nihil aliud est quàm voluntas Divina conjuncta extrinsecè cum potentiâ naturali ad actum aliquem supernaturalem, & ipsi indebitum, seu quem ex naturâ suâ non exigit nec producere potest, cùm vel quoad substantiam, vel quoad modum non habeat cum illo effectu proportionem. In quo differt à potentiâ merè naturali, quæ licèt sine voluntate Dei nihil possit, exigit tamen illam sibi, ut causa naturalis est, connaturaliter debitâ. Unde potentia obedientialis rei quæ elevatur, est partim intrinseca, partim extrinseca.

VIII. *Potentia obedientialis passiva.* Non tamen ita voluntas Dei constituit potentiâ obedientialem passivam, ut ipsa voluntas partialiter recipiat formam, sed quia efficit ut recipiatur in subjecto, seu in potentiâ creatâ, aliquidsc. supernaturale producendo. Voluntas tamen Dei aut habitus supernaturalis constituit partialiter potentiam obedientialem activam, ut comprincipium simul eũ ea coëfficiens, & partialiter producens effectum.

IX. *Potentia obed. quoad rectum frequenter est naturalis.* Dices; hinc sequi potentiam obedientialem esse naturalem, cùm sit rei cujusque naturalis entitas. Resp. multum hîc esse de nomine, de re enim certum est res naturales ad effectus varios elevari, quos solis naturæ viribus efficere non possunt, ut cùm anima elevatur ad actum visionis Dei eliciendum, humanitas Christi ad unionem Hypostaticam, &c. Dico itaque potentiam obedientialem rei naturalis esse quoad rectum naturalem, virtutem sc. ipsam & entitatem rei aptam elevari, in obliquo verò esse supernaturalem, voluntatem sc. talem Dei creaturæ indebitam.

X. *Potentia obed. activa, passiva, terminativa.* Potentia hæc obedientialis triplex est: *activa*, ut si musca elevaretur ad creandum Angelum: & *passiva*, quæ etiam est duplex, *receptiva*, ut si Angelus vel anima elevaretur ad recipiendam gratiam productam per actionem creativam, & *sustentativa*, quâ sc. de facto anima influit in gratiam, & actus supernaturales, eosque sustentat. Tertia est potentia obedientialis *terminativa*, ut cùm accidens creatur.

XI. *Latiùs patet potentia obed. activa quàm passiva.* Solùm noto, latiùs patere potentiam obedientialem activam, quàm passivam: esto enim elevari possit Angelus ad producendum alium Angelum, aut materiam primam, non tamen potest elevari ad alium Angelum vel materiam recipiendam, cùm omnis aptitudo ad recipiendum, incompletionem in câ ratione dicat in qua debet aliud recipere, & ab eo informari.

SECTIO II.

Vtrùm in animâ & Angelo detur potentia obedientialis.

I. *In Angelo, & animâ est potentia obedientialis.* DIcendum, in anima rationali & Angelo reperiri potentiam obedientialem activam, & passivam ad varios effectus supernaturales. Ita Bellar. l. 6. de Gra. & lib. arb. Suar. Tom. 1. in 3. p. d. 31. Mol. 1. p. q. 12. ar. 5. d. 2. Vasq. 1. p. d. 43. c. 4. num 1. & 12. Val. 1. p. d. 1. qu. 12. Hurt. hîc d. 9. s. 14 Arria. hîc d. 11. s. 4. Ovied. hîc c. 9. p. 6. & alij.

II. *Probatur ex variis effectibus supernaturalibus.* Probatur primò: anima rationalis recipit in se varios effectus supernaturales, ad quos, ex suis viribus & naturâ, nullam dicit proportionem, ut sunt unio Hypostatica, gratia habitualis, habitus supernaturales Fidei, Spei, Charitatis, & omnium virtutum. Quòd verò unio Hypostatica recipiatur immediatè in subitantiâ animæ, & non medio aliquo accidente supernaturali, constat; nam alioqui faceret unum per accidens, & non per se cum humanitate & verbo: deinde, ut suprà arguebã, daretur processus in infinitum, cùm ad hoc accidens supernaturale recipiendum requireretur aliud, & ad illud aliud, & sic in infinitum.

III. *Angelus, & anima eliciunt varios actus supernaturales.* Secundò probatur conclusio de potentiâ obedientiali activâ animæ & Angeli: anima producit varios actus intellectûs & voluntatis, ad quos ex naturâ suâ est omnino improportionata, ergo non potest hos elicere per virtutem omnino naturalem, sed ut est elevata per auxilium aliquod supernaturale. Antecedens constat in actibus supernaturalibus Fidei, Spei, Charitatis, & aliarum virtutum, ergo ad hujusmodi actus habet anima obedientialem potentiam activam.

IV. *Ostenditur animam, & potentias concurrere immediate ad actus supernaturales,* Dices, animam aut potentias, intellectum sc. aut voluntatem, non concurrere immediatè ad actus illos supernaturales, sed eos produci immediatè à solis habitibus supernaturalibus Fidei, Spei, Charitatis &c. Contrà primò, ergo non alio modo producit intellectus & voluntas actus supernaturales, quàm aqua calorem in manu, nempe solùm denominativè, vel potiùs non omnino, quia aqua calida non omnino concurrit per se ad calorem in manu producendum. Contrà secundò, habitus charitatis non est vitalis in actu primo, nec liber, ergo actus ab illo solo procedens non potest esse vel vitalis, vel liber, cum quidquid habet actus, hauriat à suo principio. Antecedens probatur, habitus enim illa non potest se determinare pro libito ad operandum, vel non operandum, sed ad hoc eget concursu voluntatis, quæ est potentia libera, & quæ positis omnibus requisitis potest operari, vel non operari. Deinde, si habitus solus elicere & recipere possit actus vitales & liberos, esset voluntas, sicque in homine vel Angelo esset duplex voluntas, naturalis altera, altera supernaturalis.

V. *Sequitur habitum charitatis conservatũ sine subjecto producturũ actum charitatis.* Contrà tertiò, hinc sequeretur, si habitus charitatis conservaretur à Deo separatus ab animâ, & voluntate, sine omni subjecto, adhuc operaretur & produceret actus supernaturales charitatis, sicut calor separatus ab omni subjecto producit calorem. Patet sequela, nam non magis de facto in hac sententiâ concurrit voluntas, vel anima cum habitu illo charitatis, quàm tunc concurreret, cùm nunc secundùm hos auctores, cum eo non omnino concurrat. Dices; saltem nunc unitur habitus ille voluntati, tunc autem non uniretur. Contrà, sola unio cum voluntate non sufficit, ut dicatur habitus ille operari liberè, sicut nec sola unio corporis cum animâ sufficit, ut propterea dicatur corpus propriè operari liberè, & velle aliquid aut intelligere.

VI. *Probatur potentia obedientialis ex Concil. Trid.* Probatur tertiò: dicere animam aut voluntatem physicè ad actus supernaturales Fidei, Spei, Charitatis, & similes non concurrere videtur contra Cõcilium Tridentinum sess. 6. can 4. ubi sic habet, *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereq; passivè se habere; anathema sit.* Ex quibus infertur necessariò debere liberum arbitrium aliquid agere & verè ad actionem concurrere, nam alioqui merè passivè se haberet, & veluti quoddam inanime, ergo non solus habitus, sed ipsa etiam voluntas, seu liberum arbitrium operari debet, seu simul cooperari ad efficiendum actum charitatis.

VII. *Causa remota in tantum solum concurrit, in quantum concurrit proxima.* Confirmatur, causa remota in tantùm solùm est causa effectûs, in quãtum concurrit ad causam proximam, sed voluntas merè passivè concurrit ad habitum illum supernaturalem qui est causa proxima actuum supernaturalium, ergo simpliciter voluntas in actibus supernaturalibus eliciendis merè se habet passivè, quod tamen videtur contra Concilium. Deinde, licèt activè concurreret voluntas ad habi-

tus supernaturales, adhuc definit Concilium post excitationem & motionem Divinam non se habere voluntatem merè passivè, ergo debet physicè simul cum habitu supernaturali concurrere ad eliciendum actum supernaturalem.

VIII. *Aliud est de voluntate, aliud de habitu supernaturali.*

Dices, anima censetur liberè operari, licèt sola voluntas operetur; ergo & voluntas dici poterit operari, licèt solus habitus actum eliciat. Contrà primò, nam antecedens fortè est falsum, de quo in libris de Anima. Contrà secundò, voluntas est potentia vitalis, & libera, ac proinde est aliqua saltem apparentia cur anima denominetur vitaliter & liberè operans per actum liberè à potentiâ liberâ elicitum, hîc autem habitus supernaturalis nihil in se habet vel vitalitatis, vel libertatis, sicque actus ab illo solo procedens nec esset vitalis, nec liber.

DISPUTATIO XXVII.

De potentiâ obedientiali latâ, seu cujusvis ad quodvis.

AD quodvis, inquam, ubi non est specialis repugnantia, ubi enim esset repugnantia vel implicatio, certum est non dari hujusmodi potentiam, cùm dari nequeat ad impossibile. Priùs verò quàm ad res ullas in particulari descendamus, inquirendum num ex eo quòd nulla appareat in re aliqua implicantia, sufficiens fundamentum sit, ut quis prudenter asserat rem illam non implicare, non levis enim inter recentiores est hac de re controversia.

SECTIO PRIMA.

An non-apparentia implicantiæ fundet assensum de rei possibilitate.

I. *Proponitur status quæstionis.*

DOcti quidam recentiores, ut negent potentiam obedientialem latam, hanc consequentiam, *non apparet implicantia cur musca elevetur ad creandum Angelum, ergo potest elevari ad eum creandum*, ajunt non esse legitimam, nec ex illo antecedente posse quempiam prudenter inferre, posse muscam per elevationem assumi ad hunc effectum. Licèt enim, inquiunt, implicantia illic non appareat, potest tamen esse, nullius enim tam perspicax est ingenium, quamvis doctus sit, & his in rebus versatus, ut omnia, quæ in re aliquâ latent, discernat. Quare, negant in his circumstantijs prudenter judicatarum quemquam, vel posse muscam ad hunc effectum elevari, vel non posse, sed ajunt suspendendum esse judicium. Et ex hoc principio non admittunt potentiam obedientialem latam, ut vocant, quâ sc. res quævis quidlibet fermè efficiat.

Prima sententia est negativa.

II. *Secunda affirmativa.*

Alij è contrà, sicut si revera nulla sit implicantia, res est possibilis; ita si nulla appareat, seu nihil absurdi, aut ridiculi, ajunt prudenter affirmari posse rem illam esse possibilem. Acris utrimque est disceptatio, quid in hac re sentiam, sequentibus conclusionibus declarabo.

III. *Non valet semper hæc consequentia,* Non apparet implicantia, ergo res potest esse.

Dico primò: universim loquendo, hæc consequentia non rectè semper deducitur, *non apparet implicantia quominùs res aliqua sit, vel esse possit, ergo est res illa, vel potest esse.* Hanc conclusionem neminem existimo negaturum. Duplici verò ex capite fieri potest ut hæc consequentia non teneat, ex parte sc. intellectûs judicantis, & rei de qua fertur judicium. Sic si rusticus, aut ignarus aliquis re quapiam objectâ, statim eam vel possibilem esse pronunciaret, vel impossibilem, haud dubiè imprudenter faceret, cùm ist hæc captum ejus superent: meritò proinde de eorum numero censendus esset, *qui ad pauca respicientes definiunt.*

IV. *Intellectus hîc judicaret sicut cæcus de coloribus.*

Ex parte verò rei judicatæ tunc contingit prudenter ferri judicium non posse, quando est planè improportionata, ita ut intellectus nihil omnino inveniat, in quo figat pedem. Sic, imprudenter quis judicaverit astra vel paria esse, vel imparia, cùm huic objecto oculos mentis habeamus clausos, & de hoc ferre judicium perinde est, ac si *cæcus judicaret de coloribus*, & quis hîc existens judicare vellet qua parte ventus flet apud Antipodas.

V.

Dico secundò: ex eo quòd non appareat implicantia, non potest quis (nisi fortè in rarissimo aliquo casu) certò affirmare rem illam non esse impossibilem. In hoc etiam puto non magnam fore inter auctores dissensionem, ex eo enim quòd vir, etiam doctus, in re aliquâ non videat implicantiam, non sequitur manifestè nullam illic implicantiam latere, nec ullum motivum habet ex quo hoc certò pronuntiet.

VI. *Explicatur locus quidam P. Vasquez hac de re.*

Quo sensu existimo loquutum esse P. Vasp. 1. p. d. 75. c. 2. n. 11. illis verbis. *Observandum est*, inquit ut, *asseveremus aliquid à Deo fieri posse, non semper satis esse, non apparere nobis contradictionem aliquam: siquidem reipsa esse potest, etiamsi nobis non appareat.* Nisi malit quis eum explicare quòd velit, ut affirmemus aliquid Deo esse possibile, non semper sufficere quòd nobis non appareat implicantia, quia nimirum, licèt nobis non appareat, habemus tamen auctoritatem aliquorum quòd illic sit aliqua implicantia. Et sanè his modis probabiliter videtur explicari posse: nostram verò sententiam clarissimè docet, ut paulò pòst videbimus.

VII. *Hîc locus Sap. apertè probat non posse res istas scientificè cognosci.*

Hoc etiam probat locus ille scripturæ, Sap. 9. v. 14. *Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ providentiæ nostræ, corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem, & difficilè æstimamus quæ in terrâ sunt, & quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore,* &c. si ergo eorum, quæ nobis ob oculos ponuntur, notitia sit incerta, id est, varijs erroribus intermixta, de ijs certè quæ sensum fugiunt, sunt que per se abstrusissima, qualia sunt possibilitas & impossibilitas rerũ, ægrè cognitionẽ scientificã habere possumus.

VIII. *Primaria hac in re conclusio.*

Dico tertiò: Si viro docto seriâ consideratione rem perpendenti, omnibusque quæ ad ejus impossibilitatem afferuntur sedulò discussis, nulla in ea appareat implicantia, probabiliter & prudenter inferre poterit eam esse possibilem. Hanc existimo communem esse Theologorum & Philosophorum sententiam, qui tum demum probabiliter se rei alicujus possibilitatem ostendisse autumant, dum quæ contra eam opponuntur, solverint.

IX. *Probatur auctoritate Theologorum. P. Suarez.*

Primò ergo Sua. 1. p. l. 2. c. 13. n. 10. postquam dixisset esse possibilem speciem impressam Dei: *ratio*, inquit, *hujus assertionis est, quia nulla contradictionis implicatio, vel repugnantia in hoc invenitur* &c. & l. 1. de Angelis c. 15. n. 3. vbi disputans de possibilitate pluriũ Angelorũ numero tantùm distinctorũ, sic habet: *Contentus ero brevi responsione fundamentorũ, quia eo ipso quod ex parte rei non ostenditur, neque ostendi potest implicantia,*

implicantia, probatur id fieri posse à Deo. Quid clarius? quod & alibi sæpè tradit.

X. *Docet P. Raynaudus non apparentiam implicantiæ verisimiliter ostendere rem esse possibilem.*

Idem docet P. Raynaudus d. 8. Theol. Moral. q. 5. a. 2. n. 300. ubi de hac ipsa re loquens, sic habet. *Si occurrat*, inquit, *contradictio, negandum erit rem esse à Deo factibilem, si non interveniat, fatendum erit eam esse Deo possibilem. Et quamquam, quandiu non probatur positivè quod desit contradictio, tantumq; nulla nobis occurrit, non adsit sufficiens fundamentum absolutè pronunciandi rem esse possibilem, quia potest contradictio latere, & subesse, quamvis non appareat, tamen tunc non habemus unde eam negemus possibilem; & ex anticipato Divinæ perfectionis & potentiæ, nostræ autem in rerum naturâ penetrandâ imbecillitatis præjudicio, simpliciter licet affirmare rem esse possibilem; non quòd talis eo ipso probetur evidenter, sed quòd verisimiliter talis censeatur, cum nulla repugnantia occurrit, examine præmisso.*

XI. *Non rectè à quibusdam citatur P. Raynaudus pro contrario.*

En ut totidem verbis sententiam nostram tradit hic auctor, nempe, licèt ex eo quod non appareat contradictio, non possit quis absolutè, & evidenter seu acti scientifico asserere rem esse possibilem, posse tamen eum simpliciter id affirmare (actu scilicet opinativo, & probabili) *verisimiliter* enim, inquit, *possibilis censetur, cum nulla repugnantia occurrit, examine præmisso.* Cujus verba eo fusiùs retuli, quod nonnulli eum citent pro contrariâ sententiâ.

XII. Idem habet Erice t. 4. d. 40. n. 82. Fasol. 1. p. q. 7. art. 4. d. 12. num. 12. & q. 12. Mol. 1. p. q. 12. d. 1. concl. 4. Valentia t. 4. d. 1. q. 3. p. 3. §. *Ideò plenius* Tanner. 1. p. d. 2. q. 11. d. 4. n. 4. Ripald. l. 1. de ente Supern. d. 11. s. 3. n. 12. Granado tr. de poten. Dei. d. 9. n. 14. Arria. d. 11. Phy. s. 4. Oviedo con. 7. Phy. p. 7. n. 7. & cont. 8. p. 2. §. 2. n. 14. & con. 9. p. 7. §. 2. n. 7. & alij tum recentiores, tum antiqui.

XIII. *Nostram sententiam tenet P. Vasquez.* Tandem Vasq. (quem adversarij à se stare existimant) apertè hoc idem docet 1. p. d. 77. c. 5. n. 18. ubi postquam dixisset creaturam potuisse esse ab æterno, sic subdit: *Hoc autem manifestum erit, si solverimus rationes quæ huic sententiæ solent opponi.* Et 3. p. To. 1. d. 74. c. 7. n. 49. idipsum clarissimè tradit, nempe, si nullam in aliquo objecto implicationem contradictionis inveniamus, sufficere ut potentiam illud producendi tribuamus virtuti Divinæ. Quare non possum non mirari non neminem, qui (licèt multum se operæ in auctoribus hac de re perlegendis posuisse asserat) dicit nihilominus vix quemquam, præter unum P. Arriagam, affirmasse non apparentiam implicantiæ in re aliquâ post maturam illius inspectionem sufficere, ut quis prudenter, ac probabiliter judicet eam non esse impossibilem.

SECTIO II.

Ratione ostenditur, ubi non apparet implicantia, rectè inferri, rem esse possibilem.

I. *Si nulla appareat viro docto implicantia, judicat probabiliter nullam esse.* PRobatur primò; si enim vir doctus, & in hisce rebus versatus, post seriam rei alicujus discussionem, nullam in eâ discernat implicantiam, probabiliter sibi persuadere potest nullam esse: quidni enim adhibitâ sedulâ intellectûs perscrutatione, æquè hoc in re illâ prædicatum adverteret, ac alia advertit, quamvis abdita subinde, & abstrusa, & maximè à sensibus remota? Certè immeritò is temeritatis argueretur; & censeretur improbabiliter discurrere: aut si hic præceps censebitur, quis demum existimabitur prudens?

II. Dices; quantumvis nulla ipsi prædicata contradictoria in re illâ appareant, possunt tamen illic esse, unde errandi se periculo exponit, dum negat ibi latere implicantiam, quæ fortasse illic latet. Sed contrà, si enim idcirco temerè quis procedere censeatur, & errandi se periculo exponere, quòd res aliter se habere possit, quàm ipse judicet, ergo licèt pro implicantiâ in re illâ habeat quis rationem positivam probabilem, imprudenter censebitur assensum præbere, & temerè de eâ judicium ferre, omnis enim ratio probabilis est fallibilis, & in hoc differt à certitudine, ergo res aliter se habere potest, ergo errandi se periculo exponit. Imò hinc ulteriùs sequeretur, neminem rationi probabili, cognitæ ut probabili, posse citra imprudentiæ notam assentiri, cùm, secundùm hunc philosophandi modum, temeritatis se periculo exponeret. *Alioqui, ubi habet probabilem rationem, non posset judicare prudenter.*

III. *Probatur secundò ad hominem.* Probatur secundò: hæc argumentatio in scholis (assentientibus etiam adversariis) semper est habita legitima, *nulla apparet inter res aliquas disparitas, ergo nulla est: nulla apparet necessitas statuendi unionem distinctam inter animam & corpus, actionem inter agens & terminum, ergo nulla est actio vel unio ab iis distincta,* & alia hujusmodi. Et hinc ortum habuit principium illud, *equus Ockami* dictum, *non sunt multiplicanda entia sine necessitate*, quod in scholâ Nominalium semper Graculi instar est habitum. Sicut ergo ibi secundùm omnes nulla censetur esse disparitas, aut talis vel talis entitatis necessitas, ubi nulla apparet, meritò etiam censebitur nulla esse implicantia, ubi similiter nulla apparet.

IV. *Hoc principium influit in omnem opinionem probabilem.* Probatur tertiò: & ostendo hoc principium, non in casu solùm præsenti, non apparentis sc. implicantiæ, sed in omnem opinionem probabilem influere. Inquiro itaque, cur viri, etiam docti (quod frequenter fit) ubi ob rationes quasdam probabiles opinionem aliquam tenuerant, posteà tamen eam deserunt, & feruntur in oppositum? Dices; quia jam, re meliùs consideratâ, novæ apparent rationes, quæ anteà non apparebant, quarum efficaciâ, vis priorum argumentorum retunditur, & novâ obortâ luce, mens primâ relictâ, aliam opinionem amplectitur. Contrà, ergo adæquata ratio, cur priori sententiæ adhærebant, non erant solæ illæ rationes, sed simul etiam non apparentia rationis fortioris in contrarium, hac enim illucescente, mens statim resilit, & prioribus tum rationibus, tum conclusione relicta, contrariis adhæresci.

V. *Probatur quartò ex modo procedendi mentis humanæ.* Probatur quartò: humana mens, ut quotidianâ constat experientia, longè proclivior est, ut implicantiam illic esse judicet ubi non est, quàm ut possibilitatem appingat rei quæ verè est impossibilis, sicque in hoc secundo rariùs error contingit, in priori frequentissimè, ut constat in mysterio Trinitatis, Incarnationis, & aliis plurimis, quæ humana ratio planè judicabat impossibilia, re tamen verâ erant possibilia. In quam rem appositissimè Apostolus 1. ad Cor. c. 1. v. 20. *Stultam*, inquit, *fecit Deus sapientiam hujus mundi*, illa sc. divinâ virtute fieri posse ostendendo, quæ homines stultâ suâ sapientiâ firmissimè judicabant in se implicantiam involvere. Sic in rerum creatione stultum ostendit illud Philosophorum oraculum, *Ex nihilo nihil fit*, quo ducti mundum statuebant ab æterno. Sic in sacrosanctâ Eucharistiâ, stulta illa alia principia probavit, *Accidens non potest esse sine subjecto, corpus nequit esse in duobus locis*, & similia, quæ quantumvis lumen naturale judicabat impossibilia, Dei tamen virtus declaravit esse possibilia. Unde in hæc ipsa verba sic ad rem nostram scribit S. Augustinus, *Sapientiam hujus mundi fecit Deus stultam, faciendo & declarando esse possibile, quod ipsa judicat impossibile.* Quod etiam expresè docet S. Anselmus l. 2. *Cur homo Deus*, & alij. *Stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi.* *S. Augustinus.* *S. Anselmus.*

Hæc eò adduxi, ut probem intellectum humanum multò magis pronum esse ad inveniendas in VI.

re aliquâ difficultates, quàm ad solvendas: quod cùm viro docto compertum sit, ipso facto quòd post sedulam disquisitionem nullam in re menti objectam implicantiam reperiat, (ad quam reperiendam omnes sunt adeò proclives, & quodam naturæ impetu feruntur) prudenter sibi persuadere potest nullam esse, facilè enim appareret implicantia quæ est, cùm plurimæ rem quampiam consideranti ingerere se ultro soleant, quæ non sunt.

Mens humana multò promptior est ad inveniendas difficultates, quàm ad solvendas.

VII. *Explicatur sensus cujusdam P. Suarij.*

Hoc & nihil aliud vult P. Suar. loco ab adversariis pro suâ sententiâ citato, d. 30. Met. s. 17. n. 26. ubi ait, intellectum humanum fidei lumine destitutum facilè in mysteriis fidei decipi, impossibilitatem sc. ubi non est, imaginando; quia nimirum multò proclivior est ad difficultates & implicantias in re aliquâ excogitandas, quàm solvendas. *Unde*, inquit, *ubi in hujusmodi rebus impossibilitas se ejus menti ingerit, meritò suspendit judicium.* Hoc autem nihil facit contra nos; imò confirmat potiùs hanc probationem nostræ conclusionis, quam manifestum est Suarium tenuisse, ut clarè ostensum est s. 8. n. 9 Dici etiàm posset eum primâ parte, & in operibus illis metaphysicâ posterioribus mutasse sententiam.

VIII. *Non est hoc lumen merè negativum.*

Hinc infero, lumen hoc, quo quis judicat, rem in qua nulla apparet implicantia, esse possibilem, non esse merè negativum, sed probabile, & positivum ad hoc asserendam deduci argumentum. Deinde, quæstio procedit de viro docto, eoque non cursim, & levi solùm oculorum conjectu rem intuente, sic enim nihil distaret ab indocto, sed seriâ consideratione eam perpendente, & omnibus accuratè discussis, implicantias quæ occurrunt, solvente: hinc autem non videtur dubium quin probabile de illius possibilitate formare possit judicium. Et licèt subinde erret, prudenter tamen errat, nec quisquam vitio ei vertere potest, si fallatur. Sin autem velint aliquem ex re obiter tantùm inspectâ, judicium de illius possibilitate ferre, quòd primò statim aspectu nulla in ea appareat implicantia, opinionem impugnat, quam, ut existimo, nemo tenet. Dicunt enim omnes debere primò rem maturè perpendi: secundò, objectiones accuratè solvi, & alia quæ in probatione nostræ sententiæ totâ hac sectione sunt allata: quæ, ut opinor, abundè sufficiunt ad sententiam prudenter & probabiliter de rei alicujus possibilitate ferendam.

Qui, re seriò inspectâ, in judicando errat, inculpatè errat.

SECTIO III.

Objectiones contendentes, ex non apparentia implicantiæ non rectè inferri rei alicujus possibilitatem.

I. MUlta eruditè congerunt adversarij, ut hoc suum placitum illustrent, nullique vel labori parcunt vel industriæ, ut illius probabilitatem declarent, digni meliore causâ cui se patronos præstent.

II. *Opponitur S. Augustinus.*

Opponunt ergo primò auctoritatem quorundam Patrum: nam S. Augustinus adversus Julianum, de peccato originali disputans, rei difficultate oppressus, sic scribit; *Quid autem horum sit verum, libentiùs disco quàm dico, ne videar docere quod nescio.* Sixtus item Senensis l. 4. in magnâ Originis laude ponendum censet, quòd nihil temerè definierit. Sed contrà, hæc enim nos nullo modo tangunt, qui non minùs, quàm adversarij, asserimus non esse temerè de re ullâ pronuntiandum. Dicimus tamen sicut prudenter nonnunquam suspenditur judicium, ubi id rei gravitas postulat, ita, dum probabilis in partem alteram apparet ratio, non sine vitio tantùm, sed etiam cum laude ferri posse sententiam. Hîc autem sufficientem esse rationem ostensum est sec. præcedente.

Origines.

Non sine vitio tantùm, sed cum laude subinde fertur sententia.

Opponunt secundò; lumen naturale est admodum debile, quodque in rebus etiam ante oculos positis, in dies cæcutire animadvertimus, quanto ergo magis in abditis, & à sensuum experimento remotis deficiet. Sed contrà, ergo etiamsi habeat quis rationem probabilem de possibilitate vel impossibilitate alicujus rei, non poterit prudenter de eâ ferre judicium, cùm lumen naturale sit admodum debile, & infirmum, quod tamen negant adversarij: de quo plura dixi sec. 2. n. 2. Resp. itaque hoc ad summum probare, non posse quemquam certò inferre possibilitatem alicujus rei ex non apparentiâ implicantiæ, non tamen, non posse id inferre probabiliter, cùm hoc ipso quòd vir doctus rem plenè discutienti nulla appareat implicantia, prudenter judicare possit nullam esse: ut suprà ostendi s. 1. n. 5. & s. 2. per totam. III. *Non obstat lumen naturale debile.*

Opponunt tertiò; non potest quis ex eo quòd nulla appareat implicantia, prudenter judicare de stellis, pares sint an impares, ergo nec rem esse possibilem, ex eo quod nulla appareat implicantia, cùm sit solùm lumen negativum. Nego consequentiam, cujus rationem suprà reddidi s. 1. n. 4. & s. 2. n. octavo. IV.

Ad id verò quod objicitur, hoc esse lumen negativum. Resp. primò, aliquando ex lumine negativo rectè inferri consequentiam: sicut ex eo quòd quis oculis apertis in hoc gymnasio non videat elephantem, rectè intulerit hîc non esse elephantem. Sicut ergo in hoc casu secundùm omnes, ex lumine negativo infertur tanquam certum certitudine physicâ, hîc non esse elephantem, ita in nostro casu inferetur tanquam probabile nullam in re hac esse implicantiam. Deinde dico hoc non esse lumen merè negativum, cùm non ex solâ quacunque non apparentiâ implicantiæ oriatur hoc judicium, sed ex plenâ rei discussione, & argumentorum solutione, quæ arguunt lumen plusquam negativum. V. *Aliquid subinde infertur ex lumine negativo.*

Dices; disparem esse rationem in illo casu de elephante, & de implicantiâ, vir enim ille oculos habet, & lucem per quam objecta discernat, intellectus autem in rebus his abstrusis, nec lucem habet, nec oculos, sed cæcutit planè, & quasi palpando incedit in tenebris. VI.

Contrà, adversarij ipsi de rebus longè obscurioribus, magisque abstrusis sæpè ferunt judicium, ut de continuo, infinito, actu libero Dei, & hujusmodi; respectu tamen quorum intellectûs nostri oculus longè potiore jure cæcus dici potest, quàm in quæstione de objecti alicujus implicantiâ. VII. *Argumentum ad hominem.*

Resp. itaque intellectum de rebus, de quibus hîc disputamus, non esse aut luce, aut oculis destitutum, sed sibi & lucem esse & oculos. Unde viri docti, ubi rem aliquam maturè inspexerint, & objecta solverint, persuadere sibi probabiliter possunt nullum in eâ re prædicatum impossibile latere, ut suprà declaratum est: præsertim si aliarum rerum inhibeatur comparatio, vel æquè vel magis difficilium, quas tamen cognoscimus esse possibiles. VIII. *Intellectus hîc rebus non est cæcus.*

Unde Theologi passim in materiâ de Angelis, dum quæritur sintne plures Angeli possibiles, numero tantùm distincti, ubi Angelorum naturam consideraverint, & quæ opponuntur solverint, plures numero tantùm distinctos possibiles esse pronunciant, nec argumentum aliud ad hujus decisionem quæstionis requirunt, ut suprà ex Suario ostendi sec. 1. n. 9. Alioqui dubitare quivis deberet, an aliud aliquod individuum, præter ea quæ de facto creata sunt, sit possibile, alius scilicet sol, aut luna, & similia. IX. *Communis praxis Theologorum.*

Oppo-

X. Opponunt quartò; nisi ratio aliqua positiva ad rei possibilitatem probandam afferatur, non magis sequitur eam esse possibilem quàm impossibilem, ergo in neutram partem prudenter ferri potest judicium. Resp. jam ostensum esse hîc esse argumentum positivum. Deinde, sicut aliquid reipsa esse possibile est illud nulla in se continere prædicata contradictoria, ita apparere illud ut possibile, est cum probabilitate nulla in eo apparere prædicata contradictoria: hoc autem probabiliter hîc ostendi, satis declaratum est hac sectione & præcedente. Sicut si quis argueret, alium mundum similem, à paritate quam cum hoc mundo habet, esse possibilem, & alter negaret paritatem, rectè secundùm omnes eam probaret dicendo nullam apparere disparitatem: quòd si alter adhuc insistat, nec apparere paritatem, malè ab omnibus responderet censeretur, cùm ipso facto quòd res appareant, & nulla in eis disparitas, apparere censeatur paritas. Idem est in præsenti de possibilitate. Alia quædam à nonnullis opponuntur, sed quæ ex dictis facile solvi possunt.

In scholis nihil frequentius quam: Nulla apparet disparitas, ergo nulla est.

SECTIO IV.

An in re quavis detur potentia obedientialis ad producendum quidlibet.

I. PRima sententia est negativa, aitque exceptis iis in quibus fides docet esse vim quandam effectum supernaturalium productricem, res omnes alias suis limitibus coërceri, & certum effectuum quibuscum peculiarem habent connexionem, numerum non excedere, ita Scotus cum suis in 4.d.1.q.4.& 5.Vasq. 1.p.d.176.c.4.& 3.p.d.132.c.6.Raguſa 3.p.d.107. licèt n.11. contrarium probabile esse asserat propter auctoritatem Suarij. Erice 1. p. d. 23. n. 8. Alarcon tract. de Angelis d.9.c.9.hanc etiam sententiam acriter defendit Coninck 3.p.q.62.a.4. & multi amplectuntur ex recentioribus.

Prima sententia negat potentiam obedientialem latam.

II. Secunda sententia affirmat dari in rebus omnibus potentiam innatam seu inchoatam, quam obedientialem vocant, ad effectus supernaturales, ut aquæ ad gratiam, musæ ad Angelum producendum, &c. ita Suar. To.1.in 3 p.d.31.ſ.5.& 6.& d.43.ſ.4.n.9. Arubal To.2.d.181.c.3. in 1. partem. Valen. 3.p.d.1. q.13.pu.2.Mol.1.p.q.45.d.2. *§. ad tertium.* Tanner. to.4. disp.3.q.3. du.3. Hurt.d.9. Phy. ſ.14. subſ. 2. Albert.in primo princip.Philoſ q.7.& in 2.princ.q.1. Arria.d.11.Phy.ſ.4. Mærat.de Sacram.in Genere d. 4. Kelliſ.de Incarn.q.13.a.2. dub.2.& de sacram. q. 62.a.1. dub.2. Oviedo cont.9. Phy.p.7.§.2.n.7. de quibuſdam rebus possibilibus, estque communissima inter recentiores opinio.

Sententia affirmans cum suis auctoribus.

III. Prima conclusio: peculiaris in quibusdam rebus inventa repugnantia obstat, quò minùs in iis ad certos effectus detur potentia obedientialis activa, aut passiva. Quoad activam, inprimis idem elevari nequit ad primò producendum seipsum, cùm existentia pro aliquo priori requiratur ad agendum, ut suprà ostendi d.18.ſ.3. Secundò, nihil elevari potest ad producendam actionem, cùm enim ipsa sit productio, produci per aliam actionem non potest, magis quàm albedo per aliam albedinem reddi alba. Tertiò, nihil elevari potest ad producendum peccatum, odium Dei ex. g. Deus enim ad peccatum peculiari, & indebito modo concurrere non potest. Quoad potentiam etiam passivam, unus Angelus, una materia aut forma substantialis, una etiam albedo, aut quantitas elevari nequit ad informandam aliam. Et sic de aliis.

Res ad quosdam effectus producendos elevari nequeunt.

IV. Secunda conclusio: in re qualibet ubi peculiaris hujusmodi repugnantia non apparet, datur vis quædam innata ad obediendum creatori seu potentia tam activa quàm passiva ad formas & effectus, spectatâ merâ rerum naturâ, iis omnino improportionatos. Ita auctores secundæ sententiæ.

Datur potentia obedientialis lata.

V. Probatur primò ex auctoritate S. Augustini l. 9. de Trin.c.17. ubi universim statuit potentiam aliquam seu aptitudinem in creaturis omnibus ad obediendum creatori, & in elementis ait esse vim quandam, quam vocat *semen occultum* ad effectus naturalem eorum vim excedentes. Deinde ob illud Gen.1. *germinet terra herbam virentem* &c. ait Augustinus *jubente creatore aqua, prima natatilia, & volatilia producit, sicut & terra prima germina, & prima animalia.* Clarissimum verò hac de re S. Augustini testimonium est illud l.5.de Gen.ad literam c.27.ubi cùm vim naturalem rerum descripsisset, subjungit *super hunc autem motum cursumq, rerum naturalem, potestas creatoris habet apud se posse de his omnibus facere aliud quàm eorum quasi seminales*, id est, naturales *rationes habent.*

Probatur primò auctoritate S. August.

VI. Secundò probatur ex S. Thoma, tum aliis locis, tum q.6. de poten.a.4.qui est de miraculis; ubi, licèt affirmet solum Deum, cùm auctor naturæ sit, posse propriâ virtute miracula patrare, alios tamen dicit ex gratiâ, seu favore peculiari posse etiam ea facere, & non moraliter solùm, nempe precibus rem illam impetrando; vel dispositivè, sicut Angeli virtute naturali colligunt pulverem ex quo hominum corpora in resurrectione compinguntur, qui Divinâ virtute reducuntur ad vitam: sed etiam ut supernaturale aliquid operentur, coagendo cum Deo auctore supernaturali, citatque S. Gregorium l. 2. Dialog. dicentem sanctos quandoque miracula operari orando, quandoque ex potestate, & tanquam instrumenta Dei supremi artificis.

Probatur secundò auctoritate S. Thomæ.

Miracula, non quoad modum tantùm, sed quoad substantiam. S. Gregorius.

VII. Idem habet S. Thomas in 4.d.8.q.2.a.3.ad 4. his verbis, *sicut creaturæ inest obedientiæ potentia, ut in eâ fiat quidquid creator disposuit, ita etiam ut eâ mediante fiat, quæ est ratio instrumenti.*

VIII. Tertiò prob. ratione: spectat ad perfectionem & commendationem creatoris, ut possit rem quamlibet ad quosvis effectus adhibere ubi non involvitur implicatio, ut per instrumenta quæque viliſſima effectus nobiliſſimos præstare. Sicut pictori illi maximæ laudi verteretur, qui baculo quovis obvio æquè excellenter pingere, tractuſque artificioſos, ac lineamenta ducere posset, ac quivis alius maximè concinno, & affabrè facto penicillo: & quantò instrumentum quo utitur est imperfectius, tanto major est laus artificis. Cùm ergo nulla in hoc appareat implicatio, quòd Deus per lapidem producat solem, aut per aquam gratiam, quidni eum facere posse dicamus?

Probatur ratione.

IX. Quartò: datur potentia obedientialis in animâ rationali, & Angelo respectu visionis beatificæ, & aliorum actuum supernaturalium, ergo & dari in aliis rebus poterit ad effectus in entitate supernaturales, cùm non sit major improportio inter has, & illos effectus, quàm inter animam, & visionem beatificam.

Quartò probatur à paritate animæ rationalis.

X. Respondet P. Vasq. citatus, in visione beatificâ esse peculiarem formalitatem, quæ correspondet potentiæ vitali, nempe vitalitatem; at in gratiâ nulla est formalitas, quæ correspondeat aquæ. Contrà primò, à parte rei formalitas vitalitatis in visione beatificâ est realiter identifica cum supernaturalitate, ergo quod à parte rei convenit uni, convenit alteri: ergo si à parte rei supernaturalitas sit improportionata intellectui, seu animæ, etiam vitalitas est illi improportionata, & vires illius naturales excedens. Si autem non sumatur intellectus per se, sed conjunctus cum Deo auctore supernaturali, æquè

Refellitur responsio de correspondentia formalitatum.

proportionata est aqua, cum auxilio supernaturali, ad producendam gratiam, ac intellectus cum eodem ad visionem beatificam.

X. *Secundò refellitur eadem responsio.* Contrà secundò, tantam habet proportionem in prædicatis, & formalitatibus potentia cognitiva bruti cum actu intellectûs naturali, ac potentia intellectiva cum visione supernaturali; sicut enim hæ conveniunt in ratione entis, accidentis, qualitatis, & repræsentationis spiritualis, solumque est improportio in ratione supernaturalitatis, ita ibi in reliquis conveniunt, præterquam in ratione spiritualitatis: sicut ergo in uno casu distantia unius formalitatis potest suppleri à Deo, quidni poterit in altero? nec facilè reddi potest ratio, cur non æquè possit res corporea, sive substantia sit, sive accidens, elevari ad producendum rem spiritualem, ac res naturalis rem supernaturalem.

XI. *Instantiæ variæ contra negantes potentiam obedientialem.* Contrà tertiò, saltem nulla reddi potest ratio secundùm hanc responsionem, cur non possit unus Angelus, vel anima elevari ad producendum aliam animam, vel Angelum, aut saltem ad producendum formam ignis & aquæ, vel alterius substantiæ, aut accidentis, naturâ suâ generabilis; cur etiam unum lumen gloriæ elevari nequeat ad producendum aliud, sol ad alium solem, albedo ad albedinem, & sic aliis.

XII. Quartò probatur conclusio: instrumentum eo plus potest, quo perfectiori agenti principali conjungitur, calor ex. g. solus producere tantum potest calorem, vel accidens; conjunctus substantiæ potest producere substantiam, ut cum igne ignem, cum sole metalla &c. cum semine & plantis efficere potest generationem & nutritionem plantarum. Unde Aristoteles 2. de Anima, tex. 40. & 41. ait *ignem*, id est, calorem, *cum animâ primâ*, scilicet vegetativâ, *efficere nutritionem in plantis & aliis viventibus*: conjunctus verò calor cum animali, producit animal, ergo cum Deo producere potest omnia, omnia, inquam, in quibus non involvitur implicantia, cùm secundùm majorem vel minorem vim causæ principalis, plura vel pauciora possit instrumentum, ut vidimus. Conf. puer, ex se debilis, conjunctus viro potest magnum aliquod pondus elevare, ad quod ex se est impar, & cum pluribus & fortioribus concausis potest majus & majus pondus elevare in infinitum, ergo & creatura, quantumvis imperfecta, & paucarum ex se virium, conjuncta tamen Deo poterit quidlibet.

Calor cum animâ primâ efficit nutritionem.

Quo fortior est causa principalis, eo plura potest instrumentum.

XIII. Quintò probatur: datur in materiâ primâ potentia obedientialis passiva ad unionem Hypostaticam, ut constat in corpore Christi, unde deducunt aliqui ex adversariis formas etiam materiales habere potentiam ad eandem unionem; sicque in Christo assumptos à Verbo fuisse dicunt Theologi quatuor humores humani corporis, capillos etiam, ungues, dentes &c. & quoad sanguinem affirmat S. Thomas 3 p.q. 5. art. 2. fuisse etiam in triduo unitum Verbo, imò ait Suares in 3.p.d.15.sect.6.contrarium hoc tempore sine errore defendi non posse, cùm tamen hoc non habeatur immediatè ex revelatione, sed solùm à paritate rationis deducatur per discursum. Quidni ergo similiter per discursum deducere licebit in aliis etiam rebus, præter animam, dari potentiam obedientialem ad producendum res supernaturales? cùm, stando præcisè in lumine naturali, longè magis superet captum nostri intellectûs, quomodo possit elevari lapis, ut sit Deus, quàm quomodo elevari possit ad producendum ignem, solem, vel etiam gratiam.

Probatur à paritate potentiæ passivæ.

XIV. Conf. primò, si sit possibile corpus simplex, non puto negaturos adversarios quin per consequentias deduci à paritate rationis possit, assumi illud posse à Verbo, sicut & Angelum assumi posse affirmant omnes, quia potest anima: quidni ergo sicut potest anima & Angelus producere effectus supernaturales, non poterunt aliæ res eosdem producere? Conf. secundò, si in materiâ sit potentia obedientialis passiva ad unionem Hypostaticam, quæ est sanctitas substantialis, & perfectissima, quidni & ad gratiam habitualem, & alia dona supernaturalia recipienda? Conf. tertiò, alioqui posset quis similiter dicere sola accidentia posse conservari sine objecto, quia hoc scimus in speciebus sacramentalibus contingere, non verò posse formas substantiales: sin verò ab accidentibus ad formas licet deducere argumentum circa existentiam sine subjecto, quidni & ab intellectu ad alias res in ordine ad productionem effectuum supernaturalium?

Variæ probationes à paritate rationis.

SECTIO V.

Argumenta contra potentiam obedientialem.

OBjicitur primò: potentia illa in aquâ (idem est de aliis rebus) respectu productionis gratiæ, non est proportionata effectui, ergo non potest illam producere. Contrà, nec anima est proportionata respectu actuum supernaturalium. Distinguo itaque consequens, ergo non potest eam producere ante elevationem, concedo consequentiam; post elevationem, nego. Urgebis, elevatio non immutat entitatem aquæ, ergo si ante elevationem erat improportionata, erit & post. Nego consequentiam, licet enim nihil virtutis intrinsecæ ei addat elevatio, addit tamen aliquid extrinsecum, sine quo non potest omninò operari: sicut etiam in rebus & potentiis naturalibus contingit, ignis enim sine concursu Dei in actu primo seu voluntate concurrendi, non potest agere, potest cum illâ, licèt hæc nihil addat igni virtutis intrinsecæ. I.

Quomodo aqua elevetur ad producendam gratiam.

Instabis, ante elevationem non erat intrinsecè potens, post eam intrinsecè potens, ergo elevatio in hac sententiâ addere debet aliquid intrinsecum, cùm jam intrinsecè aliquid habeat, quod antea non habebat. Contrà, idem argumentum fieri posset de concursu Dei cum causis naturalibus, hic tamen nihil ponit in illis intrinsecum. Resp. ergo negando suppositum, esse enim aliquid potens dicit duo, intrinsecum unum, entitatem scilicet ipsam rei, extrinsecum alterum, nempe elevationem, vel alteram concausam. Ante elevationem ergo, solùm erat potens inadæquatè, quia defuit ipsi illud per quod redditur potens completè. II.

Esse rem creatam potentem ad operandum dicit duo.

Objicitur secundò: effectus non exigit talem causam, nec causa talem concursum, ergo non potest vel divinitùs illum habere. Contrà, accidentia non exigunt actionem creativam, qua conserventur, nec corpus ubicationem definitivam, quâ modo spirituali existat, aut ut sit in duobus locis, nec duo corpora ut sint inter se penetrata, & sic de aliis, & tamen possunt hæc habere divinitus. III.

Multa habent possunt divinitùs, quæ non exigunt.

Objicitur tertiò: si sit possibilis hæc potentia, humanitatis Christi eam habuit ad patranda miracula, sed non habuit, ergo. Minor probatur, Patres enim duo distinguunt operum genera, unum solius Divinitatis, & hoc dicunt esse patrare miracula, alterum humanitatis, ut ambulare, loqui, pati &c. Unde S. Leo in Decretali decima ad Flavianum de Christo sic habet: *Agit utraque forma cum alterius communione quod proprium est, verbo scilicet operante quod Verbi est, carne exequente quod carnis est: unum horum coruscat miraculis, (nempe Divinitas) aliud succumbit injuriis.* At certè dum Patres dicunt patrare miracula esse opus solius IV.

S. Leo.

In humanitate Christi fuit vis patrandi miracula.

solius Divinitatis, sicut ambulare, loqui, comedere &c. sunt opera solius Humanitatis, manifestè ostendunt se non excludere omnem concursum humanitatis à miraculis, sicut nec excludere possunt omnem concursum Divinitatis actionibus Humanitatis; unde sicut juxta S. Leonem caro exequitur quod est carnis, licèt Deus concurrat, ita juxta eundem, Verbum exequi potest quod Verbi est, licèt concurrat Humanitas.

V. *Cur dicant Patres miracula esse opera solius Divinitatis.*

Ideo ergo dicunt Patres miracula esse opera solius Divinitatis, quia tanto intervallo superant omnes vires Humanitatis secundùm se sumptæ, ut nihil quasi ad illa conferre videatur: sicut cùm puer aliquis simul cum viro levat ingens pondus, vel cùm peritus scriptor, aut pictor ducit alterius manum, dicimus puerum nihil facere, & rudem illum cujus manus ducitur, nihil in artificiosis illis figuris & tractibus habere, sed quidquid est artificij, alteri tribuimus, licèt Physicè hic etiam ad opus illud artificiosum concurrat, sic dicitur Deus *solus bonus*, *solus habere immortalitatem*, & Propheta regius dicit, *tibi soli peccavi*, licèt certum sit eum homines etiam peccato illo offendisse.

VI. *Deus non potest supplere defectum causæ formalis.*

Objicitur quartò: non potest Deus facere ut lapis intelligat, aut brutum videat Deum, ergo nec commendat quidquam potentiam Divinam, quòd efficere possit ut aqua producat gratiam, nec quidquam derogat quod non possit. Nego consequentiam, Deus enim, sicut impedire non potest effectum formalem formæ in subjecto apto, ita nec supplere illius defectum; Deus quippe in genere causæ materialis, aut formalis concurrere non potest, nec hoc arguit imperfectionem aliquam, sed perfectionem, cùm illæ duæ causæ involvant imperfectionem & mutationem: at concursus causæ efficientis est Deo proprius, & maximè facit ad illius perfectionem: unde sicut hîc positis omnibus ad operandum requisitis potest Deus suspendere concursum debitum, ut contigit in igne Babylonio, ita & præbere potest indebitum.

VII. *Objicitur hanc potentiam fore naturalem.*

Objicit quintò P. Coninck n. 115. Si ignis habeat potentiam ad producendum frigus, & aqua ad calorem, sequeretur hanc potentiam non esse obedientialem, sed naturalem, & concursum Dei ad hos effectus esse iis debitum, ideo enim debetur igni concursus ad calorem, quia habet in se virtutem illius productivam, ergo si habeat etiam virtutem productivam frigoris, debebitur etiam ei concursus ad frigus. *Respondetur.* Contrà, habet anima potentiam ad actus supernaturales, cur ergo ei non debetur concursus ad illos? Dices; quia sunt effectus simpliciter supernaturales, & consequenter concursos ad illos est simpliciter indebitus. Contrà, ergo saltem dari potest in aquâ potentia ad gratiam, & alios effectus simpliciter supernaturales, quin sequatur concursum ad illos esse debitum. Sed quidquid sit de hoc,

VIII. *Variis instantiis respondetur præcedens argumentum.*

Contrà secundò, in materiâ est potentia ad duas formas substantiales, in lapide, vel ligno ad duas qualitates contrarias in summo, in aquâ & aëre, ad calorem ut octo, in corpore ut sit in duobus locis, in albedine ut creetur &c. quæro ergo utrùm potentia corporis ut sit in duobus locis, vel accidentis ut creetur, & sic de cæteris, sit naturalis? non arbitror quemquam hoc dicturum, præsertim si naturale illud sit, ut volunt adversarij, quod exigit id ad quod est aptitudo, seu potentia, nullus enim admittet corpus exigere ut sit in duobus locis, aut aquam, vel aërem petere calorem ut octo, &c.

IX. *Occurritur replicæ.*

Dices; ubi datur potentia in rebus naturalibus ad effectus naturales, petit hæc potentia per alia compricipia compleri; unde oculus petit speciem, ergo & aqua petit concursum ad Angelum. Distinguo antecedens, petit compleri in ordine ad operationes, ad quas peculiariter ordinatur, concedo antecedens; ad quas generaliter solùm habet potentiam, nego, ut ostensum est in exemplis jam positis.

X. *Potentia universalis instrumentaria.*

Unde mihi hæc potentia cujuslibet rei creatæ ad quidlibet non incongruè videtur dici posse universalis instrumentaria, sicut Dei potentia est universalis principalis. Quare sicut potentia Dei universalis ad effectus creatos non petit compleri, nec ullam intulisset Deus violentiam suæ omnipotentiæ, si nullam omnino creaturam produxisset (quo tamen casu non minùs potuisset cum igne producere ignem, aut cum sole lucem, quàm nunc aqua sine concursu Dei potest producere Angelum) sic nullam violentiam potentiæ universali instrumentariæ lapidis, aut formicæ infert quòd iis concursum non præbeat ad producendum solem, sed hæc potentia universalis instrumentaria creaturarum non minùs subsistat perfectissimæ libertati Dei, quàm potentia universalis principalis ipsius Dei.

XI. *Objicitur sequi posse lapidem elevari ad operandum liberè.*

Objicitur sextò: si Deus elevare possit aquam aut formicam ad producendam gratiam, aut solem, quidni etiam elevare eam poterit ad operandum liberè? Contrà primò, cur ergo non poterit materia prima, aut formæ materiales elevari ad recipiendam unionem Hypostaticam liberè? Contrà secundò cur irrationalis natura, sicut potest elevari ad unionem cum Verbo, non poterit etiam elevari ad constituendum personam? Dices; quia non est natura rationalis. Contrà, nec aqua aut formica est potentia libera, hæc autem sola est capax operationis liberæ, quæ procedere debet à cognitione indifferente, & consequenter à potentiâ aptâ per ejusmodi cognitionem intelligere, hæc autem non est aqua, aut formica, ut constat. *Respondetur.*

SECTIO VI.

Solvitur alia objectio contra potentiam obedientialem.

I. *Objicitur sequi posse brutum intelligere, & oculum audire.*

OBjicit septimò P. Coninck num. 116. & 117. ex hac sententiâ sequi, posse brutum intelligere, & velle, oculum audire, aurem videre &c. potest enim juxta nos brutum efficere & recipere intellectionem, auris visionem, auditionem oculus, &c. ergo & intelligere, videre, & audire. Quòd si dicas non esse subjecta apta. Contrà, licèt naturaliter non sint subjecta apta ad has formas efficiendas, & recipiendas, sunt tamen supernaturaliter, ergo licèt naturaliter intelligerè, videre, & audire non possint possunt tamen supernaturaliter.

II. *Subjectum aptum ad recipiendum formam, non est semper aptum ad omnem ejus effectum formalem.*

Ad solutionem notandum, non omne subjectum quod est aptum ad recipiendum formam aliquam, vel quasi formam, esse aptum ad recipiendum omnem illius effectum formalem, & denominationem: si anima Christi denominatur sancta à sanctitate increatâ, seu naturâ Divinâ, quæ est ipsa intellectio Divina, & tamen non determinatur per eam intelligens: sic natura irrationalis, ut leo, lapis, vel lignum secundùm adversarios potest assumi à Verbo, cùm tamen non ei tribueret subsistentia Verbi denominationem Filij Dei, Personæ, &c. sicut tribuit naturæ rationali: subsistentia item increata denominat Humanitatem dignam gloriâ, quam tamen denominationem non tribueret lapidi: Gratia item habitualis non denominabat Christum Filium adoptivum sicut denominat alios homines. In rebus etiam naturalibus species visibiles receptæ in aëre & oculo, hunc denominant visivum, non illum. Actio eductiva subjectum denominat patiens, terminum productum, & sexcenta hujusmodi.

III. *Ostenditur brutum non posse elevari ad intelligendum.*

Ad argumentum itaque Resp. cùm non omne subjectum, quod est capax formæ, etiam in naturalibus, sit capax omnis illius effectus formalis, ut constat in exemplis jam illatis. Resp. inquam, licèt brutum elevari possit ad efficiendum & recipiendum actum intellectûs, aut voluntatis, non sequi, , posse elevari ut per eum intelligat, & velit. Ratio est, quia sicut in omnibus aliis formis, ita & hic, ad tribuendum effectum formalem requiritur certa quædam proportio in prædicatis inter formam & subjectum: unde intellectio non tribuit effectum suum formalè nisi intellectui, nec visio nisi oculo, & auditio auri, à quocumque efficiantur & recipiantur.

IV. *Ratio à priori cur oculus non possit audire, nec brutum intelligere.*

Cum ergo Deus facere non possit ut imaginatio bruti sit intellectus, aut auris oculus &c. (cùm mutare nequeat prædicata earum essentialia) non potest facere ut brutum intelligat, auris videat &c. Sicut quia non potest facere ut lapis & leo sint rationales naturæ, non potest illos facere personas, amicos, vel filios adoptivos, dignos gloriâ &c. quantumcunque eos assumat Hypostaticè: & tamen hic urgeri posset replica in argumento posita, nempe brutum licèt naturaliter non sit subjectum aptum ad intelligendum, esse tamen supernaturaliter: sic enim simili formâ argui posset, lapis aut brutum, licèt naturaliter non sit subjectum capax dominationis personæ, amici Dei. filij adoptivi, &c. esse tamen potest supernaturaliter; cùm supernaturaliter capax sit illius formæ, quæ hos omnes effectus tribuit naturæ rationali: vel fatendum est non sequi, subjectum est capax alicujus formæ, ergo omnium illius effectuum formalium. Concursus verò causæ efficientis, cùm sit quid extrinsecum rei quam juvat, potest suppleri à Deo, non potest suppleri formalis.

V. *Non magis sequitur brutũ posse intelligere, quàm posse esse personã, aut amicum, & Filiũ Dei.*

Urgent recentiores aliqui, & quærunt, unde sciamus brutum non esse capax denominationis intelligentis? Contrà, unde sciunt ipsi idem brutum non esse capax denominationis personæ à personalitate Divinâ, filij adoptivi, amici Dei &c? unde etiam sciunt, materiam seu corpus Christi non esse gratum, amicum, & filium Dei? Quicquid ipsi responderint, respondebimus & nos, & his instantiis puto infringi omnia illorum argumenta: nec certè video, cur magis teneat hæc consequentia, brutum est capax effectionis & receptionis actûs intellectûs, ergo est capax denominationis intelligentis, quàm hæc, corpus Christi, aut leo est capax personalitatis, & gratiæ increatæ, ergo est persona, gratus, amicus, & filius Dei: nec cur sit legitima hæc consequentia, imaginatio bruti est apta obedientialiter ad efficiendum & recipiendum intellectionem, ergo non potentia intellectiva, magis quàm hæc, materia prima, aut equus est aptus obedientialiter ad terminandum subsistentiam naturæ rationalis, ergo est natura rationalis. Ratio autem unde colligamus in bruto non esse capacitatè harum denominationum, est, quia plurima inde sequuntur absurda, ut, quòd equus & leo essent beati, amici Dei &c. quod verò brutum actus etiam supernaturales efficiat, quid incommodi?

VI. *Quæ proportio requiratur ut forma det effectũ suum formalem subjecto.*

Quæres, quænam proportio requiratur ut forma effectum suum formalem, & denominationem tribuat subjecto? Resp. difficile esse in hoc certam regulam assignare, nec est ad solutionem argumenti necessarium, cùm adversarij, & omnes fateri debeant proportionem aliquam requiri; imò affirmant ipsi pro potentiâ obedientiali activâ non posse generalem regulam tradi, proinde hoc argumentum æqualiter solvendum est omnibus. Communiter ergo ut forma subjecto tribuat effectum, requiri videtur, ut licèt subjectum non petat talem formam, forma tamen petat subjectum; ex quo fit, ut licèt visio beatifica non sit connaturalis animæ, aut Angelo, anima tamen & Angelus sint subjecta connaturalia visionis beatificæ, quæ nimirum peculiari modo produci postulat in intellectu animæ, & Angeli. Quæ etiam suo modo est ratio cur auditio non redderet oculum audientem, nec visio aurem videntem, intellectio brutum, aut lapidem intelligentem &c. quantumvis in iis miraculosè ponerentur.

VII. *Non hinc sequitur quàvis fore omnipotentem.*

Mitto alia argumenta minoris momenti, ut, sequi, rem quamlibet esse omnipotentem, cùm possit quidlibet. Primò enim non potest quidlibet, cùm se producere primò non possit: deinde, omnipotentia est virtus cuncta primariò producendi, & sine indigentiâ alterius, non instrumentaliter & cum dependentiâ ab alio.

VIII. *Nec sequitur Angelum videntem rem unam, videre omnes.*

Nec est inconveniens muscam vel lapidem dependere à possibilitate omnium rerum, & transcendentalem ad ea ordinem dicere. Neque tamen hinc sequitur Angelum videntem intuitivè muscam, cognoscere res omnes possibiles, non est enim necessarium ut quicquid videt Angelus, videat perfectissimè, & comprehendat in ordine ad omnes effectus possibiles: sicut nec juxta adversarios Angelus videns animam, aut alium Angelum, cognoscit gratiam, visionem beatificam, aut unionem Hypostaticam, & alia dona supernaturalia. Quæ omnia latè supra discussa sunt d. 5.

SECTIO VII.

Vtrùm elevari aliquid possit ad creandum.

I. *Prima sententia est negativa.*

PRima sententia est negativa: ita Albertus in 2.d. 1.ar.7. Scotus in 4.d.1.q.1. Valen.1.p.d.3.q.2.p. 4.§. *sed contrà*: Molina 1.p.q.45.ar.3.disp.2. Fonseca 5.Met.c.2. Granado 1.p Cont.6.d 4.nu.3. & alij, qui licèt potentiam obedientialem in rebus propè omnibus concedunt ad reliquos effectus, negant tamen elevari rem ullam posse ad creandum.

II. *Non est de conceptu instrumenti aliquid prævièoperari.*

Ratio eorum est primò: quicquid enim elevatur est instrumentum, instrumentum autem prævièaliquid producere debet in passo: si ergo, inquiunt, semper necessariò habeat passum & dependenter ab illo operetur, non creat. Sed contrà, nam suprà d.24.s.2. ostendi non esse de conceptu essentiali instrumenti, ut aliquid prævièoperetur. Instrumenta etiam naturalia tantùm requirunt passum, non supernaturalia. Deinde concedunt plerique ex his auctoribus Sacramenta physicè producere gratiam in animâ, in quâ tamen aqua vel verba nihil efficiunt prævièe.

III.

Ratio eorum est secundò, quia in effectu debet semper esse formalitas aliqua quæ correspondeat causæ. Contrà, quæ formalitas in gratiâ correspondet aquæ, & aliis effectibus, quos tamen hi auctores plerumque concedunt posse obedientialiter produci? Gratis ergo ad creationem requiritur hæc conditio.

IV. *Potest creatura elevari ad creandũ.*

Dicendum itaque posse creaturam elevari ad creandum; ita Suarez d.20.Met.s.3. Albertin.to.1.princ. 2.coroll.1.n.32. Tannerus 1.p.d.6.q.1.d.2 num.10. Hurt.d.12.phy.sect.7.n.118. Arriaga d.11.Phys.s.5. n.106. Oviedo cont.13.Phy.p.4.n.12. quoad creaturas possibiles; & alij.

V. *Elevari potest aqua ad creandũ ignem, & calor ad creandum frigus.*

Lapis ergo elevari potest ad creandum solem, & musca ad creandum Angelum. Imò aqua elevari potest ad creandum ignem, & calor ad creandum frigus. Fortè etiam alicui videbitur posse peccatum elevari ad producendum, vel creandum gratiam; non tamen potest, vel gratia, vel ulla omninò creatura elevari ad producendum peccatum, ut dixi suprà sec.4. num.3. Ratio conclusionis est, quia cum nulla in hoc

hoc appareat repugnantia, ut vidimus ex solutione argumentorum, probationes suprà sect. 4. adductæ æquè de creatione urgent, ac de aliis effectibus.

VI. *Objicit Augustinus.* Objiciet aliquis S. Aug. l. 9. in Gen. c. 15. ubi asserit Angelum tam non posse quamvis rem creare, quàm non potest creare seipsum. Resp. posse Angelum elevari ad secundò creandum seipsum, ut suprà ostendi d. 19. sanctus autem Augustinus loquit ur solùm de productione, & creatione naturali. *Historicâ S. Augustini.*

DISPVTATIO XXVIII.

De Causâ primâ.

SECTIO PRIMA.

Utrùm Causa prima immediatè cum secundis concurrat ad omnes suos effectus.

I. *Definitio causæ Primæ.* CAusa prima, ut ab omnibus communiter definitur, *est primum rerum omnium creatarum principium, quodq; à nullo alio sumit originem.* Dari causam primam hic in libris Physicorum probant multi: commodiùs tamen hujus rei discussio differtur in metaphysicam.

II. *Sententia Durandi, Deum scilicet non concurrere immediatè ad operationes rerum creatarum.* Circa modum quo Deus ad operationes rerum creatarum concurrit, Durandus in 2. d. 1. q. 5. & dist. 37. q. 1. ut quasdam difficultates evitet, & præcipuè quomodo Deus non sit auctor peccati, ait creaturas non indigere immediato concursu creatoris ad omnes suas operationes, sed solùm requirere ut ab ipso producantur, & conserventur, juxta illud Joannis 1. *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil,* & ad Rom. 11. v. 36. *ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia:* item ad Hebr. 1. v. 3. *portans omnia verbo virtutis suæ:* & alibi sæpè: quo posito, inquit Durandus, operari poterunt per se sine immediato Dei concursu, imò & de facto ita ait contingere.

III. *Sententiam Durandi sibi defendit P. Frat. Ludovicus à Dola.* Hæc tamen sententia antiquior videtur fuisse Durando: quam etiam sententiam defendit Nicolaus Bonetus l. 7. Theol. cap. 3. & non ita pridem P. Frat. Ludovicus à Dolâ libro de hac ipsa re scripto (ubi hanc quæstionem fusè & eruditè tractat) hoc idem ostendere conatur, multis ad id sanctorum Patrum ac Theologorum congestis testimoniis.

IV. *S. Thomas hanc sententiam ait esse duobus erroribus proximam.* Alij tamen acerrimè in hanc sententiam invehuntur, gravissimasque ei censuras inurunt. S. Thomas in 2. d. 37. q. 2. ar. 2. ait *eam proximam esse duobus erroribus, nempe esse duo prima principia unum bonorum, alterum malorum & Deum non esse causam universalem.* Albertus Magnus in 2. d. 35. art. 7. dicit hanc sententiam à multis modernorum appellari hæreticam. Suar. d. 22. Met. s. 1 n. 7. ait eam esse erroneam in fide: & l. 1. de concursu Dei sic habet, *ab omnibus probatis Theologis non solùm reprehenditur, sed etiam ut error in fide rejicitur sententia Durandi &c.* Bellar. l. 4. de gra. & lib. arb. c. 4. illam vocat errorem, *& Scripturis, Patrum testimoniis, & manifestæ rationi repugnare asserit.* Molina parum ait esse tutam in fide. Vasq. 1. 2. d. 129. c. 3. n. 8. ait *hanc sententiam Durandi erroris nomine ab omnibus scholasticis tamdiu esse rejectam.* Conimb. Murcia, & alij hanc Durandi sententiam appellant periculosam, temerariam, erroneam, & Durandismum, nec mitiùs de ea loquuntur, quàm Orthodoxi de Arianismo, & similibus. Capreolus in 4. d. 12. q. 1. ad 1. eam asserit esse sententiam Manichæi. S. Hier. Epist. ad Ctesiphontem docet hanc sententiam esse doctrinam Pelagij, qui, inquit, S. Hieron. *dicebat Deum collato semel libero arbitrio, ulteriùs nobis ad operandum non esse necessarium,* loquiturque de operationibus naturalibus, ut de motu manûs, de ambulatione, & similibus. Quod etiam fuisse placitum Lutheri docet Camerarius 1. de gratia & lib. arbitrio c. 10 §. 3.

Suarez esse erroneam in fide. *Bellarm. eam vocat errorem.* *Alij periculosam, temerariam, erroneam.* *Alij Durandismum.* *S. Hieronymus.*

V. Ego censuram de hac sententiâ non fero; hæc verò eò adduxi, ut ostendam quale judicium Philosophi ac Theologi, tum moderni tum antiqui de eâ formaverint: qua de re, cùm tot ac tales viri conspirent, signum est, aliquid in eâ latere, ob quod digna non sit, ut ullus vir doctus illius patrocinium suscipiat. Unde meo judicio Pater Dola, qui virum se doctum & eruditum ostendit, meliùs & utiliùs in aliâ quæstione illustranda operam suam posuisset.

VI. *Vera sententia de concursu Dei.* *Doctor Seraphicus.* Secunda itaque & vera sententia docet, Deum, non virtutem tantùm in actu primo operatricem rebus omnibus conferre, sed cùm iis etiam ad singulas actiones immediatè & proximè concurrere: ita Doctor Seraphicus in 2. d. 37. art. 1. qu. 1. dicens *hanc sententiam absque omni ambiguitate esse tenendam:* unde mirum est, eum à P. Dola citari pro contrariâ. Scotus in 2. d. 1. & 37. q. unica. Gabriel, dicens *hanc esse indubitatam opinionem apud Catholicos:* Gregorius in 2. d. 35. qu. 1. ar. 3. Suar. d. 22. Met. s. 1. nu. 7. & l. 1. de concursu Dei c. 4. n. 2. dicens *hanc esse veram & certam doctrinam, & in qua reliqui omnes, præter Durandum, conveniunt.* Bellar. citatus; Vasq. 1. 2. d. 129. c. 2. ubi eam variis Scripturæ & S. Augustini testimoniis illustrat. Hurtado d. 10. phy. s. 2. n. 24. Arria. d. 10. phy. s. 1. nu. 7. Oviedo cont. 10. p. 1. n. 5. & alij.

VII. *Scriptura testimonia pro immediato Dei concursu.* Probatur primò tribus illis Scripturæ locis, nu. 2. allatis, quæ propriè nisi de concursu Dei immediato intelligi non possunt. Secundò, ex illo Act. 17. v. 28. *in ipso vivimus, movemur, & sumus,* ubi particulæ *movemur, & sumus* immediatam denotant dependentiam in existentiâ. Particula etiam *in* in phrasi Scripturæ idem sonat ac *per*, seu auxilio alicujus, & adjutorio fieri ut Psalm. 17. v. 20. *In Deo meo transgrediar murum,* & Psalm. 59. v. 14. *In Deo faciemus virtutem,* id est, Deo nobiscum cooperante, & concursum suum præbente.

VIII. Idem efficaciùs probatur ex illo Isaiæ 26. v. 12. *Domine, omnia opera nostra operatus es.* Item 1. ad Cor. 12. v. 6. ait Apostolus *qui operatur omnia in omnibus.* Deinde Joan. 5. v. 17. dicit Christus, *Pater meus usque modò operatur, & ego operor.* Quibus verbis utitur S. August. To. 3. lib. 5. de Genesi ad litteram cap. 20. aitque *Deum non magna solùm, & præcipuè in nobis operari, verum etiam ista terrena & infima.* *S. Augustinus to. 3. l. 5. de Genesi.*

IX. Hæc Scripturæ loca, licèt (ut fatear quod res est) Deum cum creaturis ad omnes earum operationes immediatè concurrere non convincant, quisquis tamen indifferenti ea oculo inspexerit, inficiari nequit quin hanc sententiam valdè reddant probabilem: præsertim cùm vix quidquam è Divinis litteris proferatur, quod opinionem, immediatum hunc Dei concursum negantem (excepto fortè actu peccati, de quo posteà) vel probabiliter suadeat. Deinde, in Symbolo Concilij Nicæni habetur, Deum esse *factorem visibilium omnium, & invisibilium,* quod sine concursu Dei immediato vix commodè videtur explicari posse. *Concilium Nicænum docet concursum Dei immediatum.*

P. Hur-

X. P. Hurtado d. 10, Phy. s. 2. n. 11. ait probare quidem hæc Deum de facto ad omnes operationes nostras immediatè concurrere non tamen non potuisse rem aliter contingere, Contrà primò, ergo ob hæc loca Scripturæ sustineri non potest sententia Durandi, & aliorum, qui ajunt Deum immediatè nobiscum in operationibus, & ad res alias producendas de facto non concurrere. Quod verò nec aliter posse contingere, ostendam sec. tertia.

XI. *Patres hæc Scripturæ loca intelligunt, etiam de possibili. S. Hieronymus. Loquitur S. Hieronymus de auxilio immediato.* Contrà secundò, non cuivis arbitratu suo fas est sacram Scripturam, & Conciliorum Canones interpretari, sed juxta explicationem & sensum Patrum: Patres autem hæc non de facto solùm, sed etiam de possibili intelligunt. Unde S. Hieronymus l. 1. contra Pelagianos acriter eos impugnat quòd dicerent posse se sine Dei auxilio scribere, ambulare, curvare digitum, &c. Quod verò respondet Durandus loqui S. Hieronymum in auxilio mediato, nullam habet probabilitatem, non enim negabant Pelagiani auxilium Dei mediatum, seu liberum arbitrium se accepisse à Deo, sicque mediatè, seu ratione illius posse operationes nostras tribui Deo, reprehendebat ergo illos, quòd actiones naturales sine alio Dei concursu, nempe actuali fieri posse assererent. Unde in Epist. ad Ctesiphontem suprà citatâ. *Audite*, inquit, *sacrilegium, si valuero curvare digitum, movere manum, sedere, stare, ambulare, semper mihi auxilium Dei necessarium erit: Audi ingrate, &c.* Non negabat iste in quem tam vehementer invehitur S. Hieronymus, virtutem se motricem à Deo accepisse, ergo ob aliud auxilium negatum, nempe actuale, eum redarguit S. Doctor, & ingraditudinis ac sacrilegij reum pronunciat. *Verba Pelag.*

XII. *Durandi opinio refellitur ex Patribus.* Secundò, hoc idem probatur ex Patribus. Inprimis de mente S. Hieronymi satis constat ex proximè allato testimonio. Idem expresè docet S. August. epist. 146. q. 2 *Quomodo*, inquit, *negare poterimus Deum etiammunoperari cuncta quæ fiunt, cum Dominus dicat, Pater meus usque modò operatur.* Quod etiam probat testimonium ejusdem S. Doctoris allatum suprà, n. 4. Dicere autem Deum operari quia ante multa annorum millia produxit res aliquas, quæ longâ serie modò alias producunt, est impropriissima locutio: sic enim ignis à mille annis destructus posset dici jam operari, & ignem ac calorem producere, ut dicetur sec. sequente: Scripturæ autem & Patrum dicta debent in sensu maximè proprio accipi; ubi possunt, posse autem Deum immediatè cum creaturâ concurrere, nullus, credo, inficias ire audebit. *Scripturæ & Patrum testimonia debent propriè accipi.*

XIII. *Testimonium S. Anselmi.* In eundem sensum loquitur S. Anselmus de concordiâ præscientiæ, prædestinationis, gratiæ & liberi arbitrij, cap. 1. *Facit*, inquit, *Deus omnia, quæ justâ, vel injustâ voluntate fiunt*, id est, *opera bona & mala. In bonis quidem facit quod sunt, & quod bona sunt, in malis facit quod sint, sed non quod mala sunt.* Hæc ille.

SECTIO II.

Ratione probatur Deum ad omnes rerum creatarum operationes immediatè concurrere.

I. *Deus, in sententiâ Durandi, non esset propriè causa universalis.* PRobatur primò, si enim Deus non alio modo in rerum creatarum operationes influat, in ignem ex. g. calorem, lucem, &c. quàm quòd horum effectuum causas primò produxerit, derogaretur conceptui causæ universalis, jam enim non magis esset Deus causa universalis rerum creatarum, quam Adamus causa universalis omnium hominum, primus ignis, equus, leo, omnium ignium, equorum, leonum &c. quod perfectioni, & dignitati Dei multùm detrahit.

II. *Perfectissimo modo possibili dependere debet creatura à Deo.* Secundò, per concursum immediatum Dei in res omnes longè meliùs explicatur perfecta dependentia quam dicit creatura à creatore, si scilicet dicatur non in essendo tantùm, sed etiam in operando ab illo immediatè dependere, hæc enim est perfectissima dependentia, & consequenter, si est possibilis, tribui debet creaturis respectu Dei, & Creatoris.

III. *Clarius intelligitur perfectissimum Dei in res omnis dominium.* Tertiò, multò clariùs intelligitur absolutum & perfectissimum Dei in res omnes dominium, ut possit liberè vel imperare vel impedire earum actiones, & non de ipsâ solùm entitate creaturarum, sed de earum etiam actionibus liberè disponere, quod spectat ad perfectissimum dominium; hoc autem in contrariâ sententiâ non ita facilè declaratur.

IV. *Probatur ex conceptu opposito creatoris, & creaturæ.* Quartò probatur, de conceptu creaturæ ut creatura est, est dependere à creatore; sicut enim conceptus Dei & creatoris est conceptus independentis, & ut non sit ab alio, nec à quopiam in existendo dependeat, sed sit à se; ita è contrario conceptus creaturæ est conceptus dependentis, & petit essentialiter dependere à creatore, idque immediatè, dependentia enim remota est quasi nulla, ut dixi sec. præcedente num. duodecimo.

V. *Res creatæ sicut entia, ita sunt agentia per participationem.* Quintò, sicut creaturæ sunt entia per participationem, ita & agentia per participationem, ergo non in esse solùm, sed etiam in operari dependent à Deo: unde sicut per solam subtractionem concursûs potest Deus illas destruere, & facere ut non sint, ita & per solam subtractionem concursûs facere similiter poterit ut non operentur.

VI. *Æqualitas perfectionis non arguit aliquid non agere ope alterius.* Objicies primò; causæ creatæ aliquando adæquant, aliquando superant in perfectione suos effectus, ergo ad eos producendos ope alterius non indigent. Nego consequentiam, licèt enim Angelus sit in perfectione æqualis alteri Angelo, & albedo albedini, non tamen potest ille Angelum, hæc albedinem producere, ergo ex æqualitate perfectionis nullum sumitur argumentum ad productionem. Hic autem peculiaris est exigentia concursûs causæ primæ, ob rationes jam allatas.

VII. *Causa prima non concurrit imperfectè.* Objicies secundò: si causa prima & secunda concurrant immediatè ad eundem effectum, ergo vel utraque imperfectè procedit, vel altera est superflua; nam si non procedant imperfectè, utravis sufficit, si autem utravis sufficiat, ergo altera est superflua. Resp. negando sequelam, utravis enim sufficit, non simpliciter, sed in suo genere, Deus in genere causæ primæ; & universalis, à qua res omnes essentialem dicunt dependentiam: creatura in genere causæ particularis, & secundæ, quæ essentialiter dependet à primâ simul concurrente.

VIII. Objicies tertiò: ergo Deus producit etiam actus pravos, sicque erit causa peccati. Huic difficultati satisfiet disp. sequente.

SECTIO III.

Utrùm Deus ita concurrat immediatè cum creaturis, ut aliter fieri non possit.

I. *Opinantis quidam hoc nullo firmo argumento ostendi.* PHurtado licèt Deum de facto cum creaturis immediatè ad suas actiones concurrere affirmat, disp. tamen 10. Phy. n. 33. sententiam affirmantem posse Deum creaturam aliquam ad quosdam saltem effectus, sibi hac in parte substituere, ait nullo firmo argumento refelli. P. Arriaga etiam d. 10. Phy. s. 1. n. 32. fatetur nullam se invenire hac in re implicantiâ. Neuter tamen ob auctoritatem Theologorum, & censuras

censuras in contrariam sententiam latas id audet asserere.

II. *Contrarium est probabilius.* Mihi verò dicendum videtur, creaturas non solùm effectus suos sine Dei concursu de facto non producere, sed nec hoc modo producere eos posse. Primò enim id suadent auctoritates Patrum suprà allatæ.

III. *Creatura illa loco Dei operans nec foret naturalis, nec supernaturalis.* Secundò, creatura illa quam Deus ad hoc munus loco suo sufficeret, ad ignem ex.g. simul cùm igne, sine immediato Dei concursu producendum, vel esset naturalis, vel supernaturalis: non secundum, (quod tamen asserere videntur hi auctores, dum eam supernaturaliter influere debere affirmant) substantia enim supernaturalis dari nequit, ut suppono ex primâ parte, ubi hoc communiter docent Theologi: creatura autem hæc substantia esse deberet, cùm accidens causa principalis substantiæ esse non possit. Nec etiam esse potest naturalis, cur enim non dicemus cœlum nunc, aut solem esse ejusmodi creaturam, sicque de facto res omnes sine concursu Dei immediato produci? Certè nullum in hoc sequitur inconveniens, quod in illâ rerum serie non sequeretur, inconveniens enim tantùm esset quòd res creatæ solæ, sine concursu immediato Dei effectus suos naturaliter producerent, id autem in illâ rerum peristasi contingeret, ergo &c.

IV. *Probatur à paritate scientiæ Dei.* Tertiò, derogare videtur perfectissimo Dei in res omnes dominio. Quartò, sicut infinita Dei scientia essentialiter postulat, ut nulla res existere possit, quin eam Deus actu cognoscat, ita infinita ejus virtus productiva poscere videtur, ut nihil existere possit, quin illud Deus actu producat.

V. *Sequeretur Deum non posse ad aliquas operationes immediatè concurrere.* Quintò & præcipuè, quia juxta P. Hurtado, etiam dato quòd de facto non concurrat Deus ad omnes, vel aliquas operationes creaturarum immediatè, adhuc censetur ab ipso & omnibus incoveniens, si non posset concurrere immediatè ad omnes earum operationes, imò hoc judicat P. Hurtado hæresi proximum, vel saltem temerarium: sed si de facto non concurrat Deus immediatè ad omnes operationes creaturarum, sequitur, nec posse eum immediatè ad plurimas ipsarum operationes concurrere, ergo. Major admittitur ab adversarijs: Minor probatur, si de facto Deus non concurrat immediatè cum igne ad productionem caloris A, vel ignis, cum sole ad productionem lucis, & sic de alijs, actiones illæ profluunt immediatè à solo igne, vel sole, & non à Deo: sed tunc actiones istæ nec per Divinam potentiam dependere poterunt immediatè à Deo, erg. Minor probatur, actio quæ semel est totaliter unius agentis, non potest nec partialiter esse actio alterius, nec enim minorem connexionem habet, nec minùs essentialem respectum dicit actio ad agens, quàm ubicatio ad spatium, aut unio ad extrema, ergo aliquæ operationes creaturarum peterent essentialiter non dependere immediatè à creatore: ergo ex hac sententiâ id sequitur, quod ab omnibus magnum censetur inconveniens.

Actiones plurimæ non possent dependere à Deo immediatè.

VI. *Modus concurrendi Causæ primæ est perfectissimus.* Hinc infertur modum concurrendi causæ primæ, longè esse perfectissimum, utpote quæ petit ut res omnes ab eâ dependeant, & sine cujus influxu, nec ad momentum persistere possint. Unde & arguitur imperfectio non perfectio in architecto quòd domus ab ipso extructa, ab eo non dependeat in conservatione: arguit enim minorem esse necessitatem architecti, minusque quasi illi debet domus, cùm solum primum esse ipsi debeat, non conservationem. Deinde, domum illam perpetuò conservare nequit architectus, tum quia defatigaretur, tum quia uni semper tantùm loco affixus esse deberet, quorum neutrum reperitur in causâ primâ, utpote quæ & ubique existit, & in quam nulla cadit defatigatio.

VII. *Causa Prima, & secunda simine dicenda causæ partiales.* Quæres utrùm causa prima & secunda, dum ad eundem effectum concurrunt, dici debeant causæ partiales? Resp. ex parte effectûs non sunt partiales, si per causas partiales intelligantur illæ quarum una producit unam partem effectûs, altera aliam; nam tam Deus quàm creatura producit totum effectum: sicut cùm duo homines simul portant idem pondus, singuli portant totum. Si autem fermo sit ex parte causarum, aliqui dicunt posse eas vocari causas partiales, alij negant; sed lis est de modo loquendi, si enim causa partialis sit, quæ sola sine alterius confortio non producet hîc & nunc effectum, seu non eo influxu ad eum concurreret, quo de facto concurrit, utraque est causa partialis: sin verò per causas partiales intelligatur, non esse utramque sufficientem in genere suo, falsum est dicere esse causas partiales. Dici ergo possunt materialiter causæ partiales, formaliter, seu unaquæque in suo genere, totales.

VIII. *Concurrit Deus, non immediatione solum virtutis, sed supposit.* Concurrit ergo Deus cum creaturis omnibus ad omnes earum actiones immediatè, non solùm immediatione virtutis, sed etiam suppositi, id est; actio illa, quâ operatur creatura, fluit etiam immediatè ab ipso Deo, & non ab aliquo ipsius loco substituto. Nec concurrere Deum immediatè; immediatione virtutis intelligi potest de solâ creaturâ, nam illa non est, propriè loquendo, virtus Dei in operando, hæc enim est sola Dei omnipotentia.

SECTIO IV.

Vtrùm causa prima concurrat cum secundis eâdem actione.

I. *Proponitur ratio difficultatis.* RAtio dubitandi est quia non videtur quomodo eadem numero actio possit procedere à duobus principijs realiter distinctis. Conf. hinc enim sequeretur, aliquando eandem actionem esse transeuntem & immanentem, ut in actibus intellectûs nostri & voluntatis, qui simul à principio intrinseco & extrinseco procederent.

II. *Variæ potentiæ eodem actu feruntur in objecta diversissima.* Ad argumentum Resp. nullum in eo reperiri inconveniens, in causis præsertim subordinatis: sicut, juxta probabilem sententiam, eadem visio potest esse diversorum objectorum disparatorum, ut albedinis & viriditatis, multò magis subordinatorum, ut coloris & lucis: quod de intellectu est manifestum, hic enim eodem actu in objecta fertur diversissima, & maximè disparata. Causæ autem subordinatæ illæ dicuntur, quæ ex naturâ suâ ordinantur ad eundem effectum, ut intellectus, species impressa, & habitus, quæ tria vix quisquam dixerit actionibus diversis concurrere ad eandem intellectionem. Similiter causæ subordinatæ sunt Deus, & creatura, ita enim creatura in agendo subordinatur Deo, seu ab eo dependet, ut sine immediato illius concursu nihil omnino præstare possit, ut jam ostensum est.

Quid sit causas esse subordinatas.

III. *Actus intellectûs creati est intellectui immanens, Deo transiens.* Ad confirmationem dico, id nullam involvere repugnantiam respectu diversorum principiorum: non tamen sequitur, simpliciter eandem actionem esse immanentem & transeuntem, sed esse immanentem respectu creaturæ, intellectûs scilicet ejus aut voluntatis, in quibus recipitur: transeuntem respectu Dei à quo efficitur, sed non recipitur. Sic non est dicenda simpliciter vitalis & non vitalis, sed vitalis ut ab hoc principio, non vitalis ut ab illo. Item actio quâ ignis producit ignem; est libera respectu Dei, non libera, sed necessaria respectu ignis non tamen est libera & non libera simpliciter, tunc enim reſpectu ejusdem principij illas duas rationes sortiri deberet, quod implicat, cùm implicet idem principium

Eadem actio quomodo sit vitalis, & non vitalis, libera, & non libera.

pium ita se habere, ut simul sit in illius potestate ut procedat vel non procedat ab eo actio, & simul non sit in illius potestate ut procedat vel non procedat: hæc enim sunt apertè contradictoria, ut constat.

IV. *Influxus Dei duplex: in actu primo & in actu secundo.*

Notandum, influxum Dei cum causis secundis esse duplicem, in actu primo; & in actu secundo. Influxus Dei in actu primo nihil est aliud, quàm ipsa voluntas Divina parata cum creaturis ad earum operationes concurrere, cùm singulis juxta uniuscujusque naturam, & exigentiam. Influxus verò Dei in actu secundo est actio creata, per quam ad extra operatur Deus; & producit effectus: & de hac procedit præsens quæstio, non de influxu in actu primo; certum enim est illum distingui à creaturis, cùm sit ipse Deus.

V. *Deus & creatura eâdem actione concurrunt.*

Conclusio: Deus & creatura concurrunt eâdem semper actione ad effectus omnes rerum creatarum. Ita Suar. d. 22 Met. s. 3. & l. 1. de Auxilijs, c. 4. Mol. 1. p. q. 14. a. 13. Hurt. hic d. 10. s. 3. Oviedo contr. 10. Phy. p. 1. n. 12. estque communis inter recentiores. Et certè eo modo ponere duas actiones distinctas, ut ponebant aliqui, nempe disparatas, unam scilicet quâ Deus solus producat effectum, alteram, quâ creatura simul cum Deo, videtur planè carere fundamento: si enim illa prima actio Dei sufficit ad effectum à parte rei ponendum, quod ipsi ajunt, omninò superflua est secunda, abundè enim sine illâ poneretur à parte rei & conservaretur effectus dependenter à Deo, tanquam à causâ adæquatâ. Deinde, illa actio Dei est creatio, cum independenter ab omni subjecto producat effectum, actio autem procedens à creatura esset generatio, ergo effectus omnes producti à creaturis producerentur simul per creationem, & generationem.

VI. *Ratio à priori conclusionis.*

Actionis non datur actio.

Probatur itaque conclusio primò; actio quâ causa secunda agit, est verè creatura, ergo pendet à creatore seu Deo, sed non tanquam terminus productus & *ut quod*, seu ita ut detur alia actio Dei ad actionem illam terminata, *actionis* enim *non datur actio*, ergo pendet à Deo *ut quo*, seu ut productio alterius, ergo per se fluit etiam à Deo tanquam actio & influxus Dei, seu quâ Deus etiam simul cùm causâ secundâ producit effectum illum, quem producit creatura.

VII. *Actio creaturæ non dependeret à Deo à priori.*

Dices; dependet actio creaturæ ab actione Dei tanquam à concomitante, ita ut profluere à creaturâ non possit actio illa nisi alia actio profluens à Deo illam comitetur. Contrà, primò actio creaturæ pendere debet à Deo à priori, cùm hîc sit conceptus creaturæ, ut scilicet dependeat à Deo à priori tanquam à causâ; si autem hæ actiones solùm se habeant concomitanter, actio creaturæ non dependet à Deo tanquam à causâ, ut est manifestum: sicut nec partes minimi naturalis à se invicem pendent à priori, esto nulla ex illis esse possit sine illarum aut similium concomitantiâ. Contrà secundò, jam enim sequeretur dari aliquam creaturam ad quam Deus non concurrat immediatè, imò & ad quam concurrere immediatè non possit: de quo, fusiùs dictum est sec. præcedente n. quinto.

VIII. *Actio Dei non potest terminari ad actionem creaturæ.*

Quòd verò non habeat Deus actionem terminatam ad actionem creaturæ, & quæ sit causa actionis creatæ, ut aliqui volunt, præter superiùs dicta ostenditur, nam ad actiones liberas non potest hoc modo Deus concurrere, tolleret enim libertatem; illa namque actio Dei esset naturâ antecedens actionem creaturæ, & vera causa illius, positâ autem illâ actione Dei, non potest non poni ejus effectus, seu actio creaturæ ad quam dicunt eam terminari, cùm implicet actionem esse sine termino, ergo positâ illa actione Dei non potest non poni actio creaturæ; sicut positâ actione productivâ ignis, non potest non poni ignis, seu effectus, ergo positâ hac actione Dei, non est in potestate liberi arbitrij non operari; sed hæc actio Dei ponitur antecedenter ad actionem creaturæ, & omnino independenter ab illius consensu ac libero arbitrio, ergo infert vim voluntati, eamque ad operandum necessitat, cùm, ut dixi, positio illius actionis Dei non sit in potestate liberi arbitrij, ergo voluntas antecedenter ad operationem determinatur ad operandum per hanc actionem Dei, ergo pro aliquo priori ad operationē non est indifferens ad operandum & non operandum, ergo non est libera.

IX. *Deus immediatè etiam res omnes conservat.*

Ex dictis in hac & superiore sectione infertur, Deum non ad primam solùm rerum productionem, sed etiam ad conservationem concurrere immediatè, idque non tantùm quando solus res conservat, sed etiam simul cùm causis secundis immediatè in effectus singulos influendo, ut potè quæ ab immediato Dei concursu, non in producendo tantùm, sed etiam in conservando, omnique suâ actione essentialiter pendent.

X. *Eadem requiritur virtus ad rem conservandam, & primò producendam.*

Quæres, utrùm tanta requiratur virtus ad conservandum effectum, quanta ad eum primò producendum? Conimbr. hîc cum alijs putant minorem requiri virtutem ad rem conservandum quàm ad primò producendum. Suar. d. 21. Met. requirit æqualem. Dico itaque, per se loquendo, & cæteris paribus, eandem virtutem requiri ad conservandum, & ad primò producendum effectum, licèt per accidens major subinde requiri possit ad eum primò producendum. Prima pars probatur, quia virtus requisita ad effectum per se loquendo pensanda est penes perfectionem effectûs, & modum quo petit produci, sed quando ignis conservatur, est idem numero ignis, qui antea, & ejusdem perfectionis, modus item producendi est idem, nempe dependenter à subjecto, seu per generationem, ergo &c. Idem est in conservatione Angeli per creationem.

XI. *Per accidens requiri potest major virtus ad rem primò producendam.*

Secunda etiam pars probatur, nam aliquando ut inducatur forma aliqua in materiam, in quâ sunt valida contraria, seu dispositiones repugnantes formæ introducendæ, requiri potest major virtus in causâ, non præcisè ad inducendam formam, sed ad vincendum contraria. Dico ergo, per se loquendo non requiri majorem virtutem ad rem primò producendam, & ponendam extra causas, quàm ad eandem postea conservandam, nempe ex præcisâ ratione primæ productionis, & conservationis, si enim secundo instante requiratur minor virtus in causâ quàm in primo, in tertio minor requiretur quàm in secundo, in quarto quàm in tertio, & sic deinceps, quod tamen nullus concedet: adde, conservationem rei nihil aliud esse quàm iteratam ejus productionem, ergo per se loquendo, par virtus requiritur ad utramque.

SECTIO V.

In quo consistat concursus Dei in actu primo.

I. *Quæ requirantur ut causa creata sit proximè expedita ad agendum.*

UT causa aliqua creata proximè expedita sit in actu primo ad agendum, varia requiruntur: imprimis entitas causæ, ignis ex. g. actu existens, secundò passum, tertiò, approximatio seu applicatio ignis ad passum, quartò demum, concursus Dei in actu primo, seu voluntas quâ paratus est cum causis secundis concurrere. Præcipua autem difficultas est de causis liberis, quæ nimirum sit voluntas, quâ Deus suam ijs omnipotentiam in actu primo applicet, & salvâ earum libertate compleat ad agendum.

Nodus

Nodus hic semper visus omnibus est solutu difficillimus, qui proinde auctores in varias distraxit sententias, quarum præcipuas hic obiter subjiciam, & postea quid mihi similius vero videatur, aperiam.

II. *Primus modus explicandi concursum Dei in actu primo.*

Dicunt ergo aliqui omnipotentiam Dei omnia necessariò producere nisi per voluntatem Dei impediatur. Actus ergo, inquiunt, quâ ex parte voluntatis Divinæ fit applicatio omnipotentiæ, est iste, *nolo impedire omnipotentiam meam, quo minùs producat hunc actum, volo tamen impedire quo minùs producat alios.* Hinc duo inferunt, primò quâ ratione omnipotentia causæ liberæ creatæ applicetur: secundò, quo pacto Deus permissivè solùm se habeat circa peccatum, non illud ullo modo volendo positivè.

III. *Hic modus non satisfacit.*

Contrà primò, non minùs sancta & pura est Dei omnipotentia quàm voluntas, si ergo sanctitas omnipotentiæ non obstet quo minùs physicè producat peccatum, nec obstabit sanctitas voluntatis quo minùs illud producere velit. Contrà secundò, nam etiam circa res omnes alias, præter peccatum, videtur secundùm hunc procedendi modum habere se Deus tantùm permissivè. Contrà tertiò, ægrè enim explicatur objectum illius actûs, *nolo ponere impedimentum.* Contrà quartò, & præcipuè; hic enim modus explicandi applicationem omnipotentiæ Divinæ contrarius videtur modo loquendi scripturæ, quæ rerum productionem & conservationem tribuit positivæ voluntatis Divinæ determinationi: sic ad Ephes. 1. v. 11. dicitur, *qui operatur omnia juxta consilium voluntatis suæ*, & Sap. 11. v. 26. *Quomodo posset aliquid permanere nisi tu voluisses?*

Hic modus contrarius videtur sacræ scripturæ.

IV. *Secundus modus statuit hanc Dei voluntatem formaliter conditionatam.*

Secundus aliorum procedendi modus est, qui dicunt voluntatem, quâ Deus causæ liberæ omnipotentiam suam applicat, esse formaliter conditionatam, ita ut dicat Deus, *volo tecum ad actum amoris concurrere si tu amorem elicias. sin ad odium te determinaveris, ego tecum concurram ad odium.* Sed contrà, implicat ut determinatio seu actio voluntatis creatæ antecedeat decretum applicandi omnipotentiam, omnipotentia enim physicè cum voluntate creata determinationem illam efficit, ergo pro illo signo est jam applicata omnipotentia, ergo voluntas illam applicandi non potest esse in signo aliquo posteriore, cùm decretum hoc, seu voluntas Dei sit causa applicationis omnipotentiæ, ergo illam antecedit: cùm tamen, secundùm hanc sententiam, voluntas hæc Dei subsequi debeat determinationem, seu operationem voluntatis creatæ prævisam, illamque ut conditionem supponat.

Hic modus rejicitur.

V. *Tertiò alij volunt atem illam Dei ajunt esse decretum efficax effectûs.*

Tertiò, alij affirmant illam Dei voluntatem, quâ omnipotentiam suam voluntati creatæ ad agendum applicat, esse decretum efficax quo absolutè vult effectum, quem proinde in hoc decreto videt certissimè sequuturum. Contrà, decretum hoc, cùm secundùm illos antecedat actum, planè tollit libertatem, cùm nec in voluntatis potestate sit ut hoc decretum non ponatur (in quo differt à prædefinitione) nec illo posito possit voluntas non elicere actum, ad quem determinat.

VI. *Occurritur cuidam replicæ circa hunc modum.*

Dices; etiam posito hoc decreto, posse voluntatem creatam actum illum, cujus est hoc decretum, non elicere, ita enim actum hunc per illud decretum vult Deus, ut velit illum elici liberè. Contrà, sic enim vellet Deus pugnantia, in actu enim signato vult actum illum elici liberè, & in actu exercito ponit aliquid, quod essentialiter impedit quo minùs fiat liberè, cùm hoc decretum simpliciter antecedat actum, & cum illius negatione stare nequeat.

VII. *Alij rem hanc explicant per mutationem virtualem voluntatis creatæ.*

Quartò, dicunt nonnulli voluntatem creatam pro aliquo signo naturæ & rationis antequam actum eliciat, se per mutationem virtualem ad illum virtualiter, & inchoatè determinare, hac autem virtuali determinatione ad certum aliquem actum prævisâ, Deus dat ei concursum in actu primo determinatum ad illum actum eliciendum, & per decretum efficax omnipotentiam suam ita ad hunc actum applicat, ut nec in potestate voluntatis creatæ sit eum omittere, nec alium elicere. Si autem quæras, ad quid virtualem illam determinationem in voluntate statuant? respondent, quia actus determinatus à principio indeterminato procedere non potest: ita Coninck 3.p.q.77. a.1.d.1.n.6. Albertinus corolar. 2, ex sexto princip. n.26. Raynaudus d.8. Theol. mor. q.2.a.4. n.87. & alij nonnulli.

Sed contrà, ut ab hoc ultimo incipiam, virtualis illa determinatio procedit à principio indeterminato, ergo & ab eodem procedere potest actus. Consequentia videtur evidens: Antecedens probatur, determinatio enim illa virtualis procedit immediatè à voluntate, nec enim ad hanc determinationem poni potest alia, sic namque iretur in infinitum. Contrà secundò, hoc enim est mysterium actûs liberi Dei passim in res creatas inducere, omniaque obscuritate & tenebris involvere, nec difficultatem hanc solvere, sed alteri infinities majori legentium mentes implicare.

VIII. *Rejicitur virtualis ista determinatio.*

Contrà tertiò, posità illa virtuali determinatione ad actum peccati, odij Dei ex.g. voluntas adhuc non peccavit, ergo si Deus intuitu virtualis illius determinationis, velit absolutè, & efficaciter odium Dei, vult ut peccet, quod summâ suâ bonitate est planè indignum. Imò Deus esset peccati illius causa, cùm nec sine hac efficaci Dei voluntate, secundùm hos auctores, fieri peccatum illud possit, nec eâ posità omitti. Contrà quartò, Deus peccatum, etiam dum fit, non vult, sed aversatur & odit, multò ergo minùs efficaciter illud vult antequam fit, & ad illud, ut fit, positivè inclinat.

IX. *Virtualis hæc determinatio, licèt admittatur, non solvit difficultatem.*

Alij concursum hunc Dei in actu primo explicandi modi videri poterunt apud P. Arriag. d.10. Phy. s.2. & P. Oviedo contr.10. Phy.p.4. ubi eos fusè & benè refutant. Præcipui sunt quos hic recensui. Quædam tamen hac de re addam in libris de Anima d.27. s. tertia, ubi hac de re iterum redibit sermo.

X.

SECTIO VI.

Verus modus explicandi concursum Dei in actu primo.

PRima Conclusio: Deus in actu primo voluntate quadam generali paratus est ad concurrendum cum creaturis ad omnes earum operationes: qui concursus generalis à creaturis, prout res tulerit, nunc ad hunc effectum, nunc ad illum applicatur, dum vel causæ liberæ se ad operandum determinant, vel necessariæ in variis circumstantiis positæ, effectus suos quodam naturæ impetu producunt. Concursus ergo Dei in actu primo est indeterminatus ex se, & indifferens ad hunc vel illum actum, nec magis ad hunc inclinatur, quàm ad alium, nec ad actum quàm negationem actûs, determinatur verò à causis secundis, ad quarum operationes secundùm leges causæ universalis, & ut operetur tanquam auctor naturæ, ac juxta naturale bonum universi, concurrere tenetur, atque ut indemnem servet libertatem voluntatis creatæ, & cum ea, ac rebus omnibus conformiter ad cujusque naturam operetur: quod est maximum bonum universi.

I. *Deus ad concurrendum cum omnibus causis est paratus.*

Concursus Dei est ex se indeterminatus.

Deus ergo ut auctor naturæ generalem hujusmodi concursum semper rebus omnibus offerre tenetur, idque licèt videat fore, ut voluntas creata subinde se determinet ad actum pravum, & concursu

II.

Concursus Dei generalis maximum naturæ bonum.

hoc generali ex se indifferente abutatur, & ex suâ perversitate applicet ad malum, ob quod tamen non est rationi consonum, ut Deus interrumpat generalem illam voluntatem, & legem de concurrendo cum causis secundis immutet, cùm ad maximum naturæ bonum spectet ut rebus omnibus modus operandi ipsarum naturis conformis permittatur. Sicut si quis, cui ex officio incumbit vendere gladios, licèt sciat multos iis ad innocentium cædes abusuros, ipse tamen mortis illorum causa dici nequit, nisi ad summum per accidens, quia scilicet alio fine gladios iis vendidit, nempe vel ornatûs causâ, vel ut se datâ occasione defenderent.

III. *Voluntas, quâ Deus applicat omnipotentiam, est virtualiter conditionata.*

Secunda Conclusio: voluntas hæc generalis quâ Deus omnipotentiam suam offert & applicat creaturis, non est simpliciter efficax, ita nimirum ut absolutè velit eas hac suâ omnipotentiâ uti, & actus aliquos elicere; nec etiam est formaliter conditionata ob inconvenientia contra hunc respondendi modum posita sec. præcedente n. 4. sed est voluntas quædam inefficax, & virtualiter conditionata, quâ in manu quasi liberi arbitrij ad hos effectus ponit suam omnipotentiam, ut uti eâ possit vel non uti: sicque ex unâ parte nulla voluntati creatæ vis infertur, ex aliâ verò omnia ad operandum necessaria ei abundè suppeditantur. Hoc modo procedere videtur Suar. d. 22. Met. s. 4. nu. 14. & l. 1. de concursu Dei c. 14. nu. 5. P. Moncæus d. 3. c. 9. & alij.

IV. *Hic explicandi modus nihil derogat majestati divinæ.*

Objicies primò: hunc modum procedendi parum Majestati Dei & honori consulere, utpote quo indignum videtur omnipotentiam suam in manu voluntatis creatæ ponere, hoc enim objectionem quandam præseferre videtur, dignitati divinæ supremæque ejus excellentiæ parum consonam. Resp. nullam hîc esse subjectionem, Deus enim quod hac in parte facit, liberè facit, à nullo coactus, nisi à bonitate suâ, quâ ita omnipotentiam rebus creatis permittit, & attemperat, ut penes ipsum sit momentis singulis concursum, quem præbet, suspendere. Unde hæc voluntas, Dei bonitatem, liberalitatem, ac munificentiam commendat, nihil officit dignitati.

V. *Hæc Dei voluntas melius explicatur per particulam Quando, quàm Si.*

Objicies secundò: actio voluntatis creatæ, & concursus Dei in actu secundo, sunt secundùm nos eadem entitas, ergo si actus quo Deus omnipotentiam suam voluntati creatæ applicat, sit conditionatus, nempe *volo concurrere si voluntas creata operetur*, perinde est ac si diceret, *volo concurrere, si ponatur meus concursus*, operatio enim creatæ voluntatis, ut dixi, & concursus Dei sunt idem. Resp. convincere evidenter hoc argumentum, voluntatem Dei, quâ suam voluntati creatæ omnipotentiam applicat, non esse formaliter conditionatam, sicque benè impugnat secundam sententiam sec. præcedente relatam. Dico ergo hanc Dei voluntatem non esse formaliter, sed tantùm virtualiter conditionatam, & meliùs explicari per particulam *quando*, quàm *si*, ita ut dicat Deus, *quando voluntas creata operatur, ego simul cum ea concurram*: quo decreto posito, operante voluntate creatâ, unà operatur Deus, & cum eâ pariter concurrit. Hæc optimè explicantur per concursum habituum naturalium, vel supernaturalium, qui, operante voluntate, simul cum illâ eâdem numero actione concurrunt.

VI. *Modus concurrendi Dei est diversus à modo concurrendi creaturæ.*

Objicies tertiò: etiam concurrente Deo operatur voluntas creata, cùm sit eadem actio, ergo tam dici posset *si* vel *quando Deus concurrit, operabitur voluntas creata*, ac è contrà. Resp. realiter loquendo, & quoad rem ipsam ita esse: quoad modum tamen operandi, determinatio meritò tribuitur causæ particulari, cùm universalis ex se, & modo concurrendi sit indifferens, ut in cælo, & sole constat, quæ ab igne determinantur ad producendum ignem, à leone ad leonem, ab equo ad equum &c. licèt eâdem cum his omnibus actione concurrant.

VII. *Quomodo actus inefficax ex parte Dei ad hunc effectum sufficiat.*

Objicies quartò: actus inefficax voluntatis, licèt internos aliquos actus excitare possit, nihil tamen operatur ad extra, qui enim inefficacem tantùm habet voluntatem ambulandi, aut sumendi medicinam, ad neutrum se unquam efficaciter accinget, ergo applicatio omnipotentiæ, ut sit efficax, fieri debet non per actum conditionatum & inefficacem, sed per efficacem & absolutum. Resp. si determinatio ad operandum, seu producendum actum liberum fieri deberet à Deo, habere necessariò deberet actum efficacem: at cùm determinetur hîc & nunc à voluntate creatâ, sufficit voluntas inefficax illius operationis, quæ, operante creaturâ, transit in efficacem & absolutum. Addo, licèt hæc Dei voluntas sit inefficax respectu operationum voluntatis creatæ, (utpote quas per hoc decretum non prædefinit, nec eam ad operandum prædeterminat) est tamen efficax respectu exhibitionis omnipotentiæ, quam verè in potestate liberi arbitrij per hunc actum ponit, ita ut jam uti eâ ad quemcunque voluerit actum, possit, quod tamen, nisi talis in Deo actus præcederet, non posset.

Hæc Dei voluntas respectu alicujus est efficax.

VIII. *Concursus Dei est prior subsistendi consequentiâ concursu creaturæ.*

Quæres, concursus hic Dei respectu concursûs voluntatis creatæ, sitne antecedens an subsequens? Resp. realiter loquendo esse neutrum, sed esse concomitantem. Unde, Deus & creatura concursu simultaneo ad operationes omnes creatas influunt. Dici tamen potest concursus Dei prior subsistendi consequentiâ, cùm non valeat consequentia ab operatione Dei ad operationem creaturæ, valet tamen ab operatione creaturæ ad operationem Dei, legitima enim est hæc consequentia, *operatur creatura, ergo operatur, vel cooperatur Deus*, non tamen è contrà, *operatur Deus, ergo operatur creatura*, cùm Deus absque creaturâ producere infinita possit, creatura sine Deo nihil.

DISPUTATIO XXIX.

De concursu Dei ad actum malum.

Argumentum præcipuum Durandi, quòd Deus esset causa peccati.

PRæcipuum argumentum pro sententiâ Durandi negantis Deum immediatè cum creaturis ad actus suos concurrere, est quòd inde sequi videatur, Deum esse causam peccati: si enim ad omnes creaturarum effectus concurrat, ergo & ad actiones earum peccaminosas: imò actio mala procederet etiam à Deo, ergo Deus tam esset causa peccati, quàm creatura, seu voluntas creata: quod tamē damnatum est in Concilio Triden. sess. 6. can. 6. his verbis: *Si quis dixerit mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissivè solum sed etiam propriè, & per se, &c. anathema sit.*

SECTIO PRIMA.

Patris Fratris Ludovici à Dolâ sententia circa concursum Dei ad actum peccati.

I. *P. Dola definitum putat Deum non concurrere immediatè ad actum peccati.*

PAter Frater Ludovicus à Dolâ quarta parte sui operis de *concursibus Dei & creaturæ* c. 7. nu. 2. & 3. existimat canone illo Concilij Trid. proximè citato definitum esse, Deum proximè & immediatè ad actum peccati non concurrere, sed mediatè tantùm, & remotè, totumque influxum in peccatum adæquatè à libero arbitrio procedere, Deumque non alio modo ad actum pravum concurrere, quàm voluntatem creatam, à qua immediatè producitur, conservando. Unde per particulas illas *propriè & per se*, ait intelligi concursum physicum & immediatum, quem asserit definire hîc concilium in Deo respectu peccati non reperiri. Quod toto capite 9. ex professo ostendere conatur.

II. *Refellitur hæc sententia ex ipso Concilio.*

Sed contrà, quod hoc loco negat Concilium de operibus malis, asserit de bonis, & juxta Concilium, sicut Deus *propriè & per se* non operatur opera mala, ita *propriè & per se* operatur bona. Si ergo per has particulas *propriè & per se* intelligatur concursus physicus & immediatus, & definiat Concilium Deum non concurrere physicè, & immediatè ad actus malos, eâdem operâ definit concurrere Deum physicè, & immediatè ad actus bonos, ergo hac definitione Concilij percutitur anathemate opinio Patris Dolæ, qui, ut vidimus disp. præcedente, negat Deum ad ullos omnino actus voluntatis creatæ, etiam bonos, concurrere physicè & immediatè. Re tamen verâ nec unum definitur nec alterum, ut mox ostendam.

III.

Longè ergo alia est mens Concilij. Pro cujus intelligentiâ Notandum, extitisse eo tempore nonnullos, qui novarum rerum studiosi, varia spargebant dogmata, Deo injuriosa, ejusque sanctitate, bonitate, & æquitate maximè indigna.

IV. *Blasphemæ quædam voces, quæ Concilium ad hanc definitionem impulere.*

Ut verò ex multis pauca exeerpam, hæc & similia erant eorum placita, vel potiùs blasphemiæ. *Deus*, inquiebant, *non permittit tantùm, sed directe vult & decernit peccata omnia, quæ indies fiunt ab hominibus*, & quod plus est, *ea ab æterno statuit, ordinavit, prædestinavit*: nec hoc tantùm, *sed modo etiam occultâ vi, & suggestione quadam secretâ ipse per se homines ad flagitia movet, incitat, imò & necessitat.* Addebant, *Deum mandare, urgere, impellere diabolum, ut quotidie maleficia concipiat, & homines quoquo modo ad peccandum inducat.* Unde ajebant Deum ab æterno ordinasse, & prædestinasse ut Adamus peccaret, & posteros in eandem secum ruinam pertraheret. Quare, inquiebant, *simpliciter asserendum est Deum propriè causam, & auctorem esse omnium peccatorum, utpote quo volente, jubente, prædestinante, impellente perpetrantur. Nec minùs proprium opus esse Dei asserebant adulterium Davidis, & Judæ proditionem, quàm vocationem Pauli, & aliud quodcunque pium opus, in quo misericordia Dei, & bonitas maximè eluceat.* Hæc & his similia extant in operibus Lutheri, Zvvinglij, Calvini, & aliorum: qui ubi semel ab Ecclesiâ defciverant, in hujusmodi blasphemias præcipites ruerunt.

V. *Harum blasphemiarum prolatores hîc damnat Concilium.*

Contrà hos ergo Canone citato pronuntiat Ecclesia, eosque, qui in tam fædis erroribus obstinati persisterent, hoc fulmine ab Ecclesiæ communione resecat, indignos nimirum, qui, cùm sanctitatis omnis origini ac fonti, tam fædas maculas aspergant, Ecclesiæ quæ sancta est, & immaculata, membra cênseantur. Contra illos verò, qui Deum solo physico, & immediato influxu ad peccatum concurrere affirmant, nihil vel per umbram definit, quippe qui nihil Deo indignum asserunt, quem sc. justissimis de causis concursum omnibus, non qui ad malum impellat, sed indifferentem offerre dicunt, ut unusquisque eo ad opera naturæ suæ, & rectæ rationi congrua utatur, si quis autem secus fecerit, Deus dum cum eo ut auctor naturæ, & ut indemnem servet creaturæ rationalis libertatem, concurrit, nihil vel sanctitate, vel æquitate suâ indignum præstat. Ut tamen magis propriè loquar, huic, omnipotentiæ non tam præbet, quàm non denegat concursum.

Deus quibusdam non tam præbet, quàm non denegat concursum.

VI. *His consonat doctrina Patrum.*

His etiam consonat communis doctrina Patrum, qui in eos acerrimè invehuntur, non qui influxu physico, & indifferente Deum cum creaturâ rationali juxta naturæ leges concurrere, sed qui eum instigatione quadam aut suasu homines ad malum impellere, vel ferreo quodam decreto ad peccandum eos cogere, ac necessitare affirmabant. Sic Euseb. Cæsar. l. 6. de præpar. Evang. c. 5. *Impius*, inquit, *profectò judicabitur, imò verò pessimus omnium, qui à creatore universi, alios ad adulteria, alios ad rapinam, alios ad alia vitia impelli arbitratur, unde sequitur, aut hæc peccata non esse, aut peccandi causam in creatorem referri.* Idem sæpè docet S. Augustinus, & alij Patres, nihilque in eorum scriptis frequentius: ijs verò, qui Deum influxu solùm generali, & indifferente cum hominibus ad peccatum concurrere asserebant, nullus sanctorum Patrum id vertit vitio.

Eusebius Cæsariensis.

S. Augustinus.

VII. *Non est damnatum à Concilio Deum concurrere immediatè ad peccatum.*

Dogma ergo hæreticorum, aut hominum impiorum nunquam existimatum est, quòd Deus, modo jam explicato, ad peccatum concurreret; sed virimaximè pij, & catholici, quique frequentes tunc Concilio interfuerunt, & sententiam istam tuebantur, hunc canonem condiderunt: nec tamen propterea opinionem suam de generali, & immediato Dei cõcursu ad peccatum postea mutarunt, quod tamen haud dubiò fecissent, si se illo anathemate ferriri existimassent. Unde mirum mihi videtur, Patri Dolæ in mentẽ venire potuisse ut assereret definitum à Concilio, & fidei articulum esse, Deum physico & immediato influxu ad peccatum non concurrere.

VIII. *Cur dicatur Deus operari opera bona, & non mala.*

Dices; definiri hoc canone Concilij Deum *non operari opera mala*, hoc autem sonat concursum physicum. Contrà, additur Deum *non operari opera mala, ut bona*, ergo, ut suprà dixi num 2. si definiatur Deum non concurrere physicè, & immediatè ad peccatum, definitur similiter contrà P. Dolam concurrere Deũ physicè, & immediatè ad actus virtuosum. Resp. itaque, ideo dici Deum operari opera bona, & non mala, quòd per inspirationes varias homines ad bonum operandum instiget, & præmijs etiam propositis ad exercendam virtutem invitet, imò & opera multa bona præcipiat, sicque à bonum homines omni ratione movet, urget, & impellit. Mala verò è contrà severissimè, pœnæ etiam interminatione prohibet, ut mortales ab eorum perpetratione deterreat. Unde bona operari proprijssimè dici potest, & hæc in eum tanquam in authorem refundi, secus verò mala. Quo sensu ibidem damnat Concilium eos, *qui dixerint: proprium opus Dei non minùs esse proditionem Judæ, quam Pauli vocationem.*

IX. *Propositio quædam P. Suarij non rectè à P. Dola reprehenditur.*

Hinc constat, propositionem illam P. Soarij l. 1. de concursu Dei, c. 4. n. 2. ubi dicit omnem actum voluntatis creatæ indigere actuali Dei auxilio, seu cõcursu, quo verè proprieque, ac per se à Deo fiat, non esse contra hunc canonem Concilij, ut prætendit P. Dola p. 4. cap. 8. num. 5 & toto c. 9. loquitur enim P. Suarez eo loco de productione tantùm physicâ cujusque actûs, idque per concursum indifferentem: Concilium autem, quando negat Deum *propriè & per se* operari opera mala, contra illos loquitur de quibus suprà nu. 4. qui Deum aiebant homines ad

mala perpetranda movere, urgere, impellere, imò & necessitare: quorum nihil in illa Suarij propositione reperitur, ut constat.

SECTIO II.

Deus immediatè cum creaturâ producit actum peccati.

I. *Deus physicè, & immediatè concurrit ad actum peccati.*

Dicendum itaque Deum physicè, & immediatè ad actum peccati simul cum creatâ voluntate concurrere: ita S. Thomas in 2.d.37.q.2.art.1.cujus verba retuli d.præcedente s.1.num. 4. idem habet S. Doctor 1.2. quæst.79 ar.2.corp. Suarez locis citatis: Vasq.1.2.d.79.c.3.nu.9. dicens ibidem esse eam expressam sententiam D. Anselmi de casu diaboli cap. 20. alibi: Tanner.1.2.d.4. q.9.d.5. nu.76. asserens *tanquam certissimum esse tenendum Deum, per modum causæ universalis verè, propriè, & immediatè efficere actū peccati, una cū causâ Secunda, adeò ut opposita sententia, etsi manifestè non sit hæretica, prorsus tamen sit falsa, & improbabilis.* Hæc ille. Idem docet Zumel 1.2. q.79.ar. 2. ajens *contrariam opinionem ut minimum esse valde periculosam in fide, & fortè erroneam.* Montesinus 1.2. disp.10. quæst.3. num.25. asserens *esse erroneum, vel errori proximum negare Deum concurrere ad actum peccati.*

S. Thomas.

Probatur auctoritate Theologorum.

II. *Malderi Episcopi Antverpiensis de Durandi opinione judicium.*

Omnium verò clarissimè Malderus Episcopus Antverpiensis 1.2.qu.79.d.2 in articulum 1. & 2. S. Thomæ, ubi cum Durandi sententiam retulisset, negantem Deum concurrere per se & immediatè ad actiones malas, sic subdit: *pro contrariâ sententiâ sit unica assertio: Est fidei, Deum tanquam causam primam concurrere ad omnem operationem creaturæ, adeoq; ad actum materialem cujusvis peccati per se, & immediatè. Ita tenent omnes Theologi, quorum multi apertè dicunt, sententiam Durandi esse hæreticam: reliqui omnes hanc nostram, tanquam dogma Catholicum, de quo dubitare non liceat, amplectuntur.* Hæc ille, qui tamen diu scripsit post Concilium Tridentinum. Unde P. Hurt.d.10. Phy.sect.2. licèt in sententiam negantem Deum concurrere ad actum peccati propendeat, ob auctoritatē tamen Theologorū ei subscribere non audet. Eandem sententiā tenet P. Arriaga d.10. Ph.s.1.nu.34. P. Oviedo, cont.10. phy.p.1. & alij.

III. *Unde desumenda sit rei hujus probatio.*

Probationes hujus conclusionis eædem sunt cum illis, quibus disp. præcedente s.1. probavi Deum ad omnes omninò effectus physicè & immediatè concurrere, quod non minùs de actu peccaminoso verum est, quàm de alio quocunque, cùm non minùs sit entitas physica, & realis. Imò aliquando eadem actio, saltem externa, quæ modò ob advertentiam ad Deum, præceptum, vel malitiam, est peccatum, si sine hac advertentiâ fuisset facta, non fuisset peccatum, dicere autem in uno casu à Deo physicè & immediatè produci, in alio solùm mediatè, videtur incredibile.

Eadem actio aliquando peccatum, aliquando non.

IV. *Explicantur dicta quædam Patrum circa concursum Dei ad peccatū.*

Quæ verò in contrarium ex S. Augustino, vel alijs Patribus afferuntur, solùm probant, vel Deum non velle directè, & absolutè peccata: vel non concurrere ad peccata formaliter, seu ita ut ipse, ea producendo peccet; vel tandem (quod peculiariter in S. Augustino non caret fundamento) volebant peccatum, quoad formalem rationem malitiæ, & peccati, consistere in negatione, sicque licèt ad totam entitatem physicam peccati immediatè, & physicè concurrat Deus, non tamen ad peccatum, quà tale, seu ad rationem formalem, quam dicunt multi non tam esse, quàm non esse, nec habere causam efficientem, sed deficientem. Putat autem Arriaga citatus hanc quæstionem non fuisse unquam à Patribus in terminis disputatam. Utrùm autem Deus, dum immediatè ad actum peccati concurrit, dici possit causa illius physica, constabit ex dicendis.

SECTIO III.

Dicine possit Deus causa Physica actûs pravi.

I. *Quid sit esse causam moralem peccati*

Physica, inquam, nam Deum non esse causam moralem actûs pravi certum est; causa quippe moralis est quæ suadet, consulit, præcipit, & alio hujusmodi influxu morali ad rem aliquam concurrit, quod tantum abest ut Deus præstet respectu peccati, ut etjam ab eo homines omni modo avocet, imò, ut suprà dixi s.1. severè illud prohibeat, & pœnis propositis ab eo deterreat: Sic Psal.50.v.5. dicitur, *quoniam non Deus volens iniquitatem tu es:* & Ecclesiastici 15.v.21. *nemini mandavit impiè agere, & nemini dedit spatium peccandi,* seu, ut peccaret. Unde tandem Iac.1.v.13. sic habetur, *nemo cùm tentatur dicat, quoniam à Deo tentatur, Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat.*

II. *Refutantur dicta hæreticorum.*

Hinc refutatæ manent blasphemiæ hæreticorum nostri temporis, quas suprà retuli s.1.n.4. qui sequuti Simonem Magum, Marcionem, & alios antiquos hæreticos, Deum ad peccata & flagitia movere, urgere, & impellere homines dicebant. Hujus tamen dogmatis eos postea puduit, unde Philippus Melanchthon, *Crudelis,* inquit, *opinio est, qua facit Deum authorem peccati, à quâ auribus & animis abhorrere debemus.* & alibi, *summa contumelia Dei est,* inquit, *tribuere ei quòd velit peccatum, & impellat homines ad turpitudinem.* Quam etiam blasphemiam Lutherani moderni detestantur, licèt, ut varia semper est hæresis, in eam multi ex ijs relabantur. Sed hæc Theologis relinquamus.

Hæreticos sui dogmatis puduit.

III. *Dicine possit Deus causa universalis physica peccati.*

Difficultas itaque præsens est, utrùm, posito quòd Deus physicè concurrat ad actum peccati (ut docet communis Theologorum sententia contra Durandum) dicendus sit causa saltem physica universalis peccati, seu illius entitatis physicè & materialiter sumptæ, sicut est causa aliarum rerum. Qua in re prima sententia est negativa, quæ tamen non eodem modo à suis auctoribus defenditur.

IV. *Varij modi defendendi Deum non esse causam physicam peccati.*

Primò itaque dicunt aliqui Deum ideo non esse causam physicam peccati, quòd nulli subjiciatur, sicque concurrendo ad peccatum, nullam violat legem: ita Becanus Opusc.1.c.3. Secundò, Hurtado d.10. Phy.nu.42. ideo Deum negat esse causam physicam peccati, quòd non causet illud modo peccaminoso, sicut nec vitaliter. Tertiò Scotus, Salas, Vasquez 1.2. d.129 c.7. quòd sola voluntas creata sit causa libera peccati. Sed contra hos omnes modus est, solùm enim probant Deum non peccare concurrendo ad actum peccati, non tamen non esse causam illius physicam, cùm habitus sit causa physica actûs peccaminosi, qui tamen nec liberè concurrit, nec subditur legi, cùm non sit rationalis. Deinde, Deus concurrit liberè aliquo modo ad peccatum. Præterea sequeretur Deum non esse causam actuum liberorum, qui non sunt peccata, cùm sola voluntas sit principium eorum vitale, & propriè liberum. Tandem in productione aliarum omnium rerum non subditur Deus legi, & tamen est causa earum physica.

Impugnantur hi procedendi modi.

V. *Alij ut hoc vitent, peccatū ajunt consistere in privatione.*

Facilius ab hac difficultate se expediunt illi, qui malitiam peccati constituunt in negativo, privatione sc. aliquâ ad entitatem positivam actûs sequente; unde cùm Deus non concurrat ad hanc privationem immediatè, sed ad solam positivam entitatem actûs, sequitur non esse causam malitiæ peccati;

causa

sa enim mediata non censetur causa effectûs positi ad positionem causæ immediatæ, seu fundamenti alicujus effectûs, vel privationis inde sequutæ, nisi vel ponat causam immediatam, & fundamentum eâ intentione ut sequatur effectus, aut privatio, vel teneatur à positione talis causæ abstinere, quorum neutrum Deo competit: Deus enim, cùm sit causa universalis, non tenetur concursum ad peccatum negare. Ita Bellar. l. 2. de amissione gratiæ, c. 18. Molina in Concord. q. 14. ar. 13. d. 3. & q. 19. art. 6. disp. 3. Suarez. l. 2. de Aux. c. 3. Valen. 1. 2. q. 9. p. 2. Azor. To. 1. l. 4. c. 22. q. 1. Salas 1. 2. d. 10. s. 2. n. 32. Tanner. 1. 2. d. 4. q. 9. dub. 5. n. 82. & alij.

VI. *Ratio illa de peccato consistente in privatione nec subsistit nec satisfacit.*

Contrà primò, multò probabilius est, formalem malitiam peccati consistere in positivo, ut ostendi 1. 2. d. 1. s. 1. Contrà secundò, non ob aliam rationem homo censetur causa physica illius privationis, nisi quia producit physicam entitatem actûs peccaminosi, ad quam sequitur privatio; sed Deus æquè entitatem illam physicam producit, ergo æquè erit causa privationis. Quamcunque igitur rationē reddiderint hi auctores, cur hæc privatio sequatur ad actionem illam physicam ut est ab homine, & non ut est à Deo, reddi eadem poterit cur homo sit causa physica peccati, non Deus, etiamsi malitia peccati consistat in positivo. Statuere ergo peccatum in privatione, nihil ad modi hujus solutionem conducit.

VII. *Novus respondendi modus.*

Quintò itaque nonnulli sic procedunt; dicunt Deum causare omnes partes peccati, nempe, qualitatem, actionem, & unionem cum subjecto distributivè sumptas, non tamen collectivè, seu totum, quod distinguitur à partibus sigillatim sumptis: sicque licèt sit causa partium, non tamen est causa totius, ac proinde nec peccati.

VIII. *Refellitur hæc responsio.*

Sed contrà, totum juxta hos auctores est quid distinctum à partibus, ergo debet Deus illud producere, alioqui esset aliquid ad quod Deus immediatè non concurrit, sicque incidunt in opinionem Durandi. Conf. esto, totum sit quid distinctum à partibus distributivè sumptis, non tamen producitur per aliam actionem, præter actiones partium, sed omnes actiones partium sunt actio totius, ergo ille qui producit omnes partes, producit ipso facto totum, sicut qui producit duo alba, ipso facto producit similitudinem, in sententiâ relationem non distinguente à fundamento & termino. Conf. secundò, implicat ut quis producat omnes partes distributivè, & non producat easdem collectivè, cùm à parte rei sint idem, ergo & quin producat totum. Conf. tertiò, si ex centum hominibus singuli conjiciant unum lapidem in eundem locum, omnes simul acervum illum faciunt: quod etiam contingeret si unus singillatim eosdem lapides in cumulum illum projiceret, ergo quoad confectionem aggregati alicujus, vel acervi, idem in rei est producere, vel projicere omnes partes, aut lapides distributivè, & collectivè.

IX. *Ulterius impugnatur postremus hic respondendi modus.*

Quòd si dicatur produci in dictis casibus totum ex eo quòd ponantur, vel producantur partes distributivè, ergo & Deus erit causa physica peccati, licèt illius partes ponat solùm distributivè, alioqui nec homo erit causa physica peccati, cùm quoad hoc eodem modo illius partes producat, quo Deus; imò Deus non erit causa physica actûs boni, cùm eodem modo producat partes illius, actionem sc. qualitatem, & unionem quo producit partes peccati. Præterea, certum est Deum permittere peccatum, cùm tamen non permittat totum alio modo, quàm per ipsius concursum partes istæ peccati ab homine producuntur. Deinde, ipsa actio productiva peccati est mala, & peccatum, ergo Deus concurrendo ad illam, concurrit ad peccatum. Imò ulteriùs, cùm actio sit immediata productio termini, qui ponit actionem, ponit immediatè terminum, qualitatem scilicet malam, & unionem, & sic totum, seu effectum malum. Alia multa excogitari facilè contra hanc sententiam possent, sed hæc sufficiunt.

SECTIO IV.

Proponitur alius modus defendendi, Deum non esse causam physicam peccati.

I. *Ideo negant aliqui Deū esse causam Physicam peccati, quia concursus ejus est indeterminatus.*

SExtò itaque dicunt alij (& est communis hodie responsio) ideo Deum non esse simpliciter causam, etiam physicam peccati, quia licèt influxu universali concurrat ad actum peccaminosum, concursus tamen ejus, inquiunt, non est determinatus, sed indifferens, Deus enim in actu primo non magis parat concursum ad amorem quàm odium, calorem quàm frigus, & universim ad unam speciem quàm ad aliam: causa autem secunda hîc & nunc determinat, ut potiùs egrediatur amor, quàm odiū, & sic de cæteris; ideoque causa secunda est causa horum simpliciter, non prima: ita Mol. cit. Lessius de Aux. c. 4. & l. 11. de Perfectionibus Divinis, num. 18. Conink d. 10. de actib. n. 70. Arriaga d. 10. Phy. s. 1. nu. 45. & plurimi ex recentioribus.

II. *Impugnatur, quia sequeretur Deum non esse causam ullius rei.*

Sed contrà, si enim ideo Deus non sit causa physica peccati, quia concursus ejus est indifferens, ergo nec erit causa universalis ullius rei, nam concursus ejus universalis est indifferens respectu omnium rerum, & ab igne determinatur ad producendum ignem, ab aquâ ad aquam, à sole ad metalla, à potentiâ liberâ ad hunc vel illum effectum bonum, vel indifferentem &c. Contrà secundò, hinc enim sequeretur, intellectum non esse verè causam suorum actuum, nam ex se, seu in actu primo est indifferens ad varios actus specie distinctos, ad quos determinatur à tali specie intelligibili: imò etiam positâ tali specie, est indeterminatus ad actus specie distinctos, nempe ad hoc vel illud specie judicium, affirmativum sc. vel negativum, positâ enim eâdem specie vel apprehensione, affirmare potest stellas esse pares, vel negare, ergo intellectus non est propriè causa horum actuum.

III. *Alij tandem negant Deū esse causam physicam peccati, quia ad illud concurrit cum aversione.*

Propter hæc & alia hujusmodi, quæ quivis facilè excogitare poterit, dicunt tandem alij solam indeterminationem non sufficere, sed ad hoc ut aliquis sit causa ullius rei, requiri ulteriùs, ut cum inclinatione quadam & propensione ad illud concurrat, vel saltem non cum aversione, ac displicentiâ, & involuntariè; Deus autem, cum maximâ aversione & invitus concurrit ad peccatum, utpote rem Deo ingratam, & invisam: cujus indicium est, quòd Deus actus malos non prohibeat solùm, sed pœnis & supplicijs propositis, ut antè dixi, ab ijs homines deterreat: ita fere P. Arria. d. 10. Phy. s. 1. n. 47. & s. 2. n. 87. & P. Oviedo Cont. 10. Phy. p. 4. n. 38. & 39. & ex recentioribus non pauci.

IV. *Hæc etiam ratio non videtur satisfacere.*

Sed contrà primò, hæc enim solùm probant, Deū non esse causam moralem peccati, non tamen non esse physicam. Contrà secundò, peccatum prout cedit à Deo, non est malum, sed solùm prout procedit à facultate creatâ, sub hac enim solâ ratione est actus ille difformis rectæ rationi: unde P. Erice. 1 p. d. 18. c. 1. n. 9. & alij affirmant Deum amare actum peccaminosum merè ut est terminus omnipotentiæ divinæ ergo nihil est quo minùs dici possit causa physica illius.

V.

Contrà tertiò, Deus concursu universali non cōcurrit cum aversione ac displicentiâ, ad omnem saltem actum peccati, ergo etiam juxta hunc modum respondendi, est causa physica universalis respectu

Deus concursu universali, & antecedenter, non concurrit cum aversione ad omne peccatum.

aliquorum peccatorum. Antecedens probatur, in actibus ijs, qui sunt mali quia prohibiti, qualis erat comestio illius pomi in paradiso. Ex quo sic argumentor, Deus concursum universalem ad hunc, & similes actus non præstat invitus, involuntariè, cùm displicentiâ, aversione, &c. ergo est causa physica universalis respectu illorum. Antecedens probatur, actus volendi concurrere ad hos actus, seu concursus illorum universalis est præstitus ante aversionem, & displicentiam, ergo. Antecedens probatur, concursus universalis hîc ex parte Dei est præstitus ante causam aversionis & displicentiæ, ergo à fortiori ante displicentiam: antecedens hoc probo, Deus prudenter non potest prohibere, sicut nec præcipere nisi actus proximè possibiles; unde non potest prudenter prohibere homini hîc in terra ne manu tangat cœlum, aut ne loquatur is, qui caret linguâ, sed non magis potest quis elicere hujusmodi actus physicos sine concursu universali Dei parato, quam homo loqui sine linguâ, ergo pro aliquo priori ad prohibitionem positus in actu primo est ex parte Dei concursus universalis, ergo à fortiori pro priori ad aversionem & displicentiam, quæ posteriores sunt prohibitione, cùm hæc, ut dixi, sit earum causa. Eodem itaque signo parat Deus concursum universalem ad hos actus, quo ad productionem ignis, caloris, & aliarum omnium rerum: unde eodem etiam modo, quoad concursum generalem, ad illos concurrit.

VI. *Ulterius hoc idem declaratur.*

Accedit itaque prohibitio ad illud, ad quod Deus antecedenter ad prohibitionem nullam habet aversionem, ergo ad id, quod si ponatur à parte Dei, ponetur sive aversione (per eundem enim concursum res semper producuntur, per quem videbantur producibiles) cùm ergo Deus ut causa universalis, nullam habeat aversionem à re ullâ indifferente quà indifferente, & non alio modo ut causa universalis respiciat hos actus, quàm omnes alios indifferentes, utpote qui antecedenter ad prohibitionem ab ijs non differunt, sequitur Deum ut causam universalem concurrere ad illos sine aversione, & consequenter esse respectu illorum propriè causam universalem.

VII. *Certum est Deo displicere omnia peccata.*

Dices; negari non posse, quin Deo displiceant peccata, non ea solùm, quæ sunt intrinsecè mala, & ideo prohibita, sed illa etiam quæ tantùm sunt mala quia prohibita; ergo ut causa universalis ad hæc etiam concurrit cum aversione, & displicentiâ. Fateor Deum ad omne peccatum concurrere cùm aversione, non tamen ut causa universalis est: Dei enim voluntas præbendi concursum universalem est pro aliquo priori ad displicentiam, imò & ad causam displicentiæ, cùm debeat actus esse completè possibilis, antequam prohibeatur, ut suprà ostendi n. 5.

VIII. *In his peccatis displicentia hæc est tantùm consequens.*

Displicentia ergo hæc est consequens ad omnia principia physica horum actuum à Deo posita, displicentia autem consequens non potest efficere ut antecedenter, & ut causa universalis influat Deus cum aversione, cùm pro illo priori non sit posita causa aversionis. Sicut voluntas damnandi Judam, & eos qui moriuntur in peccato mortali, non tollit voluntatem antecedentem, quam habet Deus illos, & omnes salvandi. Comestio ergo illius pomi ab Adamo antecedenter ad præceptum (quo modo eam respicit concursus Dei universalis) nihil differt à comestione, qua Petrus modò pomum aliquod comederet, aut Adamus pomum illud comedisset, si nulla fuisset prohibitio.

IX.

Dices secundò; esse in Deo duas voluntates concurrendi ad hujusmodi actum, unam ante, aliam post prohibitionem. Contrà primò, concursus universalis secundùm communem sententiam Philosophorum, & Theologorum est tantùm unus, & inauditum est hactenus in scholis ponere duos. Contrà secundò, actus hujusmodi indifferens pro eodem signo quo prohibetur, potuisset præcipi, sed ad illum actum quando præcipitur, nullus ponit novum concursum universalem, ergo nec quando prohibetur, nec præceptum enim, nec prohibitio mutat substantiâ actûs. Contrà tertiò, alioqui non concurreret Deus ad eandem actionem quam prohibebat, mutato enim uno principio mutatur actio, Deus siquidem quando prohibet actum, non videt illum in circumstantiis prohibitionis, nec habet prohibitionem suam, nec se pro objecto, sed nudè prohibet illum actum, ad quem jam præbuit concursum, cùm videat illum possibilem.

Dici nequit esse in Deo duos concursus in actu primo.

SECTIO V.

Resolutio quæstionis circa concursum Dei ad actum pravum.

I. *Deus circa peccatum habet se solùm permissivè.*

PRima conclusio: Deus respectu actûs peccati habet se solùm permissivè. Hæc conclusio est fide certa, & definita in Con. Tridentino, sess. 6. can. 6

II. *Deus cum aversione ad peccata concurrit.*

Secunda conclusio: Deus peccata omnia odit, & aversatur, & cum displicentiâ ad ea unà cum libero arbitrio producenda concurrit. Ratio est quia Deus eo affectu in res omnes fertur quem merentur, peccata ergo, cùm malorum omnium sint maxima, Deus aversatur, & odit. Hanc tamen aversionem, respectu eorum peccatorum, quæ non sunt ex se mala, sed mala tantùm quia prohibita, non habet Deus antecedenter, & ut præbet concursum universalem, sed solùm consequenter, ut latè dictum est sec. præcedente, numero maximè octavo.

III. *Non est contra Patres, aut Concilia Deum esse causam universalem physicam actus peccati.*

Tertia conclusio: nihil dicit contra Patres aut Concilia, qui affirmat Deum esse causam universalem physicam actûs peccati. Ratio est, quia quando Concilia, & Patres negant Deum esse causam peccati, per causam idem intelligunt, ac auctorem, seu non esse causam cur homines prava opera faciunt, nec Deum eos ad peccata instigare, & impellere, multò minùs physicè ad actus malos determinare, eosve prædefinire, ut suprà latiùs dixi s. 1. n 3. & 4. Quòd verò Deus eo modo sit causa physica physicè influens in actum peccati, sicut in alias res per concursum universalem, & indifferentem, nunquam negant Patres: & sæpe sanctus Thomas, ut 1. 2. q. 79. a. 2. & alibi expressè, docet Deum esse causam actûs peccati, qui nimirum, prout procedit à Deo, non est malus.

IV.

Quarta conclusio: quamvis videri fortè alicui posset non esse inconveniens, si dicatur Deus esse causa physica uniuersalis actûs peccati quoad totum positivum, modo jam explicato, id tamen nullo modo est sine explicatione concedendum.

V.

Primam conclusionis partem existimo esse secundùm mentem sanctorum Patrum, qui frequenter asserunt Deum esse causam actûs illius positivi, & quando negant, solùm id faciunt in sensu conclus. præcedente explicato. Unde præter alios hoc expressè docet Malderus citatus supra s. 2. & Tannerus 1. 2. d. 4. q. 9. dub. 5. n. 76. quo etiam modo passim loquitur Zumel, & Vasquez. & alij ex recentioribus. Unde tandem Molina citatus d. 31. ait Deum esse causam universalem actionis quæ materialiter peccatum est. Nec in re fortè aliud vult Cajetanus 1. 2. q 79. a. 2. dum ait, Deum esse causam peccati, licèt non adjunctæ privationis Ratio secundæ partis est, quia *ex verbis incautè prolatis nascitur hæresis.*

Ex verbis incautè prolatis nascitur hæresis.

DISPU-

DISPUTATIO XXX.

Quomodo Causa prima applicet secundas ad agendum.

SECTIO PRIMA.

Vtrum Causa prima physicè prædeterminet secundas ad operandum.

I. NOn inquirimus in præsenti utrum physica prædeterminatio vim inferat voluntati, tollatque libertatem ad actum contrarium; hęc enim controversia Theologorum propria est, quam fusè & eruditè tractant Molina in Concord. q. 14. a. 13. d. 37. & 38. q. 23. a. 4. & 5. Bellarm. l. 1. de. de gra. c. 12. & l. 4. c. 14. & l. 6. c. 15. Valent. 1. 2. q. 3. p. 4. §. 2. Vasq. 1. p. d. 88. c. 6. & d. 98. c. 5. Fonseca l. 6. Met. c. 2. q. 5. s. 10. Less. de gra. efficaci c. 1. Tanner. 1. 2. d. 6. q. 2. dub. 3. Salas 1. 2. tr. 5. d. 3. s. 2. & alij.

II. *Status quæstionis.* Quod ergo modò disputatur, est utrùm causa secunda speciali egeat Dei applicatione per aliquid ei superadditum, per quod ad operandum determinetur.

III. *Prima sententia statuit prædeterminationem physicam.* Triplex hac in re est sententia. Prima est Thomistarum, saltem recentiorum, quæ asserit, à Deo causis omnibus qualitatem quandam antecedenter infundi, tanquam complementum virtutis earum activæ quam præmotionem, vel prædeterminationem physicam appellant, eamque talis naturæ statuunt, ut nec sine illâ causa secunda, sive libera, sive necessaria, operari quidquam possit, nec eâ posità, ab operatione desistere. Dixi hanc opinionem esse Thomistarum, saltem recentiorum, nam P. Oviedo cont. 10. Phy. p. 3. n. 3. ait ex illustrissimâ Prædicatorum Familia nullum ante Bannez hujusmodi prædeterminantem qualitatem agnovisse, & modò plures ex eodem ordine eam ut inutilem rejicere.

IV. *Secunda ponit decretum Dei extrinsecum efficax.* Secunda sententia est Scotistarum, qui nihil hujusmodi physicum & intrinsecum creaturæ inditum esse volunt, sed eam dicunt per decretum Dei extrinsecum absolutum, & efficax ad agendum applicari, ac determinari. Qui proinde à priori sententiâ in eo solùm differre videntur, quod illa hanc creaturæ applicationem ad opus per aliquid intrinsecum fieri dicat, hi per aliquid extrinsecum.

V. *Tertia neutrum ait esse necessarium.* Tertia demum & vera sententia affirmat, nihil hujusmodi, vel intrinsecum, vel extrinsecum requiri, ut causa ulla secunda vel necessaria vel libera operetur, nec aliam applicationem hac in parte requiri, quàm ut Deus (à quo res omnes, ut in esse, ita & in operari essentialiter dependent, ut suprà ostendimus) in actu primo paratus sit suum ijs concursum præstare; sicque, nullo alio superaddito, res omnes creatæ conformiter quæque naturæ suæ in opus prodire possunt, sive necessariò, sive liberè.

VI. *Probatur nihil requiri in causis necessarijs.* Et sanè in agentibus necessarijs, quoad effectus naturales nulla videtur requiri determinatio, cùm ex naturâ suâ sint ad certos effectus determinata, & quodam naturæ pondere necessitata. Quid enim opus aliâ qualitate præter gravitatem, ut lapis sursum protectus dènuo cadat, ut ignis stuppæ applicatus, aut sulphureo pulveri ea incendat, ut equus famelicus in prato aliquo herbido ad comedendum se applicet, & similia: ægrè sanè invenient ur qualitas efficacior fame, quæ pecora ac pabulum instiget. Gratis ergo aliud sive intrinsecum sive extrinsecum istiusmodi requiri videtur, ut agentia necessaria ad operandum determinentur.

VII. *Requiritur aliquid in supernaturalibus.* Dixi quod effectus naturales, quoad supernaturales enim, ut scilicet ignis materiam applicatam non comburat, ut lapis sine obstaculo pensilis hæreat in aëre, & similia, requiritur specialis aliqua voluntas, & decretum Dei, quo velit agentia naturalia ad illa, quæ vel suprà, vel contra eorum naturam sunt, applicari. Hoc sensu, res, etiam inanimatæ, audire dicuntur vocem creatoris, ejusque imperio obedire: Sic Matth. 8. v. 26. de Christo dicitur *tunc surgens imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna:* & mox subditur, *quis est hic, quia venti & mare obediunt ei?* *Res inanimatæ audiunt vocem creatoris.*

VIII. *Nihil etiam ad determinationem requiritur in causis liberis.* Idem etiam probatur de agentibus liberis: licèt enim non eâ necessitate, & naturæ impetu ad operationes suas ferantur, vim tamen in se sufficientem habent, ut, posito concursu Dei in actu primo indifferente, suo se arbitratu ad agendum applicent, & pro voluntate operentur vel non operentur, in quo differunt à necessarijs, quæ posito concursu, ita operantur, ut non possint non operari. Cùm ergo agentia libera se ad agendum applicare possint, quidquid ad ea determinanda superadditur, est superfluum. Quæ etiam eodem modo probant non requiri ad hoc, decretum Dei, aut aliud determinativum extrinsecum.

SECTIO II.

Argumenta contendentia requiri physicam prædeterminationem ut res applicetur ad agendum.

I. OBjicitur primò S. Thomas qui hanc doctrinam de prædeterminatione sæpè tradere videtur, l. enim 3. cont. Gent. c. 70. & 1. p. q. 105. a. 5. & alibi sæpè, ait causas secundas moveri, & applicari ad agendum à Deo, sicut securis ab artifice, ergo per virtutem aliquam ijs impressam. Clarius q. 3. de Potent. a. 7. corp. & ad 7. ubi ait quatuor modis Deum operari cum creaturis: primò, dando eis esse, & virtutem operativam: secundò, eas & virtutem earum activam conservando: tertiò, applicando eas ad agendum sicut artifex applicat instrumenta artis: quartò demum, in quantum omnis causa secunda operatur ut instrumentum primæ, & quadam subordinatione ad illam. *Deus quatuor modis operatur cum creaturis.*

II. *Mens S. Thomæ circa prædeterminationem physicam.* Hæc sunt præcipua, quæ ex S. Thoma proferuntur, quæ licèt omnia concederemus, nec multum pro contrariâ sententiâ, nec contra nos quidquam facerent. Nihilominus S. Thomas varijs locis ut 3. cont. Gent. c. 66. & 1. 2. q. 9. a. 6. ad 3. docet concursum Dei cum causis secundis esse indifferentem, has verò esse particularizantes & determinantes: item voluntatem solùm moveri à Deo, hominem verò seipsum ad hoc vel illud determinare, & non obstante motione Dei, esse in potestate voluntatis seipsam determinare in hanc vel illam partem.

III. *Resp. ad objecta ex S. Thoma primo,* Ad illa quæ suprà ex S. Thomâ allata sunt, Resp. loqui illum de concursu tantùm generali, per quem movet & applicat causas secundas ad operandum: hoc enim concursu optimè intelligitur quod affir-

mat S.Doctor,causam scilicet secundam non agere nisi motam, & adjutam à Deo. Per hæc ergo non probatur, posuisse S. Thomam motionem aliquam prævium antecedenter ad operationem,sed ad summum motionem concomitantem,& cooperantem. Unde exemplum illud securis solùm probat non magis posse hominem,aut aliam quamcunque creaturam, sive necessariam, sive liberam, agere sine concursu,& influxu Dei,quàm malleum, aut aliud instrumentum artis sine influxu artificis. Licèt in causis liberis Deus prævie etiam influat immittendo illuminationes & inspirationes, quibus ad bonum easinvitat.

IV. *Quomodo ad agendum applicentur causæ liberæ.*

Objicitur secundò: causæ tam liberæ quàm necessarię applicantur ad agendum àDeo,ergo aliquid prævium ab illo recipiunt. Resp. liberas applicari modo proximè dicto,etiam prævie, qui est modus proprius movendi, & applicandi creaturam rationalem; aliæ autem causæ dici etiam possunt applicari à Deo ad agendum, quætenus per suam providentiam ita res disponit & ordinat, ut agens applicetur passo, & tollantur impedimenta: quibus hoc modo dispositis, & concesso concursu simultaneo, dici possunt etiam hæ applicari à Deo ad agendum,certo enim consilio, & summâ sapientiâ de rebus creatis disponit,ut pluvia,serenitas, copia rerum omnium, sterilitas, & similia sequantur. Nec alia prædeterminatio in rebus irrationabilibus est necessaria, cùm enim sint agentia naturalia,seu necessaria,ipso facto quòd applicentur,agunt,& æquè ex se sunt res istæ determinatæ ad agendum,ac prædeterminatio ipsa physica. *Quomodo applicentur necessariæ.*

V. *Deus sex modis dicitur causa prim.*

Et per hæc etiam patet ad id quod objici solet, Deum scilicet esse causam primam, ac proinde ab ipso debere incipere actionem, sicque debere aliquid in causam imprimere, quod operationem inferat. Ad hoc, inquam, Resp. Deum multis alijs modis verissimè censeri causam primam. Primò, dignitate. Secundò,subsistendi consequentiâ, quatenus nimirum concursus Dei ita est necessarius,ut sine ipso agere omninò non possit causa secunda,sic tamen è contrâ;quam rectè vocant aliqui prioritatem logicam,quia nimirum benè arguitur ab operatione causę secundæ ad operationem causæ primæ, non tamen è contrario; sicut & ab inferiore ad superius, non è contrà: qua de causâ, universaliora dicuntur esse priora. Tertiò, quia dat esse causis secundis & virtutem agendi, sicque necessariò semper incipit. Quartò,eadem conservat. Quintò,applicat ad agendum, efficiendo nimirum ut applicetur agens passo. Sextò, peculiariter in causis liberis in quibus producit aliquid prævium, inspirationem scilicet,& illuminationem, per quam intentionaliter applicantur prævie ad agendum, sicut agentia necessaria per motum localem. *Prioritas Logica.* *Præmotio intentionalis in causis liberis.*

VI.

Objicitur tertiò: hinc sequi, causam secundam determinare Deum ad operandum, quod tamen falsum est,Deus enim determinat se, imò & causas secundas. Resp. si sermo sit de Deo ut causa universali,concursum ejus esse indifferentem, nec, prout antecedenter præcedit in actu primo à Deo, magis esse determinatum ad unam etiam speciem effectûs, quàm ad aliam,sed indifferenter eum præbet omnibus causis secundis,ut unaquæque illo utatur,prout occasiones & circumstantiæ tulerint. Unde hoc sensu causæ secundæ determinant primam, licèt radicaliter determinentur ipsæ à causâ primâ, ut ostendi n.quarto. Causis tamen liberis præter concursum generalem immittit subinde illuminationes, ut proximè dictum est,quibus ipsas prævie incitat, & movet ad agendum.

VI.

Objicitur quartò: voluntas ex se est causa indeterminata, quod autem est indeterminatum in ratione agendi, eget aliquo determinativo, ergo aliquid aliud ei debet superaddi. Resp. illam solum causam indeterminatam indigere determinativo, quę ex imperfectione est indeterminata,(ut contingit in bilance, quæ, ut determinetur magis in unam partem quàm alteram, eget aliquo pondere iniecto) non illam,quæ indeterminata est ex perfectione,seu ex majori potestate, qualis est omnis libera; hæc enim eo ipso quòd libera sit, potest se pro libito in hanc vel illam partem inflectere. Id ergo per quod causa se determinat in actu secundo ad operandum, est ipsa actio: in actu primo verò nihil est per quod purè antecedenter determinetur infallibiliter,seu necessariò ad alteram partem contradictionis,sic enim non foret libera. *Quæ causa indeterminatæ egeant determinativo extrinseco.* *Determinatio in actu secundo.*

VIII. *Explicatur S. Thomæ circa determinationem causa indeterminata.*

Nec aliud quàm hoc vult S.Thomas 1. p.q.19.a. 3.ad 5. dum ait causam indeterminatam indigere aliquo alio à quo determinetur, loquitur enim de causa indeterminatâ ex imperfectione: si verò alicubi, sicut facit, de voluntate etiam infinuet egere aliquo inclinante prævio, hoc nihil aliud est quàm actus intellectûs proponens objectum bonum, sine quo actu nihil potest voluntas, sed se habet instar illius bilancis; at positâ intellectione, potest se in unam vel alteram partem determinare pro libito, nisi bonum quod proponitur, sit ejusmodi,ut omninò rapiat voluntatem, ut contingit in Beatis.

IX. *Quomodo se determinet voluntas.*

Objicitur quintò: si voluntas maneat indifferens, ergo non est magis determinata ad amorem quàm odium, ergo numquam operabitur. Resp. in actu primo,seu pro aliquo priori naturæ est indifferens, & in secundo tantùm signo determinatur per ipsam actionem tanquam per causam formalem. In actu primo verò non requiritur aliud quàm indifferentia naturalis potentiæ, & ut rationes sufficientes proponantur ab intellectu, ad hanc vel illam partem amplectendam.

X. *Quid sit primum liberum. Deus solus est primum liberum.*

Objicitur sextò: concursus, ut procedit à Deo, debet esse determinatus; si enim voluntas humana se determinaret, esset *primum liberum*. Ad hujus explicationem difficultatis,notandum; *Primum liberum*,esse illud,quod ita ad operationem liberam se determinat,ut exercitium liberum alienæ voluntatis non requirat, nostra autem voluntas non est hujusmodi,cùm essentialiter supponat Deum priùs voluntate indifferente concursum suum nobis exhibuisse. Unde solus Deus est *Primum liberum*,utpote qui solus alienam voluntatem & concursum pro priori non requirit. Quo pacto autem causæ determinentur ad hunc numero effectum producendum, potiùs quàm alium, dicetur disp.sequente.

XI. *Deus primus motor. Movet non motus.*

Obj. septimò: causa secunda non agit nisi moveatur, imò & præmoveatur à Deo, qui ideo est primus motor, quia movet non motus. Conf. ex Aristot.8.Phy.tex.c.3.ubi ait *omne quod movetur, ab aliquo movetur*, ex quo principio probat dari primum aliquod movens, quod movet immotum. Resp. jam ostensum esse quomodo causa secunda moveatur semper à primâ,imò & quomodo voluntas aliquo modo præmoveatur, accipiendo scilicet cognitionem prævium, sine quâ operari penitùs non potest. Non tamen hinc sequitur; causam secundam prædeterminari,quia voluntas, adhuc positâ illâ præmotione per intellectum, manet sui juris,& potest vel agere,vel non agere.

XII.

Ad Confirmationem dico,Aristotelem eo loco solum affirmare omne quod movetur, ab aliquo moveri, nempe vel ab alio, vel à seipso, inchoans actionem,ergo potiùs hoc Aristotelis testimonium pro nostrâ sententia facit,quam pro contrariâ. Jam verò ostendimus quo modo Deus sit causa prima, &

primum

Quid sit causam secundam operari in virtute Primæ.

primum movens, dando scilicet esse causis secundis, & easdem conservando, atque ad agendum applicando, & hoc sensu movet non motus. Quando etiam subinde dicitur causa secunda agere in virtute primæ, & tanquam instrumentum illius, sensus solum est, agere per virtutem acceptam à causâ primâ: quo sensu etiam vocatur instrumentum Dei, à quo scilicet habet, quidquid habet.

DISPVTATIO XXXI.

De determinatione ad individuationem.

SECTIO PRIMA.

An, & quomodo causa prima determinet secundas ad individuationem effectus.

I. *Aperitur status quæstionis.*

QUæstio est, dum in his determinatè circumstantijs, loci, temporis, &c. ignis A applicatur tali passo, cur ex pluribus, imò infinitis individuis numero tantùm distinctis, hic numero ignis prodeat potiùs quàm alius. Hac in re Philosophi, more suo, in varias abiere sententias.

II. *Prima sententia ait res determinari seipsis.*

Nonnullis placet, inter effectus ipsos certum esse ordinem prioris & posterioris, ita ut unus effectus naturâ suâ petat antèire alterum, & ut nullus alius prodeat, donec hic fuerit productus. Unde, inquiunt, ignis A (idem est de alijs omnibus effectibus) produci naturaliter petit ante ignem B. β ante C. & sic in infinitum. Quare, sicut in partibus temporis est essentialis ordo prioris & posterioris, ita ut pars A essentialiter petat produci ante partem B. & sic deinceps, qui ordo nec divinâ potentiâ inverti potest; ita, inquiunt, inter effectus omnes numero distinctos est ordo connaturalis, & series successionis unius ad alium, quam Deus ut auctor naturæ mutare non potest, licèt possit miraculosè.

Explicatur exemplo partium durationis.

III. *Impugnatur ex similitudine effectuum.*

Sed contrà, hoc enim videtur gratis dictum: cùm enim effectus sint planè similes, perinde & ipsis & universo est quis primò producatur, seu quis antecedat, quis sequatur. Hanc sententiam impugno latiùs postea, maximè in tertia probatione secundæ conclusionis.

IV. *P. Vasq. indivi. refundit in circumstantias loci & temporis.*

P. Vasq. To. 1. in 3. p. d. 74. c. 8. ait causam cur producatur, hic potiùs numero effectus quàm alius, refundendam esse in circumstantias, in quibus hic & nunc producitur, ita ut effectus dicat peculiarem quendam ordinem ad has circumstantias potiùs quàm ad alias, nec sit indifferens ut in alijs producatur.

V. *Rejicitur hæc sententia.*

P. Suar. d. 5. Met. s. 3. n. 34. & s. 6. n. 9. & deinceps, ait hanc sententiam multis viris doctis visam esse creditu difficilem: quis enim sibi persuadeat individuationem effectuum, seu causam cur hic potiùs numero homo quàm alius, hic equus, hic ignis potiùs quàm alius hic & nunc producatur, reduci ad solam circumstantiam temporis aut loci, nec potuisse individuum, quod producitur hoc instante, produci naturaliter in alio, & si causa tantillum loco moveatur, aut uno momento seriùs applicetur, debere necessariò producere diversum effectum?

VI. *Quædam se ad individuid. determinant.*

Prima conclusio: causæ aliquæ possunt seipsas ad aliquorum effectuum individuationem determinare. Probatur, Angeli & animæ separatæ vident actus suos possibiles: unde ex pluribus actibus individuis numero tantùm distinctis, tum intellectûs tum voluntatis, possunt pro libitu hunc vel illum seligere. Sicut ex pluribus rosis omninò similibus, nos quam volumus, eligimus: & sic in alijs quibuscunque hujusmodi rebus.

VII. *Deus ad individ. determinat.*

Secunda conclusio: individuatio effectuum refundi debet in causam primam. Ita Suar. citatus, Tol. 3. de anima q. 18. Conimb. l. 2. Phy. c. 7. q. 15. a. 2. & 2. de Gener. c. 11 Hurt. d. 10 Phy. l. 4. Oviedo c. 10. Phy. p. 2. n. 2 Fonf. 5. Met. c. 2. q. 9. l. 10. Rub. tr. 4. q. 9. n. 3. & alij sequuti Greg. in 1. d. 17. a. 2. & 7. & d. 25. q. 1. a. 1.

VIII. *Ratio prima, quia nulla alia causa sufficiens.*

Probatur primò, quæ enim ratio assignari potest cur non sint plures numero effectus possibiles ab hac causâ hic & nunc, in his circumstantijs loci, temporis &c. vel ex quo capite sufficienter probatur effectum aliquem, ignem ex. g. dicere tam peculiarem respectum ad tale tempus & locum, ut in proximo produci non potuisset, ita ut Christus Dominus non potuisset produci idem numero, si alio loco vel tempore, aut uno instante seriùs fuisset productus? Conf. nam alioquin si Deus uno instante seriùs mundum hunc prodixisset, non potuisset hunc numero connaturaliter creasse, sed alium, quod tamen valdè videtur mirum.

IX. *Angeli, & res spirituales non pendent à loco & tempore.*

Secundò probatur, nam saltem de Angelis dici hoc non potest, unde enim connexionem ejusmodi haberent Angeli cum loco & tempore, ut non possint naturaliter creari nisi certo loco & tempore, & ut hi petant produci tali tempore, hi alio? Conf. saltem de gratia & alijs effectibus supernaturalibus, ut visione beatificâ, actu charitatis, lumine gloriæ, & similibus, durum videtur hoc concedere.

Multò minùs res supernaturales.

Tertiò probatur, Angelus enim videns effectum aliquem possibilem ignem v. g. lapidem, actum intellectûs aut voluntatis, &c. videbit quo tempore & loco petunt producit, ita ut hi actus intellectûs & voluntatis sint proprij Europæ, hi Asiæ &c. si transierint, quo tempore & loco fuerunt primò producti. Conf. hinc sequitur Petrum qui de facto productus est ante Paulum, petere ex naturâ suâ produci ante illum. Cain ante Abelem, Joseph ante Benjamin &c. imò homines esse naturâ suâ primogenitos & majores vel minores natu alijs, cùm eo determinato tempore petant produci, quo de facto sunt producti: sicque Christus ex naturâ suâ petit nasci post Simeonem senem aut Herodem, & post pastores qui ipsum noctu Nativitatis invisebant, quod mirum dictu videtur. Deinde Angelus videns tres homines, qui tribus diversis instantibus sibi immediatè succedentibus sunt nati, sciet quis sit natu maximus.

X. *Alij actus essent proprij Asiæ, alij Europæ, alij hujus anni, alij sequentis.*

XI. *Dispositiones non determinant ad individuationem.*

Quartò probatur conclusio contra eos qui recurrunt ad dispositiones pro individuatione effectuũ, & dicunt rationem cur hic numero effectus producatur potiùs quàm alius, provenire ex eo quod hæ numero ponantur dispositiones non aliæ. Sed contrà primò, esto enim hoc aliquid fortè veræ similitudinis habeat in formis substantialibus, ad quas certæ requiruntur dispositiones, de quo postea, ipsæ saltem dispositiones unde habent quòd hæ potiùs producantur, quàm aliæ, certè vel procedetur in infinitum, vel dicendum ab aliquo alio quâ à dispositionibus fieri determinationẽ ad individuationem.

Contrà

XII. *Idem ostenditur in actibus sensuum, & intellectûs.* Contrà secundò, in actibus sensuum, ut visûs & cæteris, unde provenit hunc numero actum elici potiùs quàm alium ex multis, imò infinitis possibilibus circa tale determinatum objectum? ibi enim nullæ sunt particulares dispositiones ad unum actũ potiùs quàm ad alium, sed tam oculus quàm species impressa est indifferens ad ad varios actus. Idem à fortiori est in actibus intellectûs & voluntatis.

XIII. *Eædem numero dispositiones deserviunt diversis formis.* Contrà tertiò, nulla enim est ratio cur eędem numero dispositiones non possint diversæ numero formæ deservire. Dices; diversæ formæ specie requirunt diversas dispositiones specie, ergo diversæ formæ numero diversas dispositiones numero. Nego consequentiam, cùm enim diversæ formæ specie sint principia valdè diversarum operationum, connaturaliter habere debent diversam seriem dispositionũ diversæ illi seriei actionum subservientem; nec enim dispositio frigoris & humiditatis deservit igni ad suas operationes, nec calor & siccitas aquæ ad suas. At verò duo ignes aut aquæ ejusdem omnino rationis quid habent unde requirant diversas dispositiones, ita ut dispositiones ignis A non possint deservire operationibus ignis B. & è contrà, cùm sint in operando omnino similes?

XIV. *Idem effectus numero produci potest à diversis causis.* Deinde, eodem modo arguere quis posset: diversæ causæ specie petunt producere diversos effectus specie, ergo diversæ causæ numero diversos semper effectus numero, ita ut idem effectus numero à duabus causis numero distinctis produci nequeat, quod videtur incredibile, præsertim cùm videamus eundem numero effectum à pluribus causis successivè conservari, ut eundem ignem vel calorem jam ab igne, postea à sole vel Deo.

XV. *Occurritur eiidam replicæ.* Dices; aliquæ dispositiones sunt aptiores huic formæ numero, quàm sint aliæ. Contrà primò, in conservatione eædem numero dispositiones deserviunt diversis numero formis, quidni ergo & in prima earum productione idem contingere poterit? Contrà secundò, eodem modo arguere quis posset singulas etiam operationes requirere singulas dispositiones numero diversas.

SECTIO II.

Solvuntur objectiones contra individuationem effectuum.

I. *Quidam effectus possunt certas numero causas.* OBjicies primò: species impressa hujus albedinis non potest effici ab aliâ, ergo aliquis effectus numero non est indifferens ad diversas causas numero. Conf. primò, intellectus, voluntas, & alia hujusmodi determinant sibi peculiares causas numero, nec enim potest intellectus, aut Voluntas Petri profluere à Paulo, Conf. secundò, ubicatio & duratio peculiariter determinant sibi suas causas.

II. Ad argumentum. Resp. non negare nos effectus aliquos petere determinatè profluere à tali numero causâ, sed dicimus determinationem hujus numero speciei impressæ præ aliâ, non provenire ab illâ albedine, cùm plures species impressæ omnino similes potuissent pro illo priori ab eâ produci: quòd ergo hæc numero producta sit potiùs quàm alia, in aliquid aliud refundi debet, quàm in albedinem, & causam secundam. Peculiariter autem petit species impressa profluere à tali determinatâ causâ, quia cùm sit qualitas intentionalis tendit peculiariter ad repræsentandum effectivè hoc numero objectum, cùm sit semen & imago illius, & non alterius, sicque peculiariter ab hoc objecto petit causari, non ab alio, cùm species sit repræsentativa illius tantùm objecti, à quo connaturaliter profluit.

Cur species impressa petat causã determinatam.

Ad primam Confirmationem Resp. primò, in illis fortè esse peculiarem rationem quia, probabiliter dici posset, non esse possibilem nisi unum intellectum, unam voluntatem, & unam subsistentiam Petri, cùm fini à naturâ intento sufficiant, nec possint naturaliter deperdi: sicut multi philosophantur de forma cæli respectu materiæ quam informat. Resp. secundò non improbabiliter dici posse esse plures intellectus, voluntates, & subsistentias Petri possibiles, & consequenter etiam ibi determinationem ascribi debere causæ primæ; & non essentiæ Petri. Ad secundam confirmationem dico, illa quidem fortasse peculiariter petere causam & subjectum determinatum, & hac in parte convenire cum formis intentionalibus, quod autem hæc ubicatio & hæc duratio numero producatur potiùs quàm alia, refundi non potest in causam secundam, cùm sint plures ubicationes ac durationes possibiles numero distinctæ, quæ æquè potuissent hîc & nunc ab iisdem causis produci: quod etiam de modis est dicendum.

III. *Quid dicendum de intellectu, & voluntate.* *Peculiaris ratio de modis.*

Objicit secundò Vasquez: si causa secunda sit hîc & nunc indeterminata ad plures effectus quàm unum, ergo ad infinitos, cùm certus assignari numerus non possit, in quo ejus virtus sistat: hoc autem dici non potest, sequeretur enim, causam secundam esse infinitæ virtutis. Conf. tunc enim naturaliter posset iterum reproduci idem effectus jam destructus. Concessis cæteris, nego fore infinitæ virtutis, non enim est indeterminata & indifferens causa ad plures seu infinitos effectus collectivè, sed divisivè, nec enim potest eos omnes producere simul: sicut est indifferens Petrus ad equitandum in infinitis equis, id est, in aliquo ex infinitis, & non magis in uno quàm in alio, sed non in infinitis equis simul. Ad confirmationem dictum est suprà d. 8. l. 3.

IV. *Objicitur causam secundam fore infinitæ virtutis.* *Respondetur.* *Exemplum ad hoc appositum.*

Objicit tertiò idem Vasquez: si Deus determinet ad individuationem effectuum, lædi libertatem, nec enim solùm liberi sumus ad amandum, vel odio habendum, sed ad amandum etiam, & odio habendum hoc determinato actu amoris, & odij: nec punientur peccatores solùm quia peccarunt, sed quia peccarunt tali actu, seu quia admiserunt hæc numero peccata, ergo hæc numero peccata sunt in eorum potestate, ergo possunt ad illa se determinare. Resp. non magis lædi libertatem in hac sententiâ, quàm in contrariâ, quod enim asserimus nos fieri à causâ primâ, asserunt ipsi fieri à circumstantijs. Dico itaque esse voluntatem nostram liberam, etiam quoad exercitium horum numero actuum, licèt determinetur à causâ primâ quoad eorundem individuationem, nam est illi integrum exercere quemcunque actum in particulari, quem exerceat, licèt non sit in illius potestate eligere & determinare se ad hunc actum potiùs quàm alium: cùm enim hos actus non cognoscat in particulari, non potest se ad illos determinare, & unum præ alio eligere. Unde Beati in cælo, cùm actus suos possibiles videant in Verbo, possunt se ad unum aliquem ex ijs, quemcunque voluerint, determinare, & eum in particulari præ cæteris eligere.

V. *Objicitur lædi libertatem si Deus determinet ad individuationem.* *Retorquetur argumentum.* *Hæc opinio nihil officit libertati.* *Beati eligunt suos actus.*

Nec tamen in hoc est perfectio aliqua peculiaris libertatis, cùm enim omnes illæ operationes sint ejusdem rationis, non est peculiaris perfectio unam eligere præ aliâ; sicut nec contrà in peccato specialis aliqua malitia consistit in eligendo unum actum peccaminosum præ alio ejusdem omninò rationis, posito quòd sit determinatus quis quoad speciem actûs, & gradualem illius intentionem. Sicut si quis sit determinatus ad dandum in eleëmosynam unum aureum, nihil meriti in eo est quòd hunc aureũ præferat alteri ejusdem planè rationis. Punientur quidè peccatores ob hæc numero peccata individua quæ ad-

VI. *Nec laudi cuiquam vertitur, nec vitio, quod hunc numero actum eligat præ alio omnino simili.*

Impij ob hæc numero peccata puniuntur.

admiserunt, non quòd his numero peccatis deliquerint, potiùs quàm aliis ejusdem omninò rationis, sed quòd hos actus numero elicuerint, cùm potuerint, & debuerint illos omisisse, seu quòd eos elegerint potiùs quàm eorum negationes.

VII. *Deus ad individuationem determinat negativè.*

Objicies quartò: non videtur posse Deum determinare ad individuationem in pravis actibus; sic enim Deus esset causa cur hic actus malus fiat; & consequenter esset causa peccati. Resp. Deum non esse causam cur hic actus eliciatur, nec omnino dici posse causam peccati: Deus enim non determinat positivè impellendo, vel physicè scilicet movendo, vel moraliter, nempe suadendo ad hunc actum numero, sed determinat solùm negativè, subtrahendo scilicet concursum ad omnes alios actus: sicut si quis volenti scribere auferat alterum calamum, ubi sunt tantùm duo, determinat quidem ut scribat hoc calamo, non tamen potest dici causa cur scribat, etiam hoc calamo, sed causa potiùs cur non scribat altero, ipse autem qui scribit, est causa cur scribat hoc calamo, cùm velit eo uti, alter verò non vult absolutè ut utatur illo, sed solùm conditionatè, id est, si velis scribere, scribes tantùm hoc calamo, seu hoc vel nullo.

Res hæc declaratur exemplo.

VIII. *Deus circa actum pravum habet se tantùm permissivè.*

Similis est determinatio primæ causæ ad actum peccati; non enim cogit Deus ut homo eliciat hunc actum, sed solùm parat concursum in actu primo ad hunc actum, non ad alium, seu permittit ipsi tantùm hunc: Deus enim vellet voluntate beneplaciti ut omninò non peccaret, si tamen velit peccare, permittit ipsi ut eliciat hunc actum, non alium. Nec etiam, si propriè loquamur, potest Deus dici causa cur eliciat hunc actum potiùs quàm alium, cùm propriè non velit Deus hunc potiùs quàm alium, cùm neutrum velit propriè, ut constat, & omnem hujusmodi actum prohibeat, velitque potiùs illi contradictorium. Solùm ergo vult hunc actum permissivè, & conditionatè, ut scilicet habeat concursum voluntas quicum operetur, juxta leges universi.

IX. *Causa secunda determinat Primam ad speciem actûs.*

Objicies quintò: causa prima determinatur à secundâ ad speciem actûs, seu effectûs, ergo non potest secunda determinari à prima ad individuationem ejusdem actûs & effectûs, patet consequentia, individuum siquidem & species non distinguuntur, ergo quod determinat ad unum, determinat eo ipso ad aliud. Primò, hoc argumentum quod tanti à nonnullis fit, æqualem omnino habet difficultatem in omni sententiâ, undecunque dicant fieri determinationem ad individuationem: eadem quippe formâ sic proponi potest argumentum; causa secunda, calor v.g. determinat se quoad speciem effectus, nempe ad producendum calorem, ergo non potest determinari à circumstantiis ad individuum, nam species & individuum non distinguuntur, ergo quod determinat ad unum, determinat ad aliud, imò in re non est unum & aliud: quicquid ergo ad hoc respondebunt adversarij, respondebimus & nos in determinatione factâ à Deo.

X. *Determinatio variis modis sumitur.*

Resp. itaque pro omni sententiâ, si per determinare intelligatur influere in effectum, tam causam secundam determinare ad individuationem quàm ad speciem, cùm utramque physicè efficiat, imò, ut dixi, non sunt duo, sed unum, sicque hoc sensu tam determinat se causa secunda ad individuitatem, quàm determinatur à causâ primâ, cùm verè ipsam etiam individuationem efficiat. Deinde, ad rationem specificam contractam in tali determinato individuo concurrit etiam & determinat Deus, cùm ratio illa specifica non distinguatur à ratione individuali.

XI.

Dicitur ergo causa secunda determinare actum & effectum quoad speciem, quia ipso facto quòd applicetur ignis v.g. passo, petit producere aliquem calorem, per aliquam calefactionem, seu unum aliquod ex totâ collectione individuorum speciei caloris & calefactionis, licèt quòd magis hunc numero calorem producat quàm alium, & per hanc calefactionem quàm per illam, refundatur in causam primam, quæ negant concursum ad alia omnia individua, & solùm eum permittit ad hunc numero calorem, per hanc numero calefactionem.

Quid sit determinare quoad speciem.

Unde determinatio hæc aptè explicatur per propositionem causalem, vel quasi causalem, dicimus enim ideo hanc actionem esse calefactionem, & non frigefactionem, non quia est à Deo, nam æquè infrigidatio oritur à Deo ac calefactio, cùm sit causa universalis, sed est calefactio quia est à calore vel igne, qui non producunt frigus, sed tantùm calorem: sicut etiam è contrà dicimus actionem talem esse infrigidationem, quia est ab aquâ, non quia à Deo. Quare in illo priori perit ignis concursum Dei ad aliquam calefactionem ex multis possibilibus, quod est determinare ad speciem, quia scilicet Deus ex ipsâ naturâ & exigentiâ ignis determinatur ad concurrendum ad aliquod individuum in specie caloris, non tamen ad hunc numero magis quàm ad illum, nec per hanc actionem magis quàm per aliam, sicque est hæc numero calefactio, & hic numero calor, quia oritur à causâ primâ paratâ concurrere ad hunc tantùm calorem, & non ad alios, quod est determinare ad individuationem.

XII. *Aptè explicatur determinatio per propositionem causalem.*

SECTIO III.

Attexuntur quædam de causis per accidens.

I. *Causa per accidens quid, & quotuplex.*

Causa per accidens est quæ planè contingentem habet connexionem cum effectu. Est verò duplex, *ex parte causæ*, & *ex parte effectûs*. *Ex parte causæ* illud dicitur per accidens, quod ita adest causæ alicui, ut quamvis abesset, effectus eodem modo sequeretur: sic musica in Philosopho aut architecto respectu effectuum ab iis productorum, dicitur causa per accidens, nec enim minùs rectè philosopharetur ille, hic ædificaret, quamvis musicâ instructus non esset. *Ex parte effectûs* tunc dicitur aliquid esse causa per accidens, quando positâ causâ, quidpiam contingenter accidit effectui primario, seu principaliter intento, ut dum quis ob aliquam causam effodiens terram, invenit thesaurum, fossio in hoc casu est causa per accidens respectu inventionis thesauri.

II. *Quid sit Casus.*

Hujusmodi eventus, quando contingunt, dicuntur casuales, & fortuiti. *Casum* verò & *Fortunam* licèt vulgus pro eodem accipiat, rem tamen penitùs intuentes ea distinguunt. *Casus* itaque strictè sumptus, est *causa per accidens effectus rarò contingentis, in agentibus propter finem, absque electione*. Casus proinde contingit etiam brutis, imò tribuitur aliquando, licèt impropriissimè, rebus etiam inanimatis, ut dum tegula è domo aliquâ in transeuntis caput lapsa, eum occidit. Fortuna verò definitur, *causa per accidens effectûs rarò contingentis, in agentibus propter finem, cum electione*: quæ proinde in solis per intellectum agentibus reperitur.

Quid Fortuna.

III. *Duo ad eventos fortuitos requiruntur.*

Ad eventus casuales & fortuitos duo requiruntur; primò, ut ait Aristoteles l. 2. Phy. c. 7. ut rarò contingant, secundò, ut accidant præter intentionem: licèt subinde ea quæ intenduntur, si ex causâ incertâ proveniant, dici soleant accidere casu, ut dum alicui jactus aleæ, quem intendit, evenit. In agentibus verò per intellectum ulteriùs requiritur, ut accidant

præter

Deo nihil esse potest casuale.

præter opinionem, qua de causâ dixit Aristoteles l. 2. magnorum moral. ibi minus esse fortunæ, ubi plus est intellectûs. Unde Deo, qui infinitâ suâ scientiâ omnia prævidet, nihil casuale esse potest, aut fortuitum, ut optimè docet S. Thomas 1. p. q. 103. art. 7. ad 2. & S. Augustin. l. 83. quæstionum, q. 34. circ. med. to. quarto.

S. Thomas.

IV. *Fortuna quid apud Gentiles.*

Hinc infero, nomen Fortunæ prout hoc modo explicatur, sive pro causâ sumatur, sive pro effectu, nihil in se contrarium fidei, aut erroneum continere, sed solùm prout hoc nomine utebantur Gentiles, qui nimirum fortunam Deam statuebant, quæ eventibus fortuitis præesset, cujus proinde opem stultè implorare solebant.

V. *Quid sit Fatum.*

Fortunæ opponitur *Fatum*, quod licèt in sensu aliquo commodo sumi possit, & sumatur ab Orthodoxis, ut mox ostendam, malè tamen ea vox sonat, estque Catholicis suspecta, tum ob Astrologos, qui homines fato agi semper, dicebant; sicque per nomen *Fati* inevitabilem quandam necessitatem ex sideribus ortam significabant, quam vocabant *causarum colligantiam ex astrorum motibus ac vi efficaciam trahentem*: quam siderum vim nec ipsum Deum sistere, & impedire posse ex iis nonnulli asserebant: Tum ob hæreticos, qui Fatum appellabant ferreum quoddam decretum Dei, quo eum dicebant vim & necessitatem causis, etiam liberis, inferre. Sed hæc fidei contraria sunt, & commenta impia ac stolida.

Vox suspecta orthodoxis.

Fatum quid apud hæreticos.

VI. *Quid per Fatum intelligant Catholici.*

Fatum ergo juxta Catholicos est complexio quædam causarum secundarum, quæ licèt ex se incertæ sint, ac variabiles, prout tamen subsunt providentiæ Divinæ, infallibiliter inferunt effectus. Deus verò causas omnes juxta cujusque naturam ordinat, quasdam necessariò, quasdam liberè: ad effectus bonos movendo, & illuminatione intellectûs, ac sanctis inspirationibus impellendo, effectus verò malos tantummodo permittendo. Unde Fati hoc modo sumpti descriptionem sic tradit Boëtius l. 4. de Consol. prosa 6. *est inhærens rebus mobilibus immobilis dispositio per quam Divina providentia suis quaque nectit ordinibus.* Quod etiam docet S. Thomas 1. p. quæst. 116. art. 2. ad 3.

Boëtius.

S. Thomas.

VII. *Fatum duplex, formale, & objectivum.*

Fatum hac ratione acceptum, duplex est, *formale*, & *objectivum*: hoc est ipsa causarum secundarum series & concatenatio, quæ res istiusmodi efficit & exequitur: formale est actus ipse Divinus, quo res modo dicto in suos quasque effectus ordinat, estque ipsa Dei providentia, & à nonnullus appellatur *Fatum causale.*

VIII. *Hac voce uti non expedit.*

Licèt verò nomen *Fati*, ut suprà advertì, sit Catholicis suspectum, si quis tamen hac ratione illud intelligat, nempe ut nihil aliud sit, quàm dispositio causarum secundarum quatenus Divinæ providentiæ subsunt, nihil tenet vel fidei, vel rectæ rationi dissentaneum. Hac tamen voci uti non expedit, ut notat S. Thomas 1. p. q. 116. ar. 1. corp. & S. August. l. 5. de Civit. Dei c. 1. his verbis: *si propterea*, inquit, *quisquam res humanas fato tribuit, quia ipsum Dei voluntatem, vel potestatem Fati nomine appellat, sententiam teneat, & linguam corrigat.* Unde & alij Patres, ut ibidem advertit S. Thomas, hac voce uti recusabant, quia scilicet ex primævâ suâ impositione fatalem quandam & ineluctabilem necessitatem in res omnes, etiam hominum voluntates, à sideribus provenientem significabat.

S. Thomas.

S. Augusti.

IX. *Defectus, seu peccata naturæ, & artis.*

Hactenus de causis, & earum effectibus disputatum est: nunc aliquid obiter de earum defectibus subnectam. Causarum itaque defectus seu peccata in duplici sunt differentiâ, peccata artis, & naturæ: peccata artis sunt, dum quis à regulis ab arte præscriptis deficit, redditque opus imperfectum: de quibus satis dictum est in Logicâ. Defectus seu peccatum naturæ secundùm Aristotelem hîc, tex. 82. est *effectus naturalis à rectâ & solitâ secundùm speciem dispositione degenerans*, & appellatur *monstrum*, ut si quis cum sex digitis in eâdem manu nascatur. Si tamen alicubi id passim contingeret, non censeretur id monstrosum, sicut monstrum non censetur inter Æthiopes qui nascitur niger. Nec qui admodum pusillâ est staturâ, censetur monstrum inter Pygmæos, nec qui ingente corporis mole inter gigantes, sicubi fortè frequentes sint, vel hi, vel illi. Grave peccatum naturæ est Gigas, Nanus leve, propter materiæ parvitatem.

Quid sit Monstrum.

Gigas & Nanus peccata Naturæ.

Finis libri secundi Physicorum.

DISPUTATIO XXXII.

De loco, & Vacuo.

PRomiscuè de reliquis sex libris agemus, ex iis enim nonnulli licèt aliorum interpositione disjungantur, ita tamen in materiâ sunt affines, ut diversa potiùs capita ejusdem libri, quàm diversi libri, vel Tractatus censeri debeant. Agi ergo in his libris solet de motu, actione, passione, creatione, loco extrinseco, & intrinseco, de tempore, durationè æternitate, ævo, vacuo, spatio reali, & imaginario, continuo, infinito, possibilitate creaturarum tum successivarum, tum permanentium ab æterno. Singula sigillatim discutiemus, ordinem, prout res tulerit, invertemus.

SECTIO PRIMA.

De iis quæ ad Vacui naturam pertinent.

I. VAcuum, ab Aristotele 4. Phy. tex. 57. & omnibus Philosophis, sic definitur, *Vacuum est locus corpore non repletus, aptus tamen repleri.* Per quam definitionem excludi communiter à ratione Vacui solent spatia imaginaria extra cælum Empyreum diffusa, qui licèt non repleantur aliquo corpore, naturaliter tamen eo repleri non possunt. Mihi tamen videntur aliquo modo dici posse Vacuum spatia illa, quia saltem divinitùs repleri possunt corpore: imò cur non poterùt sancti qui in cælo habent, vel habebunt corpora illuc pro libito se transferre? Ad ablationem ergo vacui requiritur ut corpus eo loco ponatur, & non sufficit poni illic spiritum, Deus enim est in omnibus spatiis imaginariis juxta probabilem sententiam, & si in hoc gymnasio annihilaretur omnis aër, nullusque alius illius loco succederet, adhuc Deus in eo maneret, & tamen tunc daretur vacuum. Idem est si Angelus aliquis se tunc intimè præsentem redderet Gymnasio.

Quid sit vacuum.

An spatia imaginaria extra cælum empyreum dici possint vacuum.

II. Naturaliter dari non posse vacuum quotidiana docere videtur experientia, ideo enim contra natu-

ralem cursum ascendit aqua attracto per fistulam plumbeam aëre, caro in phialis vitreis, extincto igne, elevatur, folles obturato orificio aperiri nullâ vi possunt, aqua in vase anguśti oris inverso non effluit, nescilicet in suprema vasis illius parte detur vacuum: quòd si vel minimum in illius summitate foramen fiat, ita ut aër ingredi possit, statim aqua omnis effluit. Utrum autem Angelicâ virtute fieri possit vacuum, negat id ab Angelo fieri posse Oviedo Cont. 15. Phy. p. 12. Existimo tamen probabile Angelicâ virtute fieri hoc posse: cùm enim Angelus moveat cælum, &, saltem plures simul movere possent totum universum, quidni vincere poterunt resistentiam quam totus mundus habet contra vacuum, cùm fortiores sint universo, sicque hoc sensu fieri potest naturaliter.

Probabile tamen est virtute Angelicâ fieri posse.

III. *Cur natura abhorreat vacuum.*

Quæres primò, cur tantopere natura abhorreat vacuum? Ratio communiter assignari solet, quòdcum res omnes sublunares pendeant in productione & conservatione ab influxu cælorum, si daretur vacuum influere non possent, saltem linea rectâ, & modo connaturali, sicque magnâ saltem ex parte impediretur productio & conservatio rerum, ac sensim pessum irent universa.

IV. *Putant aliqui motum in vacuo fore instantaneum.*

Quæres secundò, num, si daretur vacuum, & homo quispiam aut lapis in eo moveretur, motus esset successivus an instantaneus. Nonnulli dicunt totam rationem successionis in motu provenire ex resistentiâ medij, quod, inquiunt, quò densius est, eò motus est tardior, unde si omnino tollatur omne medium, seu aër ex hoc gymnasio v g. existimant aliquem ab uno ejus angulo ad alium, imò à cælo ad terram in instante moveri posse. Dico tamen, nullum omninò motum, saltem alicujus corporis, nec in vacuo, nec extra illud in instante fieri naturaliter posse. Ratio est, quia si transit per medium, seu spatium imaginarium, sequitur, in eodem instante esse illud simul in omnibus partibus spatij intermedij, ut consideranti patebit: si verò non transeat per medium, primò hoc videtur corpori naturaliter impossibile. Deinde non esset motus propriè loquendo, sed potiùs quoddam mutatum esse: unde si Deus destrueret Petrum, aut ejus ubicationem hic & eodem instante ipsum statueret Romæ, non diceretur eum Romæ collocare per motum.

Contrarium est probabilius.

V. *Medium licèt retardet, non tamen est adæquata causa successionis in motu.*

Ad argumentum ergo contrarium Resp. resistentiam medij, licèt aliquid conferat ad majorem vel minorem tarditatem in successione motûs, non tamen esse causam illius adæquatam, ut constat dum Angelus se movet successivè, cui tamen nullum medium resistit, unde omne ablato medio non sequitur motum fore instantaneum, ut in exemplo Angeli proximè allato constat; medium enim quod non resistit, perinde se habet quoad argumentum adversariorum, atque si non esset. Alia ergo sunt impedimenta, vel causæ successionis motûs præter resistentiam medij, ut vidimus.

VI. *Duplex causa motûs ad impediendum vacuum.*

Quæres tertiò, à quo agente moveantur corpora ad impediendum vacuum? Dicunt aliqui causam efficientem horum motuum esse res ipsas quæ moventur: asserunt proinde aquam, ut est pars universi, naturaliter ascendere, licèt secundùm suam particularem naturam gravitet, ac descendat: sicque dicunt, si aër omnis cælum inter & terram annihilaretur, fore ut terra naturaliter ascenderet, & conjungeret se concavo lunæ, ut hac ratione frueretur influxibus cælestibus. Quæ solutio licèt à multis acriter impugnetur, videtur tamen non planè carere probabilitate. Secundò tamen dici potest causam illius motûs effectivam esse agens illud à quo motus primo corpori imprimitur; quod inde probabiliter suadetur, quia dum quis aërem ex. g. extrahit è fistulâ plumbeâ, seu antliâ, quò profundior est puteus, eò plus aquæ simul cum aëre attollitur, & plus ponderis sentitur: homo autem qui aërem extrahit, non sentiret majus, imò nullum omnino pondus, si aqua per se ascenderet, aut si homo ille solum aërem attolleret, non aquam.

Solùm hìc restat nonnulla breviter subjungere de centro. Centrum itaque universi est punctum illud, quod ex omni parte maximè distat à cælo, & quò gravia omnia ex naturali quadam propensione ac pondere inclinant. Terra autem remotissimo loco à naturâ collocatur à cælo, & aqua loco illi proximo, quia cùm sint corpora aliis densiora, impediret influxum cæli in reliqua, præsertim lucem. Si ergo per rectam lineam foramen per diametrum terræ fieret, & per ipsum centrum transiens perveniret ad partem superficiei illi ex alterâ parte oppositam, sicque tota terra proforaretur, lapis hinc dimissus, ubi pertingeret ad centrum, sisteret: nam alioquin naturaliter ascenderet. Nec resiliret, ut solet dum cadit in terram, vel in alium lapidem impingit, quia in centro nihil invenit quod obsistat: cùm ergo naturaliter appetat centrum, ubi ad illud pervenit, naturaliter quiescet.

VII. *Quid sit centrum mundi.*

Lapis in centrum decidens quiesceret.

SECTIO II.

Quid sit locus extrinsecus.

I. *Quid sit locus extrinsecus.*

ARistoteles l. 4. Phy. t. 42. sic locum extrinsecum definit: *Locus est ultimus terminus continentis.* Quæ definitio ab aliis clariùs his verbis tradi solet, *Locus est superficies concava corporis ambientis, immobilis:* sic pisces in flumine, & lac vel aqua in vase sunt ut in loco; sicut etiam aër est in igne, dum hic in suâ sphærâ existit, ignis in concavo lunæ, unum cælum in alio &c. Ex hac itaque definitione infertur, supremum cælum seu empyreum saltem secundùm totum, non esse actu in loco hoc modo accepto (hic enim sermo tantùm est de loco extrinseco reali, non imaginario) cùm à nullo corpore ambiente actu circundetur, sed solùm est in loco reali extrinseco potentiâ, quia scilicet creari potest à Deo aliud cælum, vel corpus altius cælo empyreo, quodque illud circumdet, & tunc actu esset in loco reali.

Supremum cælum non est in loco extrinseco actu, sed potentiâ.

II. *Locus extrinsecus involvit ubicationem.*

Locus verò extrinsecus non est sola superficies corporis continentis, seu ambientis, sed superficies immobilis, ut constat ex definitione positâ; quare superficies illa in obliquo involvit necessariò ubicationem sui, seu locum intrinsecum, cùm per illam solam reddatur superficies immobilis, id est, tali loco sita: unde corpus locatum involvit etiam ubicationem sui, cùm per illam applicetur, & approximetur loco extrinseco: non enim est in loco reali nisi illi applicetur.

III. *Aqua in eodem vase delata mutat locum extrinsecum ex parte.*

Dices primò; cùm aqua in eodem vase defertur ab uno loco in alium, mutat locum, ergo locus non est superficies ambiens, nam hanc non mutat, vas quippe illud eandem retinet superficiem quam antea. Resp. primò, mutare aquam illam locum extrinsecum non planè, sed ex parte, cùm, ut diximus, ubicatio ipsa superficiei ambientis ingrediatur constitutionem loci extrinseci in ratione immobilis, quod requiritur ex ipsâ loci definitione. Secundò dico absolutè aquam illam non mutare locum extrinsecum realem, quod non debet videri mirum, cùm simul cum aquâ moveatur ipsa superficies ambiens, seu locus ipse extrinsecus. Quando autem dicitur, quidquid movetur, mutat locum, intelligi debet de loco intrinseco, & correspondentiâ ad spatium imaginarium.

IV.

Dices secundò; nil potest mutare locum extrin-

secum, quin moveatur, sed columna flante vento non movetur, & tamen mutatur superficies corporis ambientis, nempe aëris, cùm novus semper succedat amoto priori, ergo ultima superficies corporis ambientis non est locus extrinsecus. Resp. distinguendo majorem, nil potest mutare locum extrinsecum imaginarium quin moveatur, concedo majorem; locum extrinsecum realem, nego, ut clarè ostenditur exemplo in argumento proposito, & in trabe vel columnâ fixâ in flumine, quæ physicè singulis momentis mutant locum realem extrinsecum, & solùm retinent eundem moraliter. Quod etiam contingeret in mutatione loci intrinseci, si Deus destructâ hac ubicatione, aliam corpori illi daret ubicationem homogeneam.

Ad mutationem loci extrinseci sufficit locum moveri, re immotâ.

Idem est de loco intrinseco.

SECTIO III.

Nova quædam opinio de vacuo.

I. REN. DES CARTES. *par. 2 phil. n. 21. & 22.* REcentior quidam ita vacuum implicare asserit ut ne quidem supra cœlos locum ullum conceptibilem esse dicat, in quo de facto non sit aliquod corpus. Mundum proinde, seu substantiam corpoream nullos extensionis suæ fines habere docet, sed indefinitum immensum undique sine termino protendi, & omnia omninò spatia imaginabilia occupare & ubicunque mundos quis, etiam infinitos, & infinitè extensos finxerit, ibi eos, seu substantiam realem, & corpoream de facto jam esse affirmat.

II. Hanc sententiam, quamvis prout mundum ait esse infinitum, & de facto existere substantiam corpoream, quæ nullos extensionis suæ fines habeat, adeò falsam existiment viri docti, ut confutatione non indigeat, ut tamen ejus falsitas magis omnibus innotescat, hîc eam obiter impugnabo.

III. *Mundus certos habet limites, & non extenditur in infinitum.* Dico itaque, certum esse, mundum hunc non esse infinitè protensum, sed certos ac determinatos extensionis limites habere, ultra quos nullum existit corpus, sed datur hoc sensu vacuum, quòd scilicet nihil illic corporeum actu reperiatur, sive vacuum illud dicendum sit spatium imaginarium, sive non, de hoc enim controversia est inter philosophos, ut videbimus disp. sequente, sec. primâ.

IV. *Conclusio hæc communis est Philosophorum, ac Theologorum.* Hæc conclusio est communis Philosophorum ac Theologorum, quos proinde supervacaneum foret hic attexere. Imò plurimi, iique doctissimi viri, ita negant mundum de facto esse infinitè extensum, ut nec divinitùs extendi in infinitum posse asserant, ut infrà videbimus d. 46. s. 4. dum de infinito. Idem docent sancti Patres, quos d. sequente s. 4. ex aliâ occasione adducam, quorum auctoritates hoc saltem probant, mundum scilicet non esse actu infinitum, seu infinitè extensum. Hoc etiam clarissimè docet S. August. l. 11. de Civit. Dei c. 5. ubi quosdam impugnans sic habet: *An fortè*, inquit, *substantiam Dei &c. à tantis locorum extra mundum spatijs absentem esse dicturi sumus; ut in uno tantum, atque comparatione ipsius infinitatis tam exiguo loco in quo mundus est, occupatam? Non opinor eos in hæc vaniloquia progressuros.* Quid clarius? Idem docent S. Dionys. S. Hieron. S. Greg. citandi d. sequente, s. 4. S. Basilius Hom. 16. S. Damasc. l. 2. de Fide. c. 6. Orig. l. 7. contra Celsum S. Greg. Nazianz. orat. 34. & Apol. 1. & alij.

Sancti Patres passim docent mundum non extendi in infinitum, sed certos limites habere.

V. *Mira recentioris hujus argumentatio.* Quid ad hæc respondebit recentior iste, quicum præsens mihi hîc disputatio? Quam hujus sui effati rationem affert tam solidam, ut non Philosophis tantùm, ac Theologis, sed tot etiam Ecclesiæ luminibus relictis, ille censeat adhærendum? Audite. *Mente*, inquit, *percipio mundum nullos habere fines, & substantiam aliquam corpoream esse indefinitè extensam, ergo mundus nullos habet fines, & de facto existit substantia corporea in immensum undique infinitè diffusa, & omnia spatia, etiam imaginabilia actu occupans, ac replens.* Hæc ille; nec aliam hujus tam miri pronunciati rationem assignat.

VI. *Apprehensionem statuit Philosophiæ regulam.* Quo devenimus? Apprehensio Philosophiæ norma, ac regula statuitur: quod sibi illa fingit, firmum adeò ac fixum habendum est, ut de illo dubitare sit nefas. *Ego percipio substantiam corpoream esse in infinitum diffusam, ergo est infinitè per spatia omnia, etiam imaginabilia, diffusa.*

VII. *Alij omnes percipiunt mundum non esse infinitum, ergo non est infinitus.* Contrà primò, viri quique perspicacissimi, qui in florentissimis hodie per totum orbem Academiis Philosophicas disciplinas pertractant, percipiunt contrarium, nempe mundum non esse infinitè diffusum, sed certos ac determinatos limites habere. Imò, tot jam retro sæculis, homines doctissimi, ipsique adeò Sancti Patres, ut vidimus, perceperunt non existere corpus aliquod infinitum, quodque spatia omnia imaginabilia occuparet, ergo mundus non est infinitè diffusus, nec datur ejusmodi corpus, quod nullos extensionis suæ, ac magnitudinis fines habeat. Judicet quivis æquus rerum æstimator, utrùm hæc argumentatio non sit efficacior ad negandum mundum esse infinitum, quàm ipsius ad illud affirmandum: *Ego percipio mundum esse infinitum ergo est infinitus.*

VIII. *Hic ejus argumentandi modus viam infinitis figmentis aperit, occasionemque unicuique præbet suo arbitratu nova dogmata cudendi, & sine ullo omnino fundamento quidvis affirmandi.* Dicet enim similiter alius esse, vel regionem aliquam in mundo ignotam, vel mundum alium ab hoc nostro segregatum, in quo aves omnes sunt bicipites, canes cornuti, equi alati, homines Cyclopum instar monoculi, & alia hujusmodi. Quòd siquis ab eo quærat quo fundamento nixus rem tam exoticam affirmet, *Ego* inquiet, *ista hæc ita esse percipio; spiritus mihi hæc dictat Philosophicus: &, si apprehensionibus agendum sit, cur non æquè meæ apprehensioni deferendum, ac alterius?*

IX. *Tertiò efficaciter rejicitur hæc illius argumentatio.* Contrà tertiò, potuisset Deus initio mundi solum paradisum, & in eo primos parentes produxisse: vel etiam jam annihilare potest Deus totum mundum, unâ aliquâ regione exceptâ. Hoc absque dubio sine ingenti temeritate negari non potest. Ulteriùs, illius loci homines (ponamus esse locum in quo hic auctor degit, qui hoc argumentandi genere utitur) illius, inquam, loci homines, & hic inter alios, non minùs concipere possent rem aliquam corpoream in infinitum undique diffusam, ergo tunc etiam existeret hujusmodi res corporea infinita, quod tamen vel cæcus videt esse falsum.

X. *Sequeretur tempus reale fuisse ab æterno.* Contrà quartò, sicut mens nostra fertur in infinita spatia quoad locum, ita tempus reale concipere potest, variaque sphærarum cælestium circumvolutiones anteriùs, & anteriùs in infinitum à parte ante; mens enim humana, ut locorum, ita nec temporum ullis limitibus coërcetur; ergo tempus reale, & cœlorum motus fuerunt ab æterno, quæ est aperta hæresis: & tamen evidenter infertur, si hæc argumentatio valeat, *Ego rem percipio, ergo est.*

XI. *Non percipimus tantùm, inquit, corpus infinitum, sed verè & perspicuè percipimus.* Addit hic auctor: *Non percipimus*, inquit, *tantùm corpus per infinita illa spatia sine ullo termino extensum, sed, verè, perspicuè percipimus, ergo est hujusmodi corpus*, & consequenter mundus infinitus. Contrà, Patres, ut vidimus, Theologi omnes, ac Philosophi verè percipiunt non esse hujusmodi corpus infinitum, ergo non est. Contrà secundò, ille de quo antè, dicit se verè & perspicuè percipere canes cornutos &c. ergo illic sunt. Contrà tertiò: diceret Aristoteles, se verè, & perspicuè percepisse mundum fuisse ab æterno & alia hujusmodi. En quæ consequentiæ ex hoc argu-

argumentandi modo inferantur.

Verè aliquid percipere duplicem habet sensum.

Dico itaque, *verè aliquid percipere*, habere duplicem sensum: primò, ita ut solum significet tale quid menti observari: & hoc sensu, qui Anti-Christum concipit jam existere, aut aliud hujusmodi, verè ist hæc percipit, quia verè objecta illa apprehendit. Secundò & præcipuè, *verè aliquid percipere* est actum, quo id ita se habere asserimus, seu judicamus, esse verum: dicere autem hoc sensu nos verè percipere mundum esse infinitum, est petere, ut aiunt, principium, seu illud assumere tanquam verum, quod est in quæstione; quærimus enim in præsenti an actus ille sit verus, seu, an objectum ita se habeat, sicut actus affirmat. & negamus ita se habere, imò argumentis suprà positis clarè probatur actum illum esse falsum.

XIII. Dices; spatia illa concipimus extensa, longa, lata, & profunda, ergo sunt corpus. Contrà, Angelos, imò Deum ipsum concipimus instar corporis, & varias quasi partes habentem, nec alio modo anima hîc corpori affixa concipere eum potest, ergo eodem argumento quis intulerit Deum esse corpus. Spatia ergo illa supra cælum Empyreum, vel nihil omninò sunt, ut multi probabiliter affirmant, vel ad summum sunt negationes: de quo disp. sequente. Ideo autem hæc concipimus instar corporis, quia cùm omnis nostra cognitio pro hoc statu sit abstractiva, seu habeatur per sensus, sensibus autem nihil percipiamus præter corpora, seu res corporeas, ideo etiam mente ea instar corporum concipimus, cùm tamen reipsa corpora non sint. Et hinc deceptus est hic auctor, quòd quidquid instar corporis concipitur, corpus putet. Quæ sine dubio periculosissima est persuasio, & nisi corrigatur, in plurimos, & pernicio-sissimos errores hominem paulatim ducet.

Non quia quid concipitur instar corporis, ergo corpus.

Unde deceptus sit hic auctor.

DISPVTATIO XXXIII.

De spatio imaginario.

REs hæc, utpote imaginaria, variis varia imaginandi occasionem præbuit. Constat verò imprimis, spatium imaginarium non esse quid reale positivum, primò, quia imaginarium, deinde fuit ante mundum conditum, nihil autem reale tunc etitit præter Deum. Ita extra cœlum empyreum sunt modò spatia imaginaria in immensum undique diffusa, in quibus nihil est reale, ergo spatium imaginarium non est quid reale positivum.

SECTIO PRIMA.

Variæ opiniones circa spatium imaginarium.

I. *Spatium imaginarium non est quid fictum.* PRimò, volunt nonnulli spatium imaginarium esse merè quid fictum, & tantùm habere esse objectivè in intellectu, ita P. Vas. 1. p. d. 29. c. 3. n. 11. & 12. P. Arriaga d. 14. Phy. s. 3. n. 62. & P. Ov. Con. 15. Phy. p. 2. d. 1. Contrà primò, nemine cogitante Petrus est in loco, seu affixus spatio imaginario. Contrà secundò, extra cœlum empyreum, imò ab æterno erant spatia imaginaria, quando tamen nullus erat intellectus fingens. Contrà tertiò, sectione sequente ostendam esse aliquid existens nemine cogitante. Contrà quartò, Arriaga citatus s. 4. n. 69. ait Deum de facto esse in spatiis imaginariis, Deus autem non est in Chimæris, nec eget intellectu fingente ut sit in his spatiis, in quibus fuit ab æterno. Contrà quintò, spatium imaginarium debet esse quid fixum & immobile, sed ens rationis cessante actu intellectûs cessat, ergo in eo non est situm spatium imaginarium.

II. *Spatium imaginarium non est negatio rei locatæ.* Secunda sententia est asserentium spatium imaginarium esse negationem rei vel illius ubicationis. Sed nisi aliud addatur, contrà est, nam res ubicata debet esse præsens spatio imaginario, sed nulla res est, vel esse potest præsens negationi sui, sic enim in eodem spatio idem simul esset & non esset, ergo. Confirmatur, spatium imaginarium debet esse quid fixum, & nullâ vi tollibile, ergo non est hujusmodi negatio, cùm hæc de facto, posità re, tollatur necessariò eo saltem loco quo res constituitur.

III. Tertiò, alij spatium imaginarium esse dicunt immensam aliquam molem corpoream merè possibilem, undique in infinitum diffusam, vel ubicationem possibilem ejusmodi molis corporeæ. Ita P. Hurtad. d. 14. Phy. s. 2. quem multi sequuntur. Sed contrà primò, spatium imaginarium debet esse quid actu, cùm res in illo actu existant, sed res vel ubicatio merè possibiles, non sunt quid actu, ergo. Dices; sunt actu possibiles. Contrà, hoc perinde est atque si quis dicat, sunt actu non actu, quæ videtur implicatio in terminis, cùm possibilitas mera excludat omnem actualitatem.

Non est immensa moles corporea possibilis.

Secundò impugnatur, hac ratione idem esse spatium imaginarium, & reale, patet, hæc enim ubicatio & moles antea possibilis, quando producitur, fit realis, est que eadem numero existens & possibilis, & consequenter ubicatio illi & moles antea spatium imaginarium, jam fit reale, sicque non convenit ipsi una ex proprietatibus spatij imaginarij, nempe, ut non sit tollibile, tollitur enim res de purè possibili, dum fit actualis, & existens. IV.

Quartò, recentiores aliqui secuti P. Lessium l. 2. de Perfectionibus Divinis, c. 2. dicunt, spatium imaginarium esse ipsum Deum, qui secundùm immensitatem suam, est ubique seu infinitè necessariò diffusus, & licèt realiter idem, est tamen virtualiter seu eminentialiter multiplex, & diversus pro singulis minimis partibus & punctis spatij, sicque enim figi in spatio imaginario, esse affigi & correspondere tali vel tali virtuali extensioni immensitatis Divinæ. Sed contrà, nam est celebris quæstio inter Theologos utrùm Deus sit in spatiis imaginariis extra cœlum, quæ tamen quæstio esset omninò vana, si per spatium imaginarium intelligeretur ipse Deus, sic enim quæreretur utrùm Deus esset in seipso, de quo nemo dubitat; ulteriùs ergo quærunt utrùm Deus per immensitatem alteri alicui præter se extra cœlum empyreum correspondeat. V.

Nonnulli Deum asserunt esse spatium imaginarium.

Refellitur.

Quidquid ergo sit utrùm possint variæ proprietates spatij imaginarij convenire Deo ob immensitatem ejus & eminentialem ubique præsentiam, Deus tamen non est spatium illud quod hîc inquirunt Philosophi & Theologi in quæstione propositâ. Aliud proinde investigandum. VI.

Quintò, alij spatium imaginarium omnino tollendum censent. Essentiam verò ubicationis hoc modo explicant; dicunt ubicationem Romanam ex. g. illius esse naturæ, ut petat in actu primo essentialiter tantum distare ab omni alia ubicatione non Romanâ, nempe ut possit tantum spatij interjici inter VII.

Aliqui negant spatium imaginarium.

illam

illam & ubicationem Leodiensem, Parisiensem, Mexicanam &c. ita ut nec per Divinam potentiam possint esse ullæ duæ ex istis ubicationibus, & non esse fundamentum talis distantiæ. Non tamen hoc ita intelligendum est, ut una ubicatio existere actu non possit sine aliâ, sed, ut in actu primo petat ubicatio A ex.g. quandocumque existit alia ubicatio, tantum distare ab ea, & nec plus nec minus. Unde immensitatem Dei differre hoc titulo dicunt ab omni ubicatione creatâ, quod ubicatio creata sit fundamentum distantiæ ab aliis multis ubicationibus, immensitas verò Dei sit fundamentum indistantiæ, talis quippe est naturæ ut petat essentialiter esse præsens omni ubicationi possibili, quandocunque ponitur extra causas. Hanc sententiam multi amplectuntur ex recentioribus, & favere videtur P. Hurtado citatus.

Quomodo hi explicent essentiam ubicationis.

VIII. *Hæc sententia, licèt probabilis, non satisfacit.*

Hic modus dicendi non est improbabilis: in eo tamen displicet quòd secundùm illum dici non possit propriè rem esse hîc aut ibi, nisi ad summum consecutivè, & quasi arguitivè, nempe, si tantum distet ab omni aliâ ubicatione, consequenter esse hîc. Addo, in hac sententia nec consecutivè dici rem esse posse hîc, cùm rem esse hîc sit esse in hoc loco, si ergo locus omnino non sit, non potest omnino dici esse hîc: si autem velint, esse hic dicere solùm petere tanto intervallo distare ab omni aliâ ubicatione, est contra communem conceptum omnium, qui rem esse hîc concipiunt independenter ab omni aliâ ubicatione, imò si omnis alia ubicatio esset impossibilis, non tolleretur conceptus existendi hîc, quid enim refert ut Petrus sit Leodij, utrùm Paulus possit, vel non possit esse Romæ? Nec cùm quis dicit, Petrus est hic, unquam cogitat de ullo alio loco, sed solùm de hoc, in quo affirmat Petrum existere.

IX. *Volunt aliqui spatium imaginarium esse negationem Chimæræ.*

Sextus modus dicendi est aliquorum asserentium, spatium imaginarium esse negationem Chimæræ, hippocervi v.g. vel alterius similis: hæc enim negatio est ubique diffusa, cùm nullibi sit hippocervus, & tolli non potest cùm sit negatio rei impossibilis, ergo &c. Sed contrà, nihil commercij mundo reali cum entibus rationis, sed sua omnia intra se habent res reales independenter ab illis, vel illarum negationibus, unde si aliquid aliud assignari probabiliter possit pro spatio imaginario, non est recurrendum ad Chimæras.

SECTIO II.

Vera sententia de spatio imaginario.

I. *Spatium imaginarium est negatio non tollibilis ubicationis realis.*

DIco itaque spatium imaginarium esse negationem non tollibilem ubicationis realis. Explicatur conclusio: ubicatio Romana Petri v.g. non potest esse alio loco quàm Romæ, unde negatio illius ubicationis est ubique seu undique diffusa, ubicunque non est ubicatio illa Romana Petri, cùm ubicunque non est forma positiva, sit illius negatio, ubique enim esse debet vel forma positiva, vel illius contradictorium; ut in Logica probavi d. 18. s. 9. ubi ergo potest poni hæc ubicatio, negatio illius est tollibilis, ubi non potest poni, non est tollibilis, cùm tolli nequeat nisi per positionem formæ, quam negat. Ad cujus pleniorem intelligentiam, & simul probationem conclusionis.

II. *Conditiones ad spatium imaginarium requisitæ.*

Notandum quæ conditiones requirantur ad spatium imaginarium. Primò spatium imaginarium esse debet quid infinitè suo modo diffusum, idque non versus unam tantùm partem, sed omnes, ac proinde trinè dimensum, seu extensum versus longitudinem, latitudinem, & profunditatem. Secundò, debet item esse fixum, permanens, & immobile, ita ut nullâ vi aut ratione tolli possit. Tertiò, suo etiam modo debet esse æternum. Quartò, esse debet capax corporis, non tamen simul duorum corporum impenetrabilium. Quintò, habere debet diversas partes, vel quasi partes heterogeneas, quibus res positivæ, & reales diversimodè correspondere possint. Has autem omnes conditiones conveniri negationi ubicationis, quam ponimus pro spatio imaginario, disputationis decursu constabit.

III. *Negationes habent diversas partes heterogeneas.*

Notandum secundò, in hoc convenire omnes negationes, ut communis habet sententia, quòd sint per se in loco, seu sua ubicatio, ac proinde modò sunt, & ab æterno fuerunt per se ubique diffusæ, secundùm diversas partes heterogeneas, ita ut nullæ duæ negationes alicujus partes sint omninò similes, cùm petat una non esse ubi est alia, ac proinde ex hoc capite est aliqua inter eas varietas, ac dissimilitudo, licèt in ratione contradicendi præcisè seu in quantùm respiciunt rem quam negant, participent eandem rationem, nec ullam inter eas sit diversitas.

IV. *Verius hoc est de solis negationibus ubicationum.*

Quòd si cuiquam non placeat (sicut nec mihi videtur necessarium) omnes negationes esse in loco per se, & habere hujusmodi partes heterogeneas, dicere poterit, sicut res à loco absolutæ, ut aqua, ferrum, ignis, &c. sunt in loco per ubicationes à se distinctas, ita negationes harum rerum esse in loco per negationes earumdem ubicationum: ac proinde solas negationes ubicationum habere partes heterogeneas, certo loco affixas. Quod mihi videtur probabilius.

V. *Non quævis negationes aptæ sunt ad constituendum spatium.*

Notandum tertiò, non quasvis negationes aptas esse ut constituant spatium imaginarium, cùm duæ ex præcipuis conditionibus iis desint, nempe ut habeant partes heterogeneas, & ut non sint tollibiles: negationes enim rerum absolutarum, ut ignis, aquæ &c. sunt, vel secundùm omnes partes simul tollibiles, in sententiâ concedente infinitum actu, vel saltem secundùm quaslibet, in sententiâ infinitum negante, ita ut producto igne, nulla illis negatio illic maneat ubi ignis producitur: At cùm ubicationes non sint formæ absolutæ, sed certo loco alligatæ, non possunt poni ubique, nec in ullo alio loco, præterquam in eo, quem ex naturâ suâ respiciunt, & consequenter earum negatio nisi eo loco tolli nequit.

VI. *Nulla una negatio sufficit ad spatium imaginarium.*

Notandum quartò, hinc sequi, nullius unius ubicationis realis negationem posse adæquatè constituere spatium imaginarium. Ratio est clara, nam spatium imaginarium debet esse immobile, nulla autem una negatio ubicationibus realis hoc habet, ipso facto enim quod sit negatio ubicationis realis, tolli allicubi potest, cùm quidquid est reale, possit alicubi poni à parte rei, positâ autem re, tollitur ibi ubi ponitur illius negatio, alioqui simul esset ibi res, & non esset.

VII. *Ex quibus negationibus constetur spatium imaginarium.*

Spatium ergo imaginarium adæquatè sumptum conflatur ex partibus omnibus negationum non tollibilibus, nullo autem loco non sunt hujusmodi partes negationum, sed quaquaversum diffunduntur, cùm ibi necessariò sint, ubi non sunt ubicationes quas negant: necessariò etiam permanent, cùm ibi non possint esse ubicationes & formæ, ut jam ostendam. Ubicatio itaque Romana Petri ex essentiâ suâ petit figere Petrum partibus non tollibilibus negationum aliarum ubicationum, ut ubicationis Leodiensis, Parisiensis, Mexicanæ &c. quæ negationes sunt, & essentialiter petunt semper esse Romæ; ubicatio Parisiensis figit rem partibus illius negationum aliarum ubicationum, quæ partes sunt Parisiis, & sic de aliis omnibus: nulla tamen ubicatio figit rem suæ negationi, ut ubicatio Romana negationi ubicationis Romanæ, cùm hæc, positâ ubicatione, tollatur.

SECTIO

SECTIO III.

Objectiones contra hunc modum explicandi spatium imaginarium.

I. OBjicies primò : hæc ipsa negatio est alicubi, & corresponded spatio imaginario, ergo est in loco aliquo & spatio, ergo non est locus ipse & spatium imaginarium. Contrà primò, idem in omni sententia fieri potest argumentum, sive spatium imaginarium dicatur Deus, sive illa non-repugnantia, negatio Chimeræ, aut aliud quidlibet, eodem enim modo argui posset esse alicubi. Respondetur itaque, cùm hæc negatio sit fundamentum ipsum, seu locus, & quasi mensura & capacitas omnium aliarum rerum, non esse opus ut sit in aliquo alio tanquam in loco : sicut enim ubicatio, cùm sit locus intrinsecus, non requirit alium locum intrinsecum ; ita nec hæc negatio, cùm sit locus extrinsecus, requirit alium extrinsecum. Cùm autem dicitur, quidquid est, debere esse alicubi, seu in loco, intelligitur de eo quod non est locus.

Locus extrinsecus non est in loco extrinseco, sicut nec intrinsecus in intrinseco.

II. *Objicitur hanc negationem esse negationem Chimeræ.*

Objicies secundò : hæc negatio est negatio Chimeræ, ergo incidimus in sententiam quam sexto loco suprà impugnavimus. Antecedens probatur, hæc negatio est negatio ubicationis Romanæ hîc, seu Leodij, sed Ubicatio Romana Leodij est Chimæra, cùm implicet ubicationem Romanam esse Leodij, ergo. Resp. negando antecedens, ad probationem, distinguo majorem, est negatio ubicationis Romanæ hîc in actu quasi signato, nego majorem ; in actu exercito, concedo ; hoc est, negatio quæ est hîc, negat hic, seu hîc excludit non ubicationem Romanam aptam hîc existere, sed tantùm ubicationem Romanam secundùm se. Unde hæc negatio, licèt in infinitum diffusa, ubique dicit idem in actu quasi signato, nempe negare illam formam ; at in actu exercito, variatur secundùm singulas sui partes, cùm singulæ essentialiter negent illam in diverso loco, ut negatio Londinensis negat eam Londini, negatio Cantabrigiensis Cantabrigiæ &c.

Diversæ partes negationis negant eandem formam.

III. *Res explicatur exemplo actûs intellectûs.*

Exemplum hujus rei clarum est in cognitione ejusdem ubicationis : ponimus itaque dari actum intellectûs hîc repræsentantem ubicationem Romanam : actus iste in actu exercito repræsentat ubicationem Romanam hîc, seu hîc est repræsentatio illius, non tamen in actu signato, id est, ita ut repræsentet ubicationem Romanam Leodij, seu hoc complexum, nempe ubicationem Romanam existentem Leodij, tunc enim repræsentaret Chimæram, & si esset judicium judicans ubicationem Romanam esse hîc, esset actus falsus ; non tamen si hîc appellet super actum, non objectum, ut si actus hîc judicet ubicationem Romanam Petri existere, seu Petrum esse Romæ. Idem est de hac negatione ubicationis Romanæ hîc.

Particula hîc appellat supra actum, non supra objectum.

IV. *Objicitur incurri circulum.*

Objicies tertiò : per hunc modum explicandi spatium imaginarium incurri circulum ; si quis enim petat quid sit spatium imaginarium, respondetur esse negationes non tollibiles ubicationum realium : si quis ulteriùs petat, quid sit ubicatio realis, respondetur esse modum applicantem corpus ad spatium imaginarium, sicque est perpetuus circulus.

V. *Retorquetur objectio.*

Sed contrà, quæro ego vicissim ab iis, qui hoc objiciunt, quid sit Anti-Christum posse existere : respondent, posse tollere negationem sui. Inquiro ulteriùs, quid sit negationem Anti-Christi posse tolli? respondent, Anti-Christum posse existere. En ut propriis telis confodiuntur, & suo se claudunt circulo. Idem est, ut suprà ostendi, dum materia explicatur per formam, & forma vicissim per materiam, actus per potentiam, & potentia per actum, & excenta hujusmodi, quæ passim in philosophiâ occurrunt.

VI. *Natura circulos facit in essendo, Philosophus in explicando.*

Resp. itaque (quod fusius in Logicâ declaravi, dum de egressu in Demonstratione) non omnem circulum in scientiis esse vitiosum : cùm enim natura circulos fecerit in asserendo, duas scilicet à se invicem dependentes, Philosophus subinde sine vitio circulos quosdam scientificos facit in his naturæ circulis explicandis, præsertim si alterius extremi major aliunde habita sit notitia, quod in præsenti contingit ; disp. enim 18. Logicæ, dum de negationibus ostensum jam fuerat, quæ negationes erant tollibiles, quæ non, quæ ex parte tantum auferibiles, quæ ex toto, & reliqua declarata, quæ ad earum cognitionem erant necessaria. Hac ergo negationum notitiâ aliunde habitâ, non incongruè modò, vel ubicatio, vel alia quæcunque res positiva, quæ necessariam cum iis habet connexionem, per easdem explicatur. Deinde dum dicitur ubicatio esse applicatio ad spatium imaginarium, spatium sumitur tantùm generatim, id est, ad spatium quodcunque demum illud fuerit, quo penitius inspecto, illi in particulari, quod ad hoc munus aptissimum censetur, clarius applicatur ubicatio.

VII. *Cur negationes istæ vocentur spatium imaginarium.*

Quæres, cur hæc negatio, cùm existat à parte rei, vocetur spatium imaginarium? Resp. cùm nos abstractivè res cognoscentes, & per species alienas, non concipiamus negationes saltem communiter, nisi ad modum rerum positivarum, quas videmus, vel experimur, utpote per quarum species negationes repræsentantur, imaginamur hanc negationem vel instar aëris, vel alterius corporis, & spatij veri, ac realiter extensi, ac propterea vocatur spatium imaginarium. Quòd autem objici hîc posset, positâ re aliquâ in rerum natura, tolli ubique illius negationem, contrarium ostensum est in Logicâ d. 18. sec. nona.

SECTIO IV.

Sitne Deus in spatijs imaginarijs.

I. *Prima sententia negat.*

PRima sententia est negativa : ita S. Bonav. in 1. d. 37. 1. p. dist. a. 2. q. 2. Scotus in 1. q. 17. Richardus in 1. d. 37. a. 1. q. 7. Capreol. d. 37. q. unica. ad. 4. Scoti. Vas. 1. p. d. 29. c. 23. & 4. Granado 1. p. q. 5. d. 3. s. 2. Moncæus d. 1. c. 2. Fasolus 1. p. q. 2. a. 2. d. 3. Oviedo cont. 15. Phy. p. 3. n. 5. Tanner. 1. p. d. 2. q. 2. dub. 4. licèt hic facere videatur quæstionem de nomine.

II. *Secunda affirmat.*

Secunda sententia affirmat Deum esse in spatiis imaginariis : ita Major in 1. d. 37. q. 2. & in 2. d. 1. q. 1. Sotus l. 4. Phy. q. 2. Cajet. in cap. 12. Joann. Suarez d. 30. Met. s. 7. n. 30 Fonseca l. 5. Met. c. 15. q. 9. s. 4. Molina 1. p. q. 8. a. 1. d. 3. Valen. 1. p. q. 8. p. 1. Lessius de Perf. Divinis, l. 2. c. 2. Hurtado d. 14. Phy. s. 4. Arriaga d. 14. Phy. s. 4. n. 69. P. Raynaud. d. 7. q. 1. a. 6. Albertinus in Prædicam. ubi, q. 2. Arrubal, Gammachæus, Beccanus, & alij.

III. *Conclusio affirmativa.*

Hæc sententia omnino est amplectenda. Dico itaque cum auctoribus secundæ sententiæ Deum esse in infinitis spatiis imaginariis extra cœlum immensum diffusis.

IV. *Probatur ex scriptura.*

Probatur primò ex illo Job. 11. v. 8. ubi de Deo dicitur, *excelsior cœlo est*, & secundùm communem interpretum sententiam sermo illic est de immensitate Dei. Deinde, canit Ecclesia, *quem totus non capit orbis* : ergo censet Deum diffundi ultra orbem, & esse intimè præsentem & penetratum actu cum spatiis illis imaginariis, quæ suprà cœlum empyreum in immensum protenduntur.

V. *Probatur secundò ex Patribus.* Idem secundò probatur ex Patribus, qui ex illo Job, & similibus scripturæ locis docent, *Deum esse intra omnia, & extra omnia, intrinsecum, forinsecum, circumfusum &c.* qui loquendi modi passim reperiuntur apud S. Hieronym. in c. 66. Isaiæ, v. 1. S. August. in appendice de essentiâ Divinit. & alios. S. Dionys. de Divin. nominib. cap. 1. *Deus*, inquit, *in cælo est, atque in terrâ, in mundo, circa mundum, supra mundum, & supra cælum.* & c. 9. sic habet, *Deus extrinsecus supra omnem magnitudinem funditur, & supraextenditur.* S. Greg. homil. 17. in Ezech. *Deus*, inquit, *est interior, & exterior replendo interior, circumdando exterior.* Ex quibus apertè constat hanc fuisse mentem, & communem sensum sanctorum Patrum, tam clarè enim his in locis loquuntur, ut de eorum mente dubitare nemo possit, nec aliter eos intelligere, nisi eorum verba in peregrinos, & improprios sensus distorquendo.

VI. *Probatur tertiò ratione.* Tertiò probatur ratione, Deus actu est immensus, ergo actu est in infinitis spatiis imaginarijs extra cælum in immensum diffusis, id est, talem habet præsentiam, ut, re aliquâ creatâ supra cælum empyreum, esset Deus ipso facto illi intimè præsens, absque eo quòd novum locum acquireret: alioqui Deus mutabilis foret quoad locum, quod & inintelligibile est, & Deo indignum.

VII. *Sequeretur Deum moveri posse successivè.* Conf. sequeretur Deum moveri posse successivè, ut si mundus hic totus mutaret locum, & moveretur versus unam partem, tunc enim Deus (cùm intimè illi præsens necessariò sit) unà cum mundo mutaret locum successivè, quod est moveri: Conf. secundò, sequeretur ulteriùs, Deum posse esse in duobus locis discontinuis, ut si crearet alium mundum, vel corpus quodcunque, intervallo aliquo à cælo empyreo disiunctum, cui, ut dixi, Deus necessariò, secundùm omnes, debet esse intimè præsens. Conf. tertiò, si in hoc casu alter ex illis mundis annihilaretur, vel Deus maneret ubi antea mundus erat, vel non; si primum, habemus intentum; si secundum, ergo verè desineret Deus esse in loco, sicque realiter mutaret locum.

Deus in illâ sententiâ foret in duobus locis discontinuis.

VIII. *Quarta conclusionis probatio.* Probatur quartò, si homo quispiam collocaretur supra cælum empyreum, ita ut pedibus illud tangeret, posset Deus corpus illius hominis annihilare, nullâ factâ mutatione in ejus anima, ergo anima illa esset in spatio imaginario, ergo & Deus, esset enim animæ illi intimè præsens, ergo & in eodem loco esse potest, licèt nulla ibi anima existat.

IX. *Quinta probatio.* Probatur quintò, Deus extitit ante omne tempus reale in tempore imaginario, alioqui non extitisset verè ante mundum, quod nullo modo dici potest, ergo similiter modò existit in spatiis imaginariis, nulla enim ratio differentiæ videtur assignari posse.

X. *Num Deus spatijs imag. coëxistat, quæstio est de nomine.* Est ergo Deus actu in spatiis imaginariis super cælos in infinitum diffusis, quod nihil aliud est quam Deum per suam immensitatem esse actu intimè penetratum cum negationibus illis ubicationum realium ubique diffusis, & ab iis indistantem. Utrùm autem dici debeat iis coëxistere, quod tamen præcipuè urget Vasquez, Oviedo, & alij communiter, est quæstio de nomine; si enim per coëxistere intelligatur vera duorum existentia simul, ut communiter sumitur, sic non potest propriè Deus dici coëxistere spatiis imaginariis, negationes quippe in quibus consistit ratio spatij imaginarij, propriè non existunt, cùm non sint entia, sed non-entia, & consequenter non existentia, sicque propriè nec Deus coëxistit ipsis, nec ipsæ Deo: eo tamen modo quo existunt, dicitur Deus iis coëxistere. Unde dicunt Philosophi negationem Anti-Christi & negationem alterius solis jam sibi coëxistere. Eadem est difficultas de tempore imaginario, cui si adversarij concedant Deum coëxistere, quidni idem fateantur de loco similiter imaginario?

XI. *Quomodo Deus ante mundum conditum fuerit in loco.* Dices; affirmare Patres Deum ante mundum creatum non fuisse in loco, nec nisi in seipso, sic enim loquitur Tertullianus, S. Aug. S. Bernardus, & alij. Contrà, etiam dicunt Deum jam non esse in loco. Vel ergo volebant, non ita eum esse aut fuisse in loco, ut illo clauderetur, vel non fuisse in loco positivo & reali.

XII. Solùm noto, in nostrâ sententia de spatio imaginario, quòd scilicet consistat in negatione, facillimè explicari quo modo Deus sit in spatijs imaginariis, in quo tamen alios (eos præsertim qui affirmant spatium imaginarium nihil esse, nisi merum figmentum) plurimùm video laborare, & ubi in omnem se partem verterint, ut se ex difficultatibus occurrentibus extricent, vix tandem commodè se expediunt.

SECTIO V.

Possitnè res esse, & nullibi esse.

I. *Prima sententia est affirmativa.* PRima sententia est affirmativa: ita Vasq. 1. p. d. 188. n. 25. & 27. Moncæus d. 1. c. 8. Mæratius 1. p. d. 19. s. 1. n. 6. Oviedo Con. 15. Phy. p. 7. quam etiam opinionem sequuntur docti quidam recentiores, licèt inter se divisi: aliqui enim dicunt, rem tantùm indivisibilem, ut Angelum, existere posse nullibi, seu sine omni ubicatione, non tamen hominem, aut rem ullam compositam. Alij tamen, etiam hominem, & alias res compositas quascunque dicunt absolvi posse à loco.

II. *Negantes res nulla esse, & nullibi esse.* Secunda sententia, quæ mihi semper visa est longè probabilior, affirmat rem nullam, sive ea simplex sit, sive composita, posse, etiam divinitus esse, & nullibi esse, seu privari omni ubicatione, & absolvi, ut aiunt, à loco: ita Suar. l. 4. de Angelis, c. 3. n. 5. Arrubal c. 123. c. 1. Molina q. 52. a. 1. disp. un. memb. 4. asserens intelligi non posse Deum producere aliquid, & nullibi illud producere, Coninck 3. p. q. 75. art. 4. d. 1. n. 72. aiens id esse inconceptibile. Bubalus q. 52. de Angelis, ar. 1. q. 2. diff. ultima, Hurt. d. 12. de Anima. s. 6. Arria. d. 14. Phy. s. 4. n. 72. & idem sentire videtur Val. 1. p. d. 4. q. 3. p. 2. & alij.

III. *Probatur primò, quia contrarium est inconceptibile.* Probatur primò: nam, ut benè Mol. citatus, planè videtur inconceptibile, ut aliquid producatur, & non in aliqua parte spatij imaginarij, seu ita ut non sit intimè præsens negationibus in infinitum diffusis. Unde sancti Patres, Nazian. Aug. & alij passim dicunt, *quod nullibi est, non est.* Et alioqui dicet alius posse simul parietem esse album, & non esse album, vel saltem posse Petrum assentiri & dissentire eidem objecto, amare illud simul & odisse: & addet, corrigendam esse imaginationem, qua hoc concipitur esse impossibile.

IV. *Res quævis necessariò est intimè præsens Deo.* Probatur secundò: nihil creatum existere potest, cui saltem Deus non sit intimè præsens, ergo existere nulla res potest, quin existat alicubi. Antecedens videtur adeò certum, ut licèt P. Oviedo affirmet posse rem spoliari omni ubicatione, non tamen audeat negare rem omnem creatam necessariò esse intimè præsentem Deo. Imò Cont. 15. p. 8. n. 3. citat. P. Vasq. (qui etiam tenet contrariam sententiam) 1. p. d. 28. asserentem esse veritatem catholicam Deum esse intimè præsentem omni creaturæ, neque illi esse liberum esse in unâ potiùs, quàm in alia, ex suppositione quòd illam creaverit.

V. Consequentia itaque, quòd sc. nulla res existere possit, quin existat alicubi, probatur, si Deus creaturæ illi, Angelo ex. g. sit intimè præsens, ergo & Angelus est intimè præsens Deo, hæc enim sunt correlativa

lativa ergo creari nequit res ulla, absoluta ab omni loco, mutua enim præsentia est præsentia ex utrâque parte eorum quæ sibi invicem sunt præsentia.

VI. *Angelus ille non esset præsens Deo ut existenti ubique.*

Conf. Angelus ille, ut intimè præsens Deo non est præsens illi ut existenti ubique, sic enim esset immensus, ergo est intimè præsens Deo, ut habenti talem virtualem determinationem, ergo Angelus tali virtuali Dei determinationi peculiariter respondet, ergo certam & determinatam habet ubicationem, per quam uni virtuali Dei determinationi respondeat, potiùs quàm alteri.

VII. *Non potest Angelus esse intimè præsens Deo sine ubicatione.*

Dices cum P. Oviedo citato; Angelum esse præsentem Deo, non per ubicationem aliquam in Angelo receptam, sed per ipsam Dei immensitatem, quæ essentialiter est ubique, & omne creatum necessariò complectitur. Contrà, Angelus ille, ut dixi, non est præsens toti immensitati Dei extensivè, sic enim esset ubique, ergo peculiariter correspondet tali virtuali Dei determinationi, inquiro ergo per quid? non per suam entitatem meram, Angelus enim indifferens est ex se, ut tam huic virtuali determinationi immensitatis Dei correspondeat, quàm alteri: nec etiam ad hanc peculiariter determinatur per immensitatem Dei, hæc enim est similiter indifferens ut Angelus tam huic ejus virtuali determinationi respondeat, quàm illi, ergo aliqua dari debet determinatio, per quam huic potiùs virtualitati immensitatis Dei respondeat, quàm alteri.

VIII. *Clariùs hoc cernitur, si Deus duas tantùm res creet.*

Conf. primò, sicut Deus primò Angelum creavit correspondentem virtualitati A, potuisset ipsum creare correspondentem virtualitati B, ergo aliquid habere debet, per quod huic virtualitati immensitatis primò respondeat, non illi. Conf. secundò ponamus Deum duas tantùm res creasse, solem sc. & lunam, vel Deus est utrique præsens per eandem virtualem sui determinationem, vel per diversam: si primum, ergo res illæ sunt sibi etiam intimè præsentes; si secundum, per tantum spatium inter se distant, ergo neuter est à loco absolutus.

IX. *Si Deus à parte solis nobis obversâ tolleret ubicationem, non appareret hiatus.*

Probatur tertiò: Si Deus ubicationem à magnâ parte solis nobis obversâ tolleret, vel nos adverteremus, aut saltem Deus videret hiatum & vacuum in sole, vel non: si non, ergo eodem adhuc loco remanet pars illa solis quo antè, si ita, ergo reliquit locum priorem, ergo habet aliquam ubicationem. Idem argumentum fieri posset de quinque Angelis, quorum singuli occuparent spatium palmare, & ita rectâ linea sese invicem immediatè sequerentur, ut ne minimum inter eos intervallum relinqueretur, si enim Deus ab Angelo aliquo intermedio ubicationem tolleret, vel videret spatium aliquod vacuum, quod priùs occupatum fuerat ab Angelo, vel non, & cætera quæ supra.

X. *Ostenditur res compositas non posse privari ubicatione.*

Probatur quartò: specialiter contra eos qui asserunt, non Angelum tantùm, aut rem simplicem, sed quodvis etiam compositum posse absolvi à loco, quod sanè videtur impossibile ipso facto enim quòd ubicatio tollatur ab homine ex. g. periret unio inter animam ejus & corpus, cùm omnis unio partium essentialiter supponat approximationem, & unio informationis intimam præsentiam, pereunte autem ubicatione, anima & corpus non ampliùs sibi sunt intimè præsentia, ergo.

IX. *Duo esse sibi intimè præsentia est esse præsentia eidem spatio.*

Dices; licèt non sint intimè præsentia spatio, sunt tamen intimè præsentia sibi, quod sufficit ad unionem, hæc quippe solùm requirit, ut partes sibi sint præsentes, non spatio. Contrà, implicare videtur contradictionem, ut duæ aliquæ res sint sibi intimè præsentes, & non spatio, cùm aliud nihil sit esse duo sibi intimè, præsentia, quàm esse in eodem spatio, eo enim ipso quod uni tertio sint intimè aliqua duo præsentia, sunt intimè præsentia sibi. Conf. si ubicatio tollatur à domo ex. g. vel partes domus retinent tantam inter se distantiam, quantam antè, ita ut tectum ex. g. se junctum sit à fundamentis, & parietes à se invicem, vel non: si ita, ergo retinent ubicationem, cum distantia essentialiter dicat situm localem, si non, ergo perit domus, ut videtur manifestum.

XII. *Quidquid est necessariò est in aliquo tempore, ergo & in aliquo loco.*

Probatur quintò: argumento desumpto ex S. Augustino 11. de Civit. c. 5. implicat rem aliquam existere, & non in tempore aliquo, vel vero, vel imaginario, ab instante sc. æternitatis usque ad hoc instans, quia nimirum tempus imaginarium ab hoc instante fuit à parte antè in infinitum; seu sine ullâ limitatione diffusum, sed non minùs locus imaginarius, seu negationes illæ, de quibus suprà, dum de spatio imaginario, sunt infinitè diffusæ quoad spatium, ergo. Quia tamen majorem à nonnullis recentioribus negari video, ad illam probandam statuam sec. sequentem.

SECTIO IV.

Possintne res esse, & nunquam esse, seu sine omni duratione.

I. *Nequit res esse, quin de eâ affirmari possit, Fuit, Est, vel Erit.*

Conclusio: implicat rem ullam existere, etiam divinitùs, & non in aliquo tempore, vel vero, vel imaginario, seu quin de eâ verum sit unum ex his tribus affirmare, *Fuit*, *Est*, vel *Erit*. Ita auctores sec. præcedente, n. 2. citati.

II.

Probatur primò, quia (ut s. præcedente, n. 13. dixi de spatio) inintelligibile videtur aliquid existere, quin unum ex illis tribus ei competat, *Fuisse*, *Esse*, aut *Fore*; quod P. Arriaga d. 14. Phy. s. 4. n. 73. ait esse tam evidens quàm duo & tria esse quinque, & à nemine negari posse.

III. *Sequeretur rem illam posse destrui & non posse.*

Probatur secundò, ponamus Deum producere Angelum aliquem, vel hominem sine duratione, seu, quod eôdem recidit, in nullo instante aut tempore: sicut hominem illum sine duratione produxit, ita poterit eum destruere, & homo ille mori, hoc autem fit subtrahendo ab eo concursum, hæc verò omnia destrui, mori, subtrahere concursum, essentialiter supponunt successionem, seu existere negationem illius rei, quæ fuit: alioqui quare Anti-Christus modò, licèt non existat, non tamen est mortuus? Et licèt secundùm plurimos, res aliquæ produci possint ab æterno, secundùm omnes tamen nihil potest ab æterno destrui, quia destrui dicit successionem, seu non esse aliquid quod fuit. Cùm ergo certum sit posse Angelum illum annihilari, & hominem destrui, ac mori, manifestum etiam videtur necessariò intervenire durationem & successionem, ergo nihil potest esse sine omni duratione.

IV. *In quovis instante esse debet vel res, vel illius negatio.*

Probatur tertiò, implicat secundùm omnes ut quovis instante non sit vel Angelus, vel illius negatio, seu quòd Angelus quovis instante nec sit, nec non sit, cùm sint contradictoria, sed in contrariâ sententiâ sequitur in aliquo, imò pluribus instantibus, nec Angelum esse, nec illius negationem, ergo. Probatur minor, à S. Michaële ex. g. qui duravit usque ad instans B, tollat Deus durationem; in illo instante non existit S. Michaël, ut est manifestum, & concedunt adversarij, cùm existere in illo instante sit habere durationem ipsum affigente n tali instanti, sed nec existit illo instante ipsius negatio, nam S. Michaël illo instante non destruitur quoad substantiam, ergo in instante illo B nec existit S. Michaël, nec illius negatio. Hoc argumentum non eos tantùm urget, qui admittunt negationes, sed alios etiam,

omnes enim admittunt aliquid negationibus æquivalens, ut formas purè possibiles &c. de quibus idem formari potest argumentum.

V. Probatur quartò, & suppono negationes fluere, & esse affixas tempori per se, vel, si hoc negetur, argumentum procedit de eo, per quod negationes determinantur, ut sint hoc potiùs tempore, quàm illo. Implicat rem existere, & non tollere, vel impedire (si producatur ab æterno) negationem sui, sed si producatur res sine duratione, nullam negationem tollit, ergo. Probatur Minor, si aliquam tollat, tollit omnes nempe præteritas, præsentes, & futuras, nec enim est major ratio cur unam tollat quàm aliam, cùm non magis uni sit applicata, quàm alteri, imò nulli applicatur, cùm applicetur seu determinetur per durationem. Nec etiam tollit omnes, si enim tollat vel impediat negationem quæ fuit, aut fuisset ab æterno, ergo fuit res ab æterno, cùm illi negationi applicetur. Idem argumentum fit de quacumque negatione in particulari, ut cuivis rem consideranti facilè constabit.

Sequeretur rem existere & non tollere negationem sui.

VI. Probatur quintò, si Deus Angelum aut hominem conservaret sine duratione, sequeretur posse in eo esse assensum & dissensum de eodem objecto, amorem & odium, gratiam & peccatum naturaliter, imò & posse Deum homini in peccato existenti, dare unionem Hypostaticam absque eo quòd peccatum destruatur, cùm juxta adversarios, hæc non repugnent nisi rei in certo loco ac tempore, quòd hic non invenitur.

Sequeretur posse hominem, vel Angelum esse naturaliter in gratiâ & peccato.

Sextò, sequeretur etiamsi Deus alicui promisisset se eum nunquam, seu nullo tempore vel instante destructurum, posse illum nihilominus destruere, si nimirum durationem ab eo & aliis tollat, sic enim, stante etiam promissione, eum destrueret, & tamen nunquam destrueret. Pleraque ex his argumentis probant etiam rem non posse existere sine omni ubicatione.

SECTIO VII.

Objectiones contendentes posse rem esse, & nullibi, ac nunquam esse.

I. OBjicit P. Oviedo Cont. 15. Phy. p. 7. n. 2. res producit suam ubicationem & durationem, ergo est prior illis, ergo ab iis independens, ergo existere res quævis poterit, etiamsi duratio omnis, & Ubicatio ab ea separetur. Hoc etiam argumento utuntur docti quidam recentiores, eoque putant rem confici.

Objicitur rem esse priorem ubicatione, ergo potest esse sine illa.

II. Hæc ratio nunquam mihi visa est efficax: primò enim eos tantum urget, qui docent rem producere suam ubicationem; si ergo quis hoc neget, quod multi faciunt, argumentum nullam habet vim, ut constat.

Non urget.

III. Deinde hoc argumentum in multis à suis auctoribus solvi debet: ex. g. nullus existere potest, & non quovis instante habere vel gratiam, vel negationem gratiæ, ut est manifestum, sed potest ille esse utrâque prior, & independens ab iis, independentiâ antecedente, ergo. Major est certa, sunt enim contradictoria: minor itaque probatur, homo justus pro aliquo priori est indifferens ad peccandum, vel non peccandum, ergo in illo priori est indifferens ad gratiam & illius negationem, si enim non peccet, habebit adhuc gratiam, si peccet, habebit illius negationem, ergo hîc apertè ostenditur quomodo possit quis esse prior iis, quorum utroque non potest carere, vel divinitus, ergo & prior esse poterit ubicatione & duratione, licèt sine iis nec divinitùs esse possit. Idem est de calore, frigore, &c. & illorum negationibus. Idem latè suprà dum de dependentiâ à posteriori d. 20. s. 2. ostendi in causâ necessariâ & liberâ, & aliis quæ non est opus hîc repetere.

Varijs instantijs infringitur vis argumenti.

IV. Objicitur secundò: Ubicatio aut duratio non est de intrinseco conceptu seu constitutione rei, Angeli v. g. ergo iis ablatis, non sequitur rem debere perire, cùm adhuc maneant prædicata illius intrinseca. Resp. res frequenter ab iis in existentiâ dependere, quæ non sunt de intrinseco illarum conceptu seu constitutione: sic enim duæ partes minimi naturalis, in homine saltem, aut alio animali perfecto, ita in existentiâ à se invicem pendent, ut, unâ ablatâ, alteram perire necesse sit. Quid ergo vetat ut etiam in ordine ad Divinam potentiam, unum hoc modo ab alio pendeat?

Obj. ubicationem, & durationem non esse de intrinseco conceptu rei.

Respondetur.

V. Objicitur tertiò: non sequi duo contradictoria ex eo quòd res existat sine ubicatione aut duratione, ergo hoc Divinæ potentiæ non est denegandum. Contrà, nec etiam assentire & dissentire eidem, amare idem & odisse, gratia, vel unio Hypostatica & peccatum sunt expresè & formaliter contradictoria, & tamen vel ipsis adversariis assentientibus, non possunt eidem simul competere.

Obj. non inde sequi duo contradictoria, ergo Deo hoc non est denegandum.

Dico itaque, licèt non sint contradictoriæ formaliter, esse tamen arguitivè, cùm enim talis sit natura spatij (idem est de tempore) ut undique in infinitum diffundatur, ex eo quòd res aliqua existat, & alicui ejus parti non coëxistat, sequitur illam existere & non existere: sicut propterea existere nihil potest, quin coëxistat Anti-Christo vel illius negationi; quòd scilicet, ut utrumque horum simul esse, ita alterum non esse impossibile est. Unde sicut propterea negant adversarij posse quempiam amare idem simul & odisse, quia hoc, conceptu est difficile, ita cum non minùs, imò magis inconceptibile sit posse aliquid existere, & non in aliquâ parte spatij imaginarij, aut non coëxistens Deo, à fortiori hoc Philosopho est negandum.

VI.

Resp. esse virtualiter contradictoria, & arguitivè.

Objicitur quartò: potest sol divinitùs existere sine luce, ignis sine calore &c. ergo & Angelus sine ubicatione, aut duratione, seu nullibi & nunquam. Resp. negando consequentiam, ex eo sc. quòd spatium imaginarium & tempus sint infinitè diffusa, ut sæpè dictum est, quod luci non competit. Unde si lux esset in infinitum diffusa sicut spatium, dicerem nec divinitùs existere posse solem quin sit intimè præsens alicui parti lucis: imò si unio etiam lucis esset simul cum eâdem luce undique per infinita spatia extensa, adderem nec divinitùs creari posse solem, quin luce informetur.

VII.

DISPVTATIO XXXIV.

De Loco intrinseco, seu ubicatione.

NIhil certiùs quàm res omnes esse in loco, unde ait Aristoteles 4. Phy. c. 1. t. 1. *quæcunque sunt, alicubi sunt*, seu, ut alij explicant, & eôdem penè recidit, *quod nullibi est, nihil est*; unde, inquit ipse ibidem, tragelaphus & sphinx, & aliæ hujusmodi Chimæræ, quia nihil sunt nullibi sunt. Per quid autem, vel quomodo res sint in loco nihil difficilius: quod proinde multorum ingenia mirum in modum torsit, ut disputationis hujus decursu videbimus.

Quod nullibi est, nihil est.

SECTIO PRIMA.

Varij modi explicandi existentiam rei in loco.

I. *Esse in loco est aliquid aliud præter rem & locum.*

IN primis esse hoc aliquid aliud præter ipsam nudam entitatem rei & locum, seu spatium, videtur clarum ex communi argumento de separabilitate reali: possunt enim existere locus & corpus, & tamen corpus in loco illo non existere, seu non esse conjunctum loco, ergo rem esse in loco est aliquid aliud præter meram entitatem rei & locum. Confirmatur, jam res, Angelus scilicet, vel homo est distans ab hoc loco, jam indistans, ergo est indifferens ex se ad hunc vel illum locum, seu ut sit vel non sit in hoc loco, ergo non est ex se determinatus ad hunc locum, ergo determinari debet per aliquid aliud: quid ergo illud aliud sit, hîc investigandum proponimus.

II. *Vbicatio non est voluntas Dei.*

Primò, dicunt aliqui esse decretum Dei quo vult creaturam esse hoc vel illo loco. Contrà primò, hoc decretum novum, & voluntas Dei, vel est efficax, vel solùm inefficax: si secundum, nihil ad rem præsentem, tunc enim solùm denominaret Deum volentem rem esse in loco inefficaciter, & consequenter ex vi illius non esset novus hic effectus conjunctionis ad novum locum, cùm voluntas inefficax sit illa quæ non habet effectum, sed solùm est per modum cujusdam simplicis complacentiæ, & velleitatis; qualem habet Deus de salvatione totius mundi, *vult* enim *omnes homines salvos fieri*. Si autem decretum hoc, & voluntas sit efficax, ergo aliquid efficit ex parte creaturæ, ergo fit aliquid de novo, vel positivum, vel negativum ex parte rerum creatarum, præter rem & locum, hæc enim erant antè, ergo hoc novum decretum & voluntas Dei vult aliquid aliud præter rem & locum.

III.

Secundò impugnatur, & inquiro, quando Deus vult ut Petrus qui erat Leodij, sit Londini, quodnam sit objectum voluntatis hujus Divinæ? nec enim est sola voluntas loci, nec sola voluntas rei, Petri v. g. nec Petri & loci, cùm Petrus & locus fuerint antea.

IV. *Aliud est Deum simul aliqua velle, aliud velle ea simul.*

Dices; est voluntas Petri & loci simul. Contrà, vel illud simul tenet se ex parte objecti, vel solum ex parte actûs; ita ut simul velit Deus Petrum & locum, hoc autem non sufficit, Deus enim simul voluit primum annum creationis mundi, & præsentem, qui jam est, non tamen voluit illos esse simul, sed multa annorum millia inter utrumque interponi: ergo quâdo vult Petrum & locum esse simul, vult aliquid aliud. Debet ergo dari aliquid aliud superadditum quod sit formalis determinatio Petri ad hunc potius locum quàm alium, voluntas verò hæc Dei, vel aliæ causa producens est determinatio solùm effectiva, seu efficiens determinationem formalem, ut suprà disp. 14. s. 1. in simili dixi de unione cujus causa productiva non est unio formalis, sed affectiva, seu unitio.

V.

Tertiò impugnatur, oculis enim cernimus res esse tali vel tali loco, ac tantum inter se distare, & tamen non cernimus voluntatem Dei, alioqui lupus videns agnum in prato, videret voluntatem Dei. Deinde si possit per hujusmodi solum novum decretum Dei statui res in diverso loco, ita ut decretum hoc sit ratio formalis per quam sunt res in loco, quidni etiam dari possit decretum aliquod quod sit unio, vel actio, imò & albedo, ita ut paries sit albus, & aër lucidus per voluntatem Dei?

VI. *Vbicatio rei non est actio ejusdem productiva.*

Secundò ergo dicunt alij, probare quidem hæc, dari debere necessariò aliquid distinctum ab entitate rei & loci, per quod dicatur res esse in loco, hoc autem, inquiunt, est ipsa actio quâ res producitur, quam dicunt simul esse actionem, ubicationem, & durationem, & ex naturâ suâ producere vel conservare rem hîc & nunc, ergo simul est actio, ubicatio, & duratio.

VII. *Impugnatur hæc opinio.*

Contrà primò, si hoc sufficiat ut dicatur actio esse simul ubicatio, & duratio, quòd Deus per actionem producat Petrum hîc & nunc, ob quam causam dicunt actionem habere has tres formalitates, productionis, ubicationis, & durationis, quidni ergo & unio erit simul ubicatio & duratio? cùm Deus intendat per unionem unire formam materiæ, & accidens subjecto hîc & nunc. Dices; unio potest manere eadem, licèt res mutetur quoad locum. Contrà, sic etiam & actio: quæ enim est major ratio cur unio maneat, mutatâ re quoad locum, quàm actio; certè nulla assignabitur extra præsentem controversiam, nisi petatur principium. Licèt ergo producatur & conservetur res hic & nunc, non tamen hæc tria munera præstantur per solam actionem, sed tribuendo singula singulis, producitur & conservatur res per actionem, hîc per ubicationem, nunc per durationem: effectus enim formalis actionis non est reddere rem hoc vel illo loco præsentem, sed solùm eam producere, nec effectus formalis ubicationis est producere, sed reddere rem præsentem.

VIII. *Sequeretur albedinem esse suam ubicationem & durationem.*

Impugnatur secundò, cur non posset quis eodem modo dicere, albedinem esse suam ubicationem & durationem, & consequenter mutari singulis momentis? ut philosophantur hi auctores de actione, æquè enim ex conceptu suo actio est absoluta à loco & tempore atque albedo, & sicut actio producit albedinem hîc & nunc, ita albedo reddit subjectum album hîc & nunc, ergo etiam mutabitur albedo singulis momentis, sicut juxta hos auctores mutatur actio.

IX. *Columna immota mutaret singulis momentis ubicationem.*

Contrà tertiò, quis dicet columnam loco aliquo fixam singulis momentis mutare ubicationem, & habere diversam ubicationem vespere quàm mane, vel diversam etiam actionem conservativam? habemus verò fundamentum cur mutet durationem, cum duratio sit correspondentia cum tali tempore reali, vel imaginario, cùm ergo tempus perpetuò fluat, debet etiam fluere duratio ipsi correspondens: sicut dum

dum quis mutat locum,& spatium imaginarium,necessariò mutatur illius ubicatio: cur autem mutetur actio, nullum est fundamentum, cùm non magis ex conceptu suo unum tempus respiciat actio quam aliud.

X. *Sequeretur nihil posse movere se.*

Contrà quartò, si ubicatio identificetur cum actione productivâ, sequitur non posse quidquam propriè dici movere se. Patet, nam ubicatio est actio productiva, & conservativa, juxta hanc sententiam, sed non potest quidquam producere, aut conservare se, ergo nec poterit se movere, cùm sint idem, vel si dicatur movere se, dicetur etiam se producere. Confirmatur, Angelus non posset omnino dici naturaliter movere se, si motus esset actio illius conservativa, nam illa est creatio, sed Angelus nec se, nec aliud quidquam potest naturaliter creare, ergo nec poterit se movere, cùm juxta hanc sententiam sunt idem.

XI. *Non posset quis in diverso loco habere eundem actum liberum.*

Tandem secundùm hunc modum philosophandi, non posset Petrus aut quivis homo, vel Angelus habere eundem actum liberum in duobus locis vel momentis, sed necessariò illum mutare debet quoties mutat locum. Probatur antecedens, actum enim liberum, ut liberum, necessariò ingreditur ipsa actio, sed actio secundùm hos auctores essentialiter affixa est hoc loco, & tempori, ergo non potest in diverso loco & tempore habere eundem actum liberum: quod tamen meritò censetur inconveniens.

SECTIO II.

Peculiaris modus explicandi existentiam rei in loco.

I. *Novus modus explicandi existentiam rei in loco.*

Tertius aliquorum dicendi modus est, rem esse in loco non dicere aliquid superadditum rei & loco, sed solùm conjunctionem corporis cum hoc spatio, hæc autem, inquiunt, conjunctio formaliter nihil aliud est, quàm ipsa entitas rei tollens negationem sui in hac parte spatij, idque per se adæquatè. Pro quo supponunt nobiscum negationes habere partes, vel quasi partes extensivas secùndum spatium in infinitum diffusas. Esse ergo Petrum hìc, inquiunt, est tollere hanc partem negationis sui, seu partem illam quæ huìc spatio peculiariter correspondet.

II. *Impugnatur hic philosophandi modus.*

Sed contrà, tota & adæquata ratio formalis, per quam res est hic, seu tota ratio per quam tollit formaliter hanc partem negationis sui, est secundùm hunc modum dicendi, ipsa sola entitas illius rei, sed tota entitas rei, Petri v.g. erat antea in tempore præcedente, & antequam Petrus esset hìc, ergo in tempore præcedente tollebat hanc partem negationis, & antequam Petrus huic loco coëxisteret, datâ enim causâ formali adæquatâ non potest non poni effectus ejus formalis, ergo Petrus existens Romæ tollere deberet partem negationis sui, quæ est Leodij, Parisiis, Londini &c. vel ad hunc effectum aliquid aliud requiritur, præter meram Petri entitatem. Dices; requiri ut applicetur Petrus huic loco. Contrà, ergo esse ipsum applicatum superaddit aliquid aliud, nempe applicationem, hæc ergo applicatio inquiro quid sit, vel quid superaddat: certè vel aliquid aliud includit præter meram Petri entitatem, vel Petrus antea tollebat hanc partem negationis sui, & consequenter antea erat hìc.

III. *Dicunt superaddi negationem negationis.*

Dices primò; illam applicationem non esse quid positivum, sed negationem negationis, nempe negationem hujus partis, quæ scilicet jam resultat loco prioris, ita ut ratio formalis per quam Petrus est hìc, sit hæc negatio negationis. Contrà primò, ergo ratio formalis per quam Petrus est hìc, non est sola ejus entitas. Contrà secundò, nam d. 18. Log. sec. 11. ostendi non dari hujusmodi negationes negationum contradictorias, sed pro contradictorio habere debere rem aliquam positivam, cùm contradictoria sint, quæ maximè inter se distant, ut ibi fusiùs. Deinde, contradictoria omnia æqualiter inter se distant, duæ autem negationes non tantùm inter se distant quantum res positiva & illius negatio, cùm duo non-entia non tantùm distent, quantum ens & non-ens. *Non dantur negationes negationum.*

IV. *Dicunt tollere hanc partem negationis, quia coëxistit omnibus alijs.*

Dices secundò, ideo corpus tollere hanc partem negationis sui, quia coëxistit omnibus aliis partibus suæ negationis: implicat autem ut existat corpus & omnes aliæ partes negationis hujus corporis, quin corpus tollat hanc partem, cùm existere non possit quin tollat aliquam, ac proinde determinatur ad ablationem hujus partis per coëxistentiam ad omnes alias. Contrà, eadem hìc, vel major videtur difficultas, nam non minori egeret determinatione ut coëxistat aliis omnibus partibus, quàm ut tollat hanc, ergo assignandum est aliquid aliud per quod determinetur ad coëxistendum cum illis. Confirmatur, ideo tollit hanc partem negationis sui, potiùs quàm aliam, quia applicatur huic parti spatij, & non alteri, ergo est aliqua nova & peculiaris applicatio, per quam redditur correspondens huic parti spatij, potiùs quam alteri, quæ applicatio non erat antea, hæc autem est ubicatio. *Rejicitur hæc responsio.*

V. *Fundamentum præcipuum hujus sententiæ.*

Dices; (& est fundamentum hujus sententiæ) res non est hìc formaliter & adæquatè per negationem sui hìc, seu per hanc partem negationis, ergo res hìc adæquatè per suam entitatem solam. Patet consequentia, per id est hìc formaliter per quod tollitur ejus negatio hìc, sed tollitur formaliter & adæquatè per solam rei entitatem, ergo. Minor probatur, nam negatio rei solùm tollitur formaliter per entitatem ipsius rei sibi contradictoriè oppositam, nec enim negatio Petri hìc tollitur formaliter per ubicationem Petri, sed per entitatem, ergo per solam suam entitatem Petrus est hìc, cùm per solam suam entitatem tollat partem illam negationis sui hìc.

VI. *Refellitur ratio posita.*

Resp. verum esse Petrum tollere negationem sui hìc formaliter, & adæquatè per suam entitatem, necessariò tamen requiritur applicatio tanquam conditio essentialiter requisita, alioqui non esset major ratio cur tolleret hanc partem suæ negationis, quàm aliam. Ratio igitur cur tollat potiùs hanc partem, quàm aliam, est, quia applicatur huic parti spatij, potiùs quàm alteri. Sicut licèt rem existere simpliciter sit tollere suam negationem, & illam tollat adæquatè per suam entitatem solam, necessariò tamen requiritur actio productiva, per quam ponatur res extra causas, & quasi applicetur ad esse, & ad negationem illam auferendam.

VII. Ad id autem quod dicunt, ipso facto quòd intelligatur tolli hæc pars negationis, intelligi formaliter rem esse hìc. Resp. negandum esse suppositum, posse scilicet intelligi rem tollere hanc partem negationis, quin intelligatur cum ubicatione, si formetur conceptus adæquatus, & cum omnibus requisitis; ut enim intelligatur res tollere hanc partem negationis, debet intelligi applicata huic spatio, applicatio autem hæc est ipsa ubicatio, cùm res ex se sit indifferens ut hanc partem negationis tollat, vel aliam. In quo differt res absoluta ab ubicatione, hæc enim ipso facto quod intelligatur tollere hanc partem negationis sui, intelligitur esse hìc, quia non eget alio applicante vel determinativo, sicut egent res omnes absolutè, sed idem est in ubicatione esse, & esse applicatam tali spatio.

VIII. Licèt itaque Petrus per suam entitatem solam tollat

Vbicatio requiritur tanquam applicatio.

tollat formaliter hanc partem negationis sui, sicut tamen requirit actionem conservativam tanquam conditionem ad hoc necessariam, ita & requirit ubicationem, quæ sit applicatio illius ad hanc potiùs partem negationis quàm aliam, ex quo provenit ut partem illam solam tollat, & nullas alias.

IX. *Res non est in loco per negationem spatij interjecti.*

Alij demum cum Gregorio, Gabriele & cæteris Nominalibus, ac Patre Valentiâ 1.p.d.4.q.3.p.2.§. *In eo autem*, dicunt rem esse in loco per negationem spatij interjecti, & hoc modo ponunt varias negationes negationum: spatium enim est una negatio secundùm ipsos, interjectio est alia, deinde negatio spatij interjecti est secundùm illos negatio hujus negationis. Hæc sententia magnam mihi videtur parere confusionem: quæro enim quis sit conceptus spatij, ut vocant, interjecti inter Petrum & Paulum? dicunt esse negationem conjunctionis. Inquiro ulteriùs quid sit illa conjunctio, cujus spatium interjectum est negatio? dicunt esse non-conjunctionis, seu negationem negationis conjunctionis, & sic philosophantur in circulo.

X. *Hoc modo philosophandi negari posset unio.*

Deinde contra hunc modum philosophandi est, quidni enim negari eâdem ratione posset unio, quam tamen concedunt aliqui ex his auctoribus? probatur sequela; ponantur namque anima & corpus intimè inter se penetrata, sed non unita, quæro cur non sint jam unita? Respondent quia deest conjunctio, seu quia habent negationem conjunctionis, ergo si ponatur negatio negationis hujus conjunctionis, jam per hanc negationem conjungentur; implicat enim auferri negationem conjunctionis inter aliqua, & ea non conjungi; gratis autem negaretur posse dari hujusmodi negationem negationis conjunctionis inter corpus & animam, si concedatur, ut ab ipsis conceditur, dari eam in conjunctione quoad locum: quæ enim major ratio in uno casu, quàm in altero?

SECTIO III.

Res existit in loco per ubicationem: ubi, utrùm ubicatio sit modus.

I. *Res in loco existunt per ubicationem*

Dico itaque primò: rem esse in loco per ubicationem, seu formam aliquam positivam, à re realiter distinctam: ita Suar. d.51.Met.s.1.n.14.Mol. 1.p.q.52.a.1.dis.un.mem.5.Albertin.To.2.prædi. *quan.* coroll.15.d.1.3.4.Tan.d.5.de Ang.q.2.d.2.n. 1.Murcia hîc d.1.q.4.Tol.l.4.Phy.c.3.concl.1.Hurt. hîc d.14.s.2.Arriaga.d.14.Phy.s.2.n.4.Ovied.cont. 15.Phy.p.4.n.3.& alij. Contra Valent. 1.p.d.4.q.3. p.2.Coninck de sacram.q.75.a.4. & alios.

II.

Prob. primò, ex refutatione omnium aliorum modorum explicandi existentiam rei in loco, quos sec. præcedente retulimus & impugnabimus. Secundò probatur argumento illo quod suprà latè posuimus s.1.n.2.& seq. de separatione reali, quod non est opus hîc repetere.

III. *Vbicatio non necessariò est modus.*

Dico secundò, probabilius mihi videri, positivum hoc quod superadditur, seu ubicationem (idem est de duratione) non necessariò debere esse modum, sed posse esse formam aliquam superadditam absolutam, absolutam inquam, non à spatio, sed à subjecto: ita Arriaga d.14.Phy.s.2.n.49.contra Oviedo cont.4. Met.p.6.n.7. fine, & alios plurimos. Conclusionis unica & sufficiens ratio est, quia intelligitur ubicatio & duratio abundè præstare munus suum figendi, scilicet rem in hoc spatio, ac tempore, licèt ipsæ subjectis suis uniantur per uniones distinctas, modò connectantur spatio ac tempori immediatè & per seipsas. Conf. non videtur cur magis ubicatio, & duratio sint modi quàm actus intellectûs, voluntatis, & omnium sensuum, quos tamen communis sententia negat esse modos.

IV.

Dices primò; ubicatio est essentialis determinatio & conjunctio rei cum tali loco, ergo est modus. Contrà, etiam visio est determinatio & conjunctio intentionalis oculi, vel animæ cum tali determinato objecto, ergo vel utraque erit modus, vel neutra. Sicut autem visio potest per Divinam potentiam conservari sine hoc, imò sine omni subjecto, ita quidni poterit ubicatio? ubicatio ergo est essentialis determinatio sui ad hoc numero spatium, non ad hoc numero subjectum, ita ut sine eo existere non possit. Dici ergo potest ubicatio modus spatij, non subjecti.

Conservari potest ubicatio sine subjecto.

V.

Dices secundò; implicat concipere sessionem vel curvitatem quin concipiatur reddens aliquid sedens, vel curvum. Conf. ubicatio secundùm nos est applicatio, sed implicat concipere applicationem, & non concipere aliquid applicatum, ergo ubicatio essentialiter afficit suum subjectum, & consequenter est modus, etiam subjecti. Ad argumentum Resp. non majorem in eo esse difficultatem quàm ut concipi possit visio & cognitio quin concipiatur actu reddentes videntem aut cognoscentem. Est ergo & sessio & curvitas essentialis ordo & correspondentia sui ad tale spatium, non tamen denominat necessariò subjectum hoc modo extensum, nisi illi actu uniatur. Ad confirmationem distinguo minorem: implicat concipere applicationem completam, & non aliquid applicatum, concedo minorem; applicationem incompletam, nego. Applicatio autem completa dicit ubicationem seu applicationem unitam subjecto, sicque includit unionem, licèt semper intelligatur applicatio unita & applicata spatio, est enim ex essentiâ suâ applicata per se huic spatio, non tamen applicat necessariò aliud à se, cùm non necessariò uniatur suo subjecto.

Sessio & curvitas esse possunt sine subjecto.

Vbicatio est applicatio incompleta.

VI.

Dices tertiò; ergo etiam tolli poterunt omnes modi. Nego consequentiam, longè enim major est necessitas aliorum, quàm ut ubicatio sit modus, nam si unio ex.g. non esse modus, sequeretur processus in infinitum, si enim unio esset substantia absoluta, quantumcunque incompleta, & non esset intima affectio, & unio sui cum subjecto & formâ, egeret aliâ unione ut iis uniretur, cùm eadem tunc esset ratio de unione ac de materiâ & formâ: illa ergo alia unio vel uniretur seipsâ, & sic esset intima affectio per se sui subjecti, sicque esset modus, vel uniretur per aliam adhuc unionem distinctam, & illa per aliam & sic in infinitum, nisi tandem concedatur aliqua unio, quæ sit intima affectio sui subjecti, & modus. Quòd autem ubicatio sit entitas absoluta & solùm determinata quoad spatium, quid sequitur incommodi? nullus enim hic processus in infinitum, sicut in exemplis proximè allatis.

Non hinc sequitur tolli posse omnes modos.

VII.

Dices quartò; aliqui modi sunt in loco per ubicationes à se distinctas, ergo ubicatio non est qualitas vel accidens absolutum, hujusmodi enim qualitas subjectari nequit in modo ob imperfectionem modi, sicut nec propterea potest substantia subjectari in accidente. Resp. omnes modos non esse imperfectiores semper accidentibus: quis enim dicet subsistentiam, quam multi ponunt modum, non esse perfectiorem calore, vel frigore? cùm sit modus substantialis, quod etiam verum habet in unione, saltem hypostaticâ. Deinde esto sint modi omnes imperfectiores accidentibus absolutis, quidni tamen poterit aliquid perfectius subjectiri in subjecto se imperfectiori? ut formæ substantiales subjectantur in materiâ primâ: concursus enim materialis non requirit profluere à principio perfectiore illâ re in

Modi non sunt semper imperfectiores accidentibus.

quam

Perfectius subjectari potest in imperfectiore.

quam influit; cùm sit modus concurrendi ex genere suo imperfectus. Ratio autem cur substantia non possit recipi in accidente, non est imperfectio accidentis, ut constat in materiâ primâ respectu formarum substantialium, & unionis Hypostaticæ, sed quia substantia ex naturâ suâ ordinatur ad faciendùm unum per se cum suo subjecto, ac proinde subjectum quod præsupponitur substantiæ, debet esse substantia: unde forma substantialis recipi nequit in accidente.

VIII. *Vbicatio est absoluta à subjecto, non à loco.*

Est ergo ubicatio accidens absolutum à subjecto, non à loco, seu spatio, unde esse potest quin actu afficiat ullum subjectum, non tamen quin alligetur loco, idque per se, alioqui daretur processus in infinitum, sicut & in durationc. Ut ergo tribuat ubicatio effectum suum formalem, uniri debet subjecto per unionem distinctam, sicut alia omnia accidentia.

Possitne ubicatio Petri esse ubicatio Pauli.

Utrum autem ubicatio Petri possit esse ubicatio Pauli, & è contrà, ex una parte nec est magnum inconveniens si concedatur, nec est negatu difficile, cùm multi, qui negant subsistentiam esse modum, non tamen admittant posse subsistentiam Petri esse subsistentiam Pauli, vel è contrà, quia est quasi quædam proprietas Petri. Quod idem dici potest de ubicatione, utpote quæ spectat ad completam rei perfectionem, & quasi integrum illius primum conceptum, ut sit in loco, cùm esse omnino non possit quin sit alicubi, ut ostendi disp. præcedente sec. quinta.

SECTIO IV.

Objectiones contra distinctionem ubicationis à re ubicatâ.

I. *Objicitur Petrum, ablatâ ubicatione Romanâ, adhuc futurum Romæ.*

Objicies primò; Deus tollere potest à Petro Romæ existente omnem ubicationem, Petro quoad cætera immutato, sed tunc Petrus tam esset adhuc Romæ, quàm antea, ergo. Minor prob. Petrus tunc esset alicubi, nam juxta Aristotelem suprà citatum, *quod nullibi est, nihil est*, sed non acquisivit novam correspondentiam ad aliquod aliud spatium, cùm illud acquirere non possit sine novâ ubicatione, supponimus autem omnem ab ipso ablatam esse ubicationem, ergo adhuc est Romæ, idque sine ubicatione. Major prob. hæc ubicatio pendet à Petro à posteriori, cùm sit effectus illius, ergo sicut potest materia divinitùs denudari omni formâ, si Deus subtrahat concursum, ita & Petrus sine omni ubicatione. Confirmatur primò, nulla alia causa ita dependet à suo effectu, ut sine omni effectu existere non possit, ergo &c. Confirmatur secundò, Deus per novum concursum liberum distinctum à concursu quo producit Petrum, concurrit ad hanc ubicationem, ergo adhuc producto Petro, & exhibito concursu ad illius entitatem, poterit concursum suspendere ad ubicationem.

II. *Satisfit objectioni positæ.*

Ad argumentum Resp. negando majorem, ob rationes suprà allatas d. præcedente, s. 5. Ad primam confirmationem, negatur antecedens, ut ostendi suprà d. 20. s. 2. n. 4. 5. 6. & 7. in causâ tum necessariâ tum liberâ. In præsenti verò hoc provenit ratione circumstantiarum, spatij scilicet, seu negationum undique in infinitum diffusarum, unde implicat quidquam esse, quin cum aliquâ parte illarum sit intimè penetratum: sicut ob eandem rationem ostendi d. præcedenti, s. 5. n. 4. nihil existere posse, quod non sit intimè præsens Deo: sicut nec quin coëxistat Anti-Christo, vel ejus negationi.

III. Ad secundam confirmationem dico, Deum, posito quòd rem quampiam producat, non posse non producere aliquam illius ubicationem, & durationem, alioqui sequerentur duo contradictoria, nempe, rem esse intimè præsentem Deo, & alicui parti spatij, & non esse iis intimè præsentem.

IV. *Præcipua objectio contra ubicationem distinctam.*

Objicies secundò, & præcipuè priùs naturâ quam ponatur ubicatio, datur effectus formalis ubicationis, ergo ubicatio est superflua. Antecedens probatur, priùs naturâ quam Petrus ex. g. producat aut recipiat ubicationem in hoc spatio, potiùs quàm in alio, debet esse in hoc spatio, potiùs quàm in alio, cùm priùs sit esse hîc, quàm operari hîc, ergo antecedenter ad operandum hîc, seu in hoc spatio, debet esse hîc, & applicatus huic spatio, ergo priùs naturâ est hîc quàm habeat hanc ubicationem, ergo ubicatio non est ratio formalis per quam Petrus est hîc.

V. *Vbicatio non præexquiritur ad producendam ubicationem.*

Resp. negando primum antecedens: ad probationem nego etiam antecedens, licèt enim approximatio, & applicatio sit conditio prærequisita ad alias operationes, & effectus, non tamen ad productionem ipsius ubicationis, seu applicationis. Sicut licèt ad alias operationes requiratur subsistentia juxta illud, *actiones sunt suppositorum*, non tamen potest subsistentia prærequiri tanquam conditio requisita ad productionem sui. In hac ergo propositione & similibus est *suppositio accommoda*, sicut in hac, *quod tegit omne cælum*, id est, præter seipsum: qua de re egi d. 3. Introd. s. 1. n. 9. Idem ergo affirmari poterit de productione ubicationis.

VI. *Petrus producens hanc ubicationem non propriè operatur hîc.*

Dico itaque Petrum producentem hanc ubicationem, quâ figitur hîc, seu in hoc gymnasio, non propriè operari hîc seu producere ubicationem in hoc gymnasio, nisi sermo sit de toto instante reali, quia pro illo priori præscindit ab omni spatio, nec potest propriè dici producere ubicationem in hoc spatio pro illo priori, quia pro illo priori non est in hoc spatio, nam est in illo solùm per ubicationem, ac proinde non potest in eo priùs esse quàm habeat ubicationem, illam autem pro illo priori non habet. Pro illo ergo priori habet se præscissivè respectu ubicationis & spatij.

VII. Requiritur ergo ubicatio tanquam conditio antecedenter ad operationes tantùm externas, non ad productionem ubicationis & operationum internarum, seu quæ exercentur in ipsâ re, quæ operatur. De quo plura d. 36. s. 5.

VIII. *Objicitur rem esse naturâ priorem suâ ubicatione.*

Sed urgebis, res priùs naturâ est, quàm producat ubicationem, ergo aliquid assignari debet in actu primo, quod pro illo priori eam determinet ad productionem hujus ubicationis, potiùs quàm alterius, res enim ex se, Petrus ex. g. non magis petit unam producere, quàm aliam, cùm sit ad varia loca indifferens, & consequenter ad varias ubicationes. Assignari ergo debet aliquod determinativum, hoc autem aliud esse nequit, quàm quòd applicetur respotiùs huic spatio, quàm alteri: alioqui cur magis producit ubicationem Leodiensem, quàm Romanam? ergo res est applicata spatio pro aliquo priori naturæ, antequam habeat ubicationem, ergo ubicatio non est applicatio, seu planè superflua.

IX. *Cur res tali loco primò producantur.*

Resp. si sermo sit de primâ rerum productione, ideo rem aliquam, ignem ex g. hîc produci, quia hîc sunt dispositiones, & causæ ad eum producendum applicatæ. Si autem sit effectus qui à solo Deo dependet, ut Angelus, ideo hîc producitur merè ex decreto libero Dei, volentis hîc eum potiùs producere, quàm alibi. Si verò sermo sit de motu locali, dico in illo determinationem provenire à voluntate in Angelo, & homine, in brutis verò ab imaginativâ, & appetitu, cujus ductu in unam partem potiùs feruntur, quàm aliam. Reliqua, gravia scilicet & levia, impetu quodam naturæ in sua quæque loca feruntur, hæc sursum, illa deorsum.

Quid determines in motu locali.

Ad

X. *Fuisse in loco proximo determinat ad hanc ubicationem.*

Ad id verò quod opponebatur, nisi detur aliquod determinativum ad productionem ubicationis, nullam esse rationem cur Petrus in instanti A existens Leodij, producat in instanti B ubicationem Leodio proximam, potiùs quàm Romanam, dico rationem esse, quia immediatè antè fuit Leodij: cum ergo moveri naturaliter non possit nisi transeundo per medium, Romanam ubicationem producere priùs nequit, quàm produxerit intermedias.

XI. *Quædam replica circa conditiones extrinsecas.*

Urgent aliqui, quòd res fuerit immediatè antea in spatio proximo, parum refert, cùm ad operandum in hoc instante nihil conferat quicquid fuerit in instantibus præcedentibus? Sicut quòd dispositiones ignis fuerint in materiâ in instante A, nihil conducit ad introductionem formæ ignis in instante B, nisi dispositiones illæ permaneant in instante B: ita similiter habuisse hanc ubicationem nihil juvat ad producendam proximam, cum illa jam ampliùs non existat.

XII. *Res præterita sæpe sunt conditiones ad effectus præsentes.*

Sed hoc nullam mihi videtur habere difficultatem, & ab ipsis adversariis solvi variis in rebus debere. Primò ergo, ut quis moriatur hîc, ab eo pendet quòd immediatè antè fuerit hîc. Deinde, in impetu ut sex, qui simul totus productus perit successivè, quintus gradus, ut pereat connotat sextum immediatè antè periisse, & sic de cæteris gradibus usque ad primum. Quod etiam contingit in gradibus caloris in aquâ productis, & similibus. Item juxta adversarios, ut res ulla, vel permanens, vel successiva possit produci, petit æternitatem à parte antè transivisse. Et magis propriè ad rem præsentem, fuisse Petrum immediatè antè in spatio A, efficit ut Deus agens naturaliter non possit ipsum in instante sequente collocare nisi in spatio proximo. Quidni ergo & fuisse hîc immediatè antè esse possit conditio ut res constituatur in spatio immediatè sequente, seu ut producat ubicationem proximam heterogeneam?

XIII. Aliud est de formis substantialibus, tùm quia experientiâ constat eas non introduci, nisi positis dispositionibus: tùm quia accidentia iis data sunt, vel ut ornamentum, ut omnes fatentur, vel etiam ut adjumentum, ut suprà ostendi disp. 25. sect. 8. n. 3.

XIV. *Objicitur, si detur ubicatio, posse eam cerni oculis.*

Objicies tertiò; si detur hujusmodi ubicatio, posset cerni oculis, & una discerni ab aliâ, præsertim si notabiliter differant, sed non possunt discerni: siquis enim inclusus navi, secundo vento deferatur per integrum diem in mari, aut flumine, diversa notabiliter est ubicatio navis vespertina ab ubicatione ejusdem matutinâ, quarum tamen diversitatem vector inclusus navi non discernit.

XV. *Resp. eam cerni, sed non semper discerni.*

Resp. admisso quòd videantur Ubicationes, has, si sint ejusdem speciei rei, non differre specie completâ, quantum enim Ubicatio Petri Leodij differt seu distat ab ubicatione Pauli, qui est Romæ, tantum ubicatio Pauli Romæ differt & distat ab ubicatione Ioannis, qui est Constantinopoli, sicque habent prædicata similia, sicut & spatium ipsum, cujus partes non differunt specie. Licèt ergo cernantur ubicationes, non tamen discernuntur, nisi per comparationem ad alia, vel secundùm diversas figuras, ut lineam, circulum, triangulum, & alia hujusmodi, quæ fundant.

SECTIO V.

Divisio ubicationis: & quibus rebus diversa ubicatio competat.

I. FUsè hac de re Suarez d. 51. Met. P. Hurt. d. 12. Met. sect. 6. ubi latè impugnat P. Vasq. 1. p. d. 188. c. 7. asserentem Angelum solùm esse in loco per unionem ad aliquod corpus, unde ait Vasq. posse Angelum pro libito esse nullibi, si nimirum nolit se ulli corpori conjungere, de quo alibi.

II. *Vbi circumscriptivum, & definitivum.*

Celeberrimâ itaque divisione dividitur Ubi in Ubi *circumscriptivum & definitivum*: Ubi circumscriptivum est, per quod corpus existit commensurativè & quantitativè, ita ut pars parti spatij correspondeat, & totum toti, idque impenetrabiliter cum alio corpore quantitativo. Ubi *definitivum* latè sumptum est Ubi illud, cui aliqua ex his conditionibus jam assignatis pro Ubi circumscriptivo deest. Unde dicunt aliqui si materia prima, vel forma lapidis, ablatâ quantitate, maneret adhuc extensa quoad locum (probabilius enim est in eo casu eas non necessariò confluxuras ad punctum) illud Ubi futurum *definitivum*, non *circumscriptivum*, licèt adhuc per illud pars materiæ & formæ parti spatij, & tota toti corresponderet. Vocatur præterea Ubi illud definitivum, idque strictè, quod ita limitibus quibusdam rem definit & coërcet, ut ulteriùs non extendatur: quo sensu omnia habent Ubi definitivum præter Deum, licèt existant quantitativè in loco.

III. *Vbi definitivum propriissimè sumptum.*

Appellatur etiam subinde Ubi *definitivum*, per quod aliquid extenditur, vel quasi extenditur ad ultimum suæ sphæræ. Ubi autem *definitivum* propriissimè sumptum, est quod locat rem in spatio indivisibiliter, seu ita ut pars non correspondeat parti, sed totum sit in toto, & totum in qualibet parte spatij, quomodo Angeli sunt in loco, & est communis modus existendi spirituum. Video nonnullos fusè hîc examinantes alias acceptiones Ubi *definitivi*, sed lis est de modo loquendi, quibus quæstionibus non libenter insisto.

IV. *Quid sit ubi sacramentale.*

Peculiare est hac in parte Ubi illud quo corpus Christi est in Eucharistiâ, & vocatur Ubi *sacramentale*, nec enim solùm reddit corpus Christi penetratum cum quantitate panis, sed etiam omnes partes Corporis Christi penetratas inter se, ut quantitatem capitis cum quantitate manûs, pedis, &c. cùm totum corpus Christi sit in singulis partibus & punctis spatij. Habet ergo hoc singulare hæc ubicatio, quòd singulæ illius partes uniantur toti corpori Christi, & reddat omnes partes penetratas inter se, quod nulli alteri ubicationi competit respectu corporis, quod in spatio collocat.

V. *Vbicatio, actio ejus productiva, & unio, sunt in loco per se.*

Quoad secundum, quod in titulo quærimus, nempe, quibus rebus diversæ competant ubicationes: inprimis ubicationem ipsam non egere aliâ ubicatione à se distinctâ est clarum, sic enim daretur processus in infinitum, & eadem quoad hoc ratio est de ubicatione, ac de actione, unione &c. Actio item productiva præsentiæ localis, unio etiam quâ in nostrâ sententiâ sec. 3. num. 3. & sequentibus explicatâ, ubicatio unitur suo subjecto, non egent aliâ præsentiâ, quâ sint in loco, tum quia daretur processus in infinitum, tum præcipuè quia actio hæc & unio sunt affectiones hujus præsentiæ, ergo ex naturâ suâ petunt esse in eodem spatio cum illâ, ergo sicut illa non est in loco per præsentiam à se distinctam, quia petit essentialiter per se esse in hoc spatio, eodem modo actio ejus productiva, & unio erunt in hoc loco essentialiter per se, cùm nec divinitùs inde dimoveri, seu in alio loco statui possint. Idem existimo de ubicationis duratione.

VI. Dices; sunt in loco per ipsam præsentiam quam afficiunt, seu per suum terminum. Contrà, ratio existendi in loco est effectus formalis proveniens ab aliquâ formâ, seu ab aliquo informante; sed terminus non informat actionem sui productivam, nec unionem, sed potiùs è contrà, ergo potiùs terminus est in loco per actionem & unionem, quàm ille per terminum.

VII. *Materia, Forma, & qualitates, habent ubicationes singulæ diversas.* Materia, forma, & omnes qualitates sunt in loco singulæ per ubicationes distinctas. Patet, nam si una esset omnium ubicatio, sequeretur, quoties vel unum aliquod accidens in composito destruitur, perire totam semper ubicationem, idque manente re in eodem prorsus loco pereunte enim termino vel subjecto etiam partiali ubicationis, perit ubicatio. Dicit Vasquez, omnia in composito esse in loco per Ubicationem quantitatis. Contrà, possunt accidentia varia, & ipsa forma substantialis perire, manente adhuc in eodem loco quantitate, ergo non sunt in loco per ubicationem quantitatis.

VIII. Essentiam & passiones omnes ab eâ naturaliter inseparabiles probabile est esse in loco per eandem ubicationem. Ratio est, quia petunt semper esse in eodem loco, nec possunt ab invicem naturaliter separari, ergo non est cur iis assignentur diversæ ubicationes, cum non sint multiplicandæ entitates sine necessitate.

IX. *Idem subjectari potest in subjectis specie distinctis.* Dices; unam non sufficere, nec enim subjectari potest idem accidens in subjectis specie distinctis. Contrà, dicunt multi, actus materiales sensuum subjectari & in materiâ & in animâ: item unio materiæ & formæ, imò accidentis cum subjecto, ut albedinis vel quantitatis cum pariete, recipitur juxta multos in utroque, ergo sola diversitas subjecti non sufficit. Habent ergo ut plurimum res compositæ ubicationes etiam compositas, ita ut singulis partibus singulæ correspondeant ubicationes, nisi ubi est peculiaris ratio in contrarium, ut aliquando esse ex dictis constat.

X. *Modi forme singuli habent ubicationes diversas.* Entitates etiam modales, præter superiùs positas nu. 4. habent ubicationes distinctas à subjectis quibus insunt. Ratio est, tum quia perire possunt manentibus in eodem loco subjectis, tum quia unio & actio conservativa partium in composito possunt ab uno in alium locum, moto composito, transferri.

DISPUTATIO XXXV.

De existentia rei in duobus locis.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm eadem res possit naturaliter esse in duobus locis: præcipuè forma materialis.

I. *Sermo est de duobus locis discontinuis.* IN duobus inquam locis adæquatis, & discontinuis, seu totalibus, nam in duobus aut pluribus non adæquatis, nec discontinuis posse rem existere, non est dubium, cùm anima rationalis sit tota in capite, tota in pede, & tota in singulis corporis partibus: item Angelus est totus in primâ, & ultimâ parte suæ sphæræ, & simul in omnibus partibus intermediis. Quæstio ergo est, utrùm possit simul esse vel corpus, vel spiritus in duobus locis discontinuis, seu ita, ut non simul sint in medio. Utrùm v.g. possit aliquid naturaliter esse hîc, & Romæ, ita ut non sit in spatio interjecto.

II. *Nullas res esse naturaliter potest in duobus locis discontinuis.* Non posse rem eadem, saltem completam, naturaliter in duobus locis existere constans est omnium opinio, & quotidianâ probatur experientiâ: unde quandocunque hujusmodi aliquid visum est, manifesto ascriptum est miraculo: quare nec Angelum nec animam rationalem, nec compositum ullum substantiale posse vi agentium naturalium in duobus locis adæquatis, & totalibus, seu discontinuis simul collocari, videtur certum: rationem tamen ejus congruam assignare, factu non est ita facile. Ratio ergo una esse potest, quòd cùm res quævis sit suapte naturâ limitata, petit ipsius limitatio limitatum etiam locum, unde expletur naturalis ejus capacitas per unam ubicationem adæquatam, ac proinde stante unâ, non potest naturaliter habere aliam, magis quàm ignis duplicem simul calorem ut octo, vel materia simul duas formas substantiales ejusdem rationis. Secundò, quia si posset res aliqua esse in duobus locis simul, ergo in pluribus sine fine, idque naturaliter, quod tamen videtur incommodum, & in simili negatur posse materiam duas simul formas substantiales recipere, quia nullus numerus formarum assignari posset, quarum simul esset susceptiva.

Causa huius est limitata cujusque rei natura.

III. Quæres utrùm saltem forma aliqua materialis substantialis, vel accidentalis possit produci simul in diversis locis adæquatis, & discontinuis? affirmant aliqui, quorum rationes ponentur sect. sequente.

IV. *Idem dicendum de formâ materiali.* Dicendum, nullam omninò formam, sive substantialem, sive accidentalem posse vi agentium naturalium produci, aut collocari in diversis locis adæquatis, ac discontinuis. Prob. primò rationibus num. 2. allatis, quæ hîc etiam vim suam habent, & à thesi applicantur ad hypothesim. Secundò, nam alioqui non possemus scire utrùm de facto non sit eadem forma ignis ubicunque est ignis, & non diversa pro diversitate loci: quod idem dici posset de omnibus formis tum substantialibus, tum accidentalibus.

V. *Habitum semper est miraculum quoties res existit in duobus locis.* Probatur tertiò, secundùm omnes censetur miraculum quandocunque aliquid est in duobus locis adæquatis, & totalibus simul, ergo non potest quidquam naturaliter statui in duobus locis hujusmodi, seu discontinuis. Dices, solùm censeri miraculum quòd res aliqua completa, ut homo, vel Angelus statuatur in diversis locis, non verò quòd res incompleta. Contrà primò, nunquam in scholis audita est hæc disparitas à quoquam data, sed ipso facto quòd aliquid sit in diversis locis, reputatum semper est miraculum. Contrà secundò, hinc valde infringuntur miracula cùm conceditur posse res aliquas naturaliter esse in diversis locis, quidni enim, si uni rei hoc concedatur, poterit & concedi aliis? Unde ex communi consensu omnium, si poneretur eadem albedo in duobus parietibus, altero hîc, altero in Indiis, censeretur miraculum.

VI. *Sequeretur quidvis esse posse naturaliter in duobus locis.* Quartò & præcipuè probatur, si enim forma materialis posset vi agentium naturalium statui in diversis locis discontinuis, sequitur posse etiam compositum eâdem ratione in duobus locis collocari: unde Deus ut auctor naturæ posset ignem aut arborem Londini simul & Parisiis statuere. Si enim hoc ex limitatione rei creatæ non proveniat, & concedatur formæ, non est unde negetur composito.

VII. *Dicitur solutio.* Dices; ignem aut lapidem, vel aliud hujusmodi compositum non posse statui in diversis locis, quia sequeretur penetratio, cùm locus omnis in universo sit corpore aliquo repletus, & nullibi detur vacuum.

Con-

VIII. *Variis modis refellitur.*

Contrà primò, ergo si Deus tolleret à composito aliquo quantitatem, posset lapis ex. g. aut arbor naturaliter poni in duobus locis discontinuis. Contrà secundò, ergo si Deus alicubi efficeret vacuum, possent illic res quævis habere duas ubicationes discontinuas. Unde & de facto supra cælum empyreum posset homo aliquis, aut lapis, habere naturaliter duas hujusmodi ubicationes discretas. Contrà tertiò, nullus hactenus, si corpus aliquod statueretur in diversis locis, in eo miraculum consistere asserit, quod sequeretur penetratio, sed in limitatione rerum creatarum.

IX. *Sequitur Angelum, & animam posse naturaliter esse in duplici loco.*

Contrà quartò, & est quinta probatio conclusionis: saltem Angelus, aut anima posset vi gentium naturalium in duobus locis discontinuis statui, ut si Angelo vel animæ rationali in certo loco constitutæ accedant hinc & inde duo Angeli, & Angelum illum vel animam non retinentem movere velint, alter Orientem versus, alter versus Occidentem: hîc enim nulla sequeretur penetratio. Hoc autem est contra communem jam opinionem Theologorum, ut ostendit Suarez l. 4. de Ang. c. 10. Vasq. 1. p. d. 190. p. 3. ubi id probat ex Patribus: Mol. 1. p. q. 52. art. 2. Arrub. d. 157. c. 3. Grana. 1. p. q. 52. Tan. 1. p. d. 5. q. 2. d. 4. n. 3. & alij.

X. *Dicunt Angelos illos se invicem impedire.*

Dices; nec animam illam motum iri, nec Angelum, non ob repugnantiam ullam quæ reperiatur ex parte vel Angeli, vel animæ movendæ, sed ex parte moventium, utpote qui sibi obsistunt, & se invicem impediunt: vel enim imprimunt impetum æqualem, & tunc non omnino movebitur Angelus ille medius vel anima; vel alter adhibet vim majorem, tunc autem is prævalebit, & simpliciter Angelum vel animam movebit versus illam partem, versus quam propellit, licèt aliquantulum retardetur ab impetu alterius, ut modò contingit in motu orbium cælestium, & formicæ in rotâ, in navi adverso flumine attractâ, & similibus.

XI. *Rejicitur prædicta responsio.*

Sed contrà, suppono utrumque Angelum adhibere impetum sufficientem ad Angelum illum vel animam movendum, impetum v. g. ut sex: hoc posito, non se impedient, quod sic ostendo. Ideo duo ignes simul parari ad producendum eandem formam ignis in duobus locis discontinuis, simul eam producent secundùm hos auctores, quia uterque simul vim habet sufficientem ad formam illam producendam, & ex parte formæ non est repugnantia, sed hîc uterque Angelus adhibet simul vim sufficientem ad movendum alterum Angelum versus Orientem, & Occidentem, & ex parte Angeli movendi nulla est repugnantia, ergo eum simul versus Orientem & Occidentem movebunt.

SECTIO II.

Argumenta contendentia posse formam materialem naturaliter produci in duobus locis adæquatis.

I. *Principalis ratio cur forma materialis produci possit in duobus locis.*

OBjicies primò: (& est fundamentum contrariæ sententiæ) possunt duo agentia naturalia, duo ignes ex. g. simul applicari in duobus locis discontinuis, ut alter Romæ, alter Leodij, & esse apti proximè ad agendum, seu ad producendam aliquam formam ignis, sed secundùm nos tribuentes individuationem effectûs causæ primæ, potest eadem forma ex se tam produci uno loco, quàm alio, ergo poterit causa prima dare concursum utrique igni ad producendam formam illam in utroque loco, uterque enim ignis est æqualiter aptus illam producere, & forma vicissim æqualiter apta ab utroque produci, ergo uterque poterit illam producere, ergo producet, sed illi ignes sunt in diversis locis, ergo illam producent in diversis locis.

II. *Potest forma illa ab utrovis igne produci non ab utroque.*

Resp. omissis cæteris, negando consequentiam, licèt enim possit forma illa ab utrovis igne in utrovis loco produci, & divisivè, non tamen ab utroque & in utroque loco, seu collectivè, quia nimirum est repugnantia naturalis ex parte effectûs producendi, qui scilicet ob suam limitationem petit tantùm esse simul in uno loco, unde unicâ ubicatione expletur naturalis ejus capacitas, aptitudo autem causæ ad causandum est semper spectanda penes non repugnantiam effectûs.

III. *Dicunt multiplicari forma virtutem.*

Dices, ipso facto quòd ponatur forma in duobus locis multiplicatur ejus virtus informativa, sicut & multiplicaretur virtus receptiva materiæ, si hæc statueretur in diversis locis. Contrà primò, ergo etiam multiplicaretur virtus Angeli, & consequenter poni posset in duobus locis naturaliter. Contrà secundò, priùs naturâ quàm ponatur forma in diversis locis, debet esse apta naturaliter ad recipiendum duplicem ubicationem, sed ante positionem in duobus locis non est apta recipere duplicem ubicationem, solùm enim est apta per multiplicationem, priùs autem ad actualem receptionem duplicis ubicationis deberet multiplicari ejus virtus, cùm in aliquo priori debeat esse apta recipere, quàm actu recipiat, sed multiplicatur virtus formaliter per duplicem ubicationem, ergo pro nullo priori est apta habere duas ubicationes, quàm illas habeat, ergo non potest naturaliter habere duas.

Resp. non multiplicari eam antecedenter.

IV. *Obj. Unum ignem non impedire vim operativam alterius.*

Objicies secundò: quod ignis aliquis Romæ sit paratus & aptus ad producendum formam A, non impedit, quo minùs alius ignis Leodij sit simliter aptus ad eandem formam producendam. Probatur unus namque ignis appositus diverso loco non minuit virtutem operandi alterius. Resp. negando antecedens. Ad probationem dico, unum ignem non impedire alterum diminuendo vires, sed afferendo aliud impedimentum nempe indeterminationem. Sicut quòd alius effectus sit possibilis ut hîc & nunc producatur, & non unicus tantùm, non minuit virtutem causæ, imò auget potiùs, impedit tamen quo minùs possit causa hîc & nunc prodire in actum ob indeterminationem quam affert. Quod ergo hîc faciunt duo effectus apti simul produci respectu ejusdem causæ, faciunt ibi duæ causæ respectu ejusdem effectûs, qui cùm naturaliter sit incapax duplicis ubicationis simul, ipso facto quòd simul ponantur in diversis locis duæ causæ aptæ, neutra est apta proximè, nisi aliunde determinetur in quo loco effectus sit producendus.

Resp. impedire afferendo indeterminationem

V. *Ad Deum spectat supplere defectus naturæ.*

Objicies tertiò: ponamus esse creatas sex materias loco dissitas, & solùm quinque formas esse possibiles, tunc saltem deberet necessariò eadem forma naturaliter poni in duobus locis, alioqui una materia manebit sine formâ. Retorqueo argumentum, creet Deus sex formas, & ponamus esse quinque tantùm materias possibiles, ergo tunc una materia deberet naturaliter poni in duobus locis, alioqui forma una manebit sine subjecto. Resp. ergo, casum esse impossibilem, cùm ponatur subjectum naturaliter aptum ad formam, & tamen non esse possibilem formam, quæ illud naturaliter informet. Posito ergo illo casu impossibili, vel deberet una ex illis materiis manere sine omni formâ, vel duæ materiæ penetrari, & informari eâdem, vel aliquid hujusmodi: tunc enim non esset relictus modus in naturâ componendi omnia, ac proinde miraculo aliquo deberet Deus supplere defectum naturæ.

VI. *Forma in duobus locis intra suâ sphæram*

Objicies tertiò: potest forma nunc majus, nunc minus spatium occupare, quare ergo forma illa, quæ potest naturaliter extendi ad duas ulnas per rarefactio-

ctionem, non poterit ad easdem extendi, licèt relinquat aliquid spatij in medio? non enim occuparet plus spatij, quàm naturaliter possit, & petat. Contrà, quidni ergo etiam Angelus posse relinquere aliquid spatij in medio suæ sphæræ, & occupare duas alias partes extremas? nec enim occuparet plus spatij, quàm naturaliter possit, & petat.

VII. Ratio ergo utriusque est modus ille spatium occupandi, cujus causam à priore assignare omnes fatentur esse difficile, experientiâ tamen constat hoc Angelo non posse contingere, cum sæpè compertum sit dæmones cùm aliò transmigrare vellent, reliquisse ad tempus corpora obsessa, quod tamen non fecissent, si simul in utroque loco esse potuissent: si autem semel possit Angelus esse in duobus locis discretis, & planè à se, ut ita dicam, discontinuis, cùm res in duobus locis disiunctis constituta sit à se prorsus independens. ut ostendam sect. 4. posset Angelus ille se gerere in utroque loco, atque si esset à se realiter distinctus, sicque ad quemcumque locum se pro libito transferre.

SECTIO III.

An divinitùs possit idem corpus esse simul circumscriptivè in duobus locis, vel duo corpora in eodem.

I. *Duo supponenda ut certa.* DUo hîc supponenda tanquam certa: primò posse corpus circumscriptivè in uno loco existens poni definitivè in alio: de fide enim est Christum, qui in cælo existit circumscriptivè, & modo sibi connaturali, in sacrosanctâ Eucharistiâ existere definitivè, ita scilicet ut totus sit in toto, & totus in qualibet parte hostiæ. Secundum est, corpus duas hujusmodi ubicationes circumscriptivas loco dissitas habere naturaliter non posse.

II. *Prima sententia est negativa.* Prima itaque sententia negat posse corpus aliquod, etiam per divinam potentiam poni circumscriptivè in duobus locis inter se dissitis. ita S. Bonaventura in 4. d. 49. p. 25. a. 3. q. 1. in solutione ad 3. Durandus in 4. d. 10. q. 5. n. 30. & 31. Henricus quodlib. 9. q. 32. Paludan. in 4. d. 10. q. 1. Capreol. in 4. d. 10. q. 1. art. 3. & recentiores fermè omnes Thomistæ quos sequitur Vasq. 3. p. d. 189. c. 5. citatur etiam S. Thomas in 4. d. 10. q. 1. ad 3. & d. 44. q. 2. ar. 2. q. 3. ad 4. & alibi: Sotus tamen, & Cajet. aiunt S. Doctorem de potentiâ tantùm ordinariâ esse loquutum.

III. *Secunda & vera sententia affirmativa.* Secunda & vera sententia ait, nullam in hoc apparere implicantiam, ac proinde posse idem circumscriptivè, & commensurativè in duobus simul locis discretis, ac separatis constitui: ita Alensis 4. par. q. 11. ar. 1. Richard. in 4. d. 10. ar. 2. q. 2. Okam in 4. q. 4. dub. 6. Major. in 4. d. 10. q. 4. Idem docet Alanus l. 1. de sacram. Euchar. s. 1. n. 12. Scotus lib. 4. Phy. & in 4. d. 10. q. 1. ar. 3. Bellar. To. 3. s. 3. de Euch. c. 3. fine. Suar. To. 3. in 3. p. d. 44. s. 4. Valen. To. 4. d. 6. p. 3. p. 1. n. 2. Cardinal. de Lugo d. 5. de Euchar. s. 1. nu. 12. Coninck 3. p. qu. 75. art. 4. d. 3. Hurta. disp. 14. Phys. sect. 5. Arriaga d. 14. Phy. sec. 8. subs. 2. Oviedo cont. 15. Phy. p. 9. Conimb. l. 4. Phy. ca. 5. qu. 5. ar. 2. Rub. l. 4. Phy. & alij.

IV. *Scotus Doctor verè subtilis.* *In Angliâ natus.* Tandem hanc sententiam in 4. d. 10. q. 2. tenet, & optimè explicat, & illustrat acutissimus Scotus, Doctor verè subtilis, Oxoniensis quondam Academiæ splendor: non alienigena, ut quidam non rectè opinantur, sed in Anglia natus, ut clarè in suâ Britannia ostendit Gu. Camdenus in Northum. p. 670. Horum tamen, hâc in parte studium non improbo, is enim est Scotus, ut non tres tantùm, sed triciestres de eo nationes meritò certare possint.

V. *Probatur ex S. Augustino.* Probatur primò ex S. Augustino lib. de cura pro mortuis gerendâ c. 16. ubi ait; *Alij sunt humanorum limites rerum, alia divinarum signa virtutum, alia sunt quæ naturaliter, alia quæ mirabiliter fiunt*: ex quo principio pro compertò habet S. Augustinus, animas sanctorum simul esse posse in duobus locis, in cælo scilicet & in terra, quando nimirum hîc mirabiliter aliquid operantur, ergo & poterit aliquod corpus esse simul in duobus locis discontinuis, cum nulla sit specialis in eo difficultas, ut videbimus ex solutione argumentorum.

VI. *Sæpè constitit corpus esse circumscriptivè in duobus locis.* Probatur secundò: de facto enim constat hoc sæpè contigisse: & in primis Christus ex quo ascendit in cælum, nunquam cælum reliquit, nec relinquet ante diem judicij; quod colligitur ex illo Actorum 3. v. 21. *quem oportet cælum suscipere, usque in tempora restitutionis omnium*: sed post ascensionem ejus in cælum certum est eum apparuisse multis in terrâ, & præcipuè ostenditur ex celebri illâ apparitione factâ S. Paulo in ipsius conversi[one] prope Damascum, relatâ Act. 9. quòd enim fuerit Christus ipse, qui ei tunc apparuit, & non Angelus ejus loco, videtur certum, tum quia dixit, *Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris*, tum quia ipse Paulus 1. ad Cor. cap. 15. v. 8. id affirmat, & sese inter oculatos resurrectionis Christi testes numerat. Quod autem non viderit Christum in cælo, ut aliqui volunt, constare videtur, tum ex magnâ illâ luce, qua circumdabatur, quæ provenit ex præsentiâ Christi, tum ex voce, quam ipse & alij audiverunt, ore Christi prolatam. Confirmatur ex variis scriptoribus omni exceptione majoribus, qui id variis sanctis sæpè contigisse asserunt, ita ut qui hoc in dubium vocaret, de re quavis dubitare posset. Varia exempla affert Major citatus; & ante annos aliquot S. Francisco Xaverio contigisse certum est, & multorum, qui id viderunt, testimonio comprobatum, ut habetur in ejus vitâ.

S. Franc. Xaverius fuit simul in duobus locis.

VII. Tertiò probatur: non repugnat idem corpus poni definitivè in diversis locis, ut est de fide in corpore Christi in Eucharistiâ, quod sub diversis hostiis, quantumvis loco dissitis continetur; nec etiam repugnat corpus esse circumscriptivè in uno loco, & definitivè in alio, ut ex eodem mysterio constat, ergo nec repugnabit poni in duobus locis circumscriptivè. Patet consequentia, nam si possit poni in duobus locis definitivè, vel in altero circumscriptivè, in altero definitivè, multò magis in duobus circumscriptivè, cùm ultra miraculum de positione in duobus locis, sit aliud miraculum, nempe, positio corporis, seu rei materialis ita, ut tota sit in toto, & tota in qualibet parte: facilius autem est corpus statuere in duobus locis modo ei proportionato, quàm improportionato, ut videtur manifestum.

Corpus facilius est in duobus locis circumscriptivè, quàm definitivè.

VIII. *Possunt duo corpora quanta esse in eodem loco, ergo & idem esse potest in duobus.* Quartò probatur, & simul ostenditur secunda pars tituli: possunt duo corpora extensa, & habentia duas ubicationes circumscriptivas, poni in eodem loco, ergo & idem corpus in diversis. Patet consequentia; sicut enim naturaliter non potest poni idem corpus in duobus locis discontinuis, ita nec unum corpus quantitativum admittit secum naturaliter aliud quantitativum in eodem loco, sed petit naturaliter impenetrabilitatem cum illo, ergo sicut potest Deus negare huic quod ipsi naturaliter debetur, quidni concedere alteri poterit, quod illi naturaliter non debetur? Antecedens verò constat in nativitate & resurrectione Christi, quando corpus ipsius penetrabatur cum purissimâ carne Virginis Matris, & lapide sepulchri: Christus enim nec nascens imminuit integritatem Matris, nec resurgens divolvit lapidem ab ore sepulchri, ut perperam pictores communiter in suis imaginibus insinuant. Item post resurrectionem ingressus est ad discipulos januis clau-

sis,

sis, ergo non repugnat duo corpora quantitativa inter se penetrari supernaturaliter.

IX. *Probatur ulteriùs posse duo corpora quanta inter se penetrari.*

Ulteriùs hoc idem ostenditur: non est de essentiâ quantitatis esse actu impenetrabilem, sed solùm ex naturâ suâ petere, ut sit impenetrabilis; sicut ignis petit calorem, & accidens subjectum, quod tamen non impedit quò minùs divinitùs possit quantitas non esse actu impenetrabilis, sicut & ignis potest esse divinitùs sine calore, & accidens sine subjecto; sicut etiam calor intensus & frigus intensum petunt non esse naturaliter in eodem subjecto simul, in quo tamen esse possunt supernaturaliter. Unde malè audit apud omnes hoc nomine Durandus asserens, nec per divinam potentiam posse duas quantitates invicem inter se penetrari, ac proinde cogitur negare, Christum in Eucharistiâ habere suam quantitatem. Quod idem fortè diceret in nativitate, & resurrectione. Quæ tamen sententia à multis censetur temeraria. Et per hæc patet ad secundam etiam partem tituli.

Opinio quædam Durandi.

X. Quintò probatur: nulla est repugnantia, ut corpus ponatur circumpscriptivè in duobus, vel pluribus locis simul, ergo poni in iis poterit, cùm non sit negandum omnipotentiæ divinæ omne id, quod non implicat contradictionem: Antecedens ostendetur ex solutione argumentorum.

SECTIO IV.

Argumenta contra existentiam circumscriptivam corporis in duobus locis.

I. *Obj. fore circumscriptivè, & non fore.*

OBjicies primò; in ipsis terminis involvi contradictionem ut corpus sit in duobus locis circumscriptivè: nam esse corpus hoc modo in loco, est circumscribi loco, sed circumscribi loco est ita in illo esse, ut non sit extra illum, ergo non potest esse simul in alio, & circumscribi hoc, sic enim esset circumscriptivè, & non esset, seu simul esset extra hunc locum, & non esset. Contrà primò, ergo si sit circumscriptivè in uno loco, non potest esse nec definitivè in alio, si esse circumscriptivè in loco dicat non esse extra illum locum. Contrà secundò, nam esse definitivè in loco, si vim vocis spectemus, dicit etiam definiri loco illo, seu loci illius finibus contineri, ergo nec poterit esse in duobus locis definitivè, quod tamen est contra fidem.

II. *Satisfit Objectioni.*

Resp. ergo, esse rem in loco circumscriptivè solùm dicere ita esse in loco, ut non sit tota in toto, & tota in qualibet ejus parte, in quo distinguitur ab existentiâ definitivâ. Quæ autem implicatio ut illo modo sit simul in duobus locis, magis quàm definitivè?

III. *Num corpus in duobus locis distet à se.*

Objicies secundò; hinc sequi, idem distare à se, ut si Petrus hîc statuatur & Romæ. Contrà, idem est de corpore in duobus locis constituto per duas ubicationes definitivas, ut de facto corpus Christi existit in diversis hostiis. Suarez itaque To. 3. in 3. p. d. 48. s. 4. ait, non esse inconveniens ut corpus in duobus locis constitutum distet à se. Dici tamen posset corpus illud non distare à se: sicut enim corpus habens in eodem loco duas ubicationes homogeneas, non dicitur penetrari secum, defectu distinctionis, ita defectu distinctionis dici posset non distare à se, sed tam conceptum distantiæ, quàm indistantiæ, seu penetrationis requirere distinctionem realem.

IV. *Obj. posse esse in pluribus locis in infinitis.*

Objicies tertiò; si homo possit esse in duobus locis, poterit esse in pluribus, & pluribus in infinitum, nec enim certus locorum numerus assignari potest. Conf. hinc enim sequitur ex uno homine conflari posse integrum exercitum, & templum ex uno lapide construi: utilis sanè orbi opinio, si res hæc tam facto esset facilis, quàm dictu. Ad argumentum Resp. idem objici posse de corpore in duobus locis constituto definitivè, ut de corpore Christi sub pluribus & pluribus hostiis: unde censeri hoc non debet inconveniens in uno casu, magis quàm in altero. Ad confirmationem dico, hæc quidem naturæ viribus fieri non posse, nullus tamen jure ei negaverit, qui ex quinque panibus, ac duobus piscibus quinque hominum millia refecit, quod Io. Major sect. sequente citandus num. 3. probabile censet factum fuisse per localem eorundem panum multiplicationem.

Idem sequitur in contrariâ sententia.

Objicies quartò; si corpus possit supernaturaliter statui in duobus locis, ergo & naturaliter acquirere poterit duplicem ubicationem, quidni enim in utroque loco naturaliter moveri possit? ex. g. si idem lapis statuatur in diversis locis super trabem, & in utroque simul auferatur trabs, tunc lapis in utroque loco cadet, cùm ablatum sit impedimentum, & non sit major ratio, cur in uno loco cadat, quàm in altero. Huic argumento præcipuè insistit Vasq. 3. p. d. 189. c. 9. n. 47. quod tamen adeò leve videtur Patri Hurt. d. 14. Phy. s. 5. n. 54. ut dicat, mirari se tam robustum militem tam imbecilla tela torquere. Hoc tamen telum non esse ita leve constat ex septem solutionibus, quibus quasi septemplici clypeo illi obsisti solet: ex ijs aliquas referemus.

V. *Possitne res in duobus locis moveri in utroque.*

Respondet ergo P. Hurt. citatus, & alij, lapidem illum neutro in loco motum iri naturaliter, quia non est capax, inquit, duarum ubicationum simul naturaliter. Contrà primò, Ergo Christus jam in cœlo, positâ miraculosâ ejus existentiâ in Eucharistiâ, non poterit naturaliter se movere, nec loqui. Contrà secundò, ex eo quòd ponatur in duobus locis, & conferatur ei alia ubicatio supernaturaliter, nihil minuitur de virtute ejus naturali, ergo in altero saltem loco caderet, & acquireret novam ubicationem naturaliter. Sicut licèt elevetur intellectus Angeli ad supernaturaliter videndum Deum, non propterea tollitur virtus ejus ad eliciendum simul actum naturalem cognitionis Dei. Dices; hæ duæ ubicationes sunt oppositæ. Contrà primò, quo genere oppositionis? certè nec sunt contradictoriæ, nec sicut calor & frigus: relativa autem oppositio, si in ijs reperiretur, nihil obstaret simultati motuum. Contrà secundò, esto sint oppositæ, at non pugnarent in diversis locis, sicut nec calor & frigus, sed ut pugnent, debent esse circa idem subjectum in quantum idem, seu in ijsdem circumstantijs loci & temporis, ut dicetur sec. sequente.

VI. *Dicunt alij quod lapidem illum in aëre pensilem in neutro loco movendum.*

Respondet secundò Arriaga d. 14. Phy. s. 8, n. 129. lapidem illum in uno tantùm loco movendum, eo nimirum ubi Deus lapidem conservat naturaliter. Contrà primò, si fermo sit de ubicationibus quoad substantiam, utraque est naturalis, si de ijs quoad modum, utraque est supernaturalis, & lapidi in his circumstantiis indebita, tam enim conservatio primæ est quoad modum supernaturalis, ob productionem secundæ, quàm productio secundæ, ob conservationem primæ, ut latè ostendi in simili suprà d. 11. s. 6. de duabus formis simul in eâdem parte materiæ conservatis: ergo lapis ille, vel in utroque loco movebitur naturaliter, vel in neutro.

VII. *Dicunt alij lapidem illum in uno tantùm loco movendum.*

Ad argumentum itaque resp. lapidem in utroque loco naturaliter casurum: res enim in duobus locis discretis constituta est virtualiter duplex, sicut in diversis temporibus. Quæ clariùs constabunt ex sec. sequente.

VIII. *Lapis ille movebitur naturaliter in utroque loco.*

SECTIO V.

Vtrùm res in duobus locis constituta plus possit naturaliter, quàm quando erat in uno.

I. *Prima sententia est negativa.*

NEgat Moncæus d. 10. c. 9. Hurt. d. 14. Phy. s. 5. n. 64. & 65. Arriaga d. 14. Phy. s. 9. n. 134. & s. 10. 156. Oviedo Cont. 15. Phy. p. 10. n. 6. & alij nonnulli: quam etiam sententiam tenere videtur Cardin. de Lugo d. 5. de Euchar. s. 2. n. 50. & 51.

II. *Explicatur hæc sententia.*

Asserunt ergo hi auctores corpus aliquod Leodij constitutum, & Londini ex. g. non posse calorem ut octo in uno loco habere, & trigus ut octo in alio, & sic de cæteris, sed eos tantùm gradus caloris & frigoris, qui naturalem ejus virtutem exæquent, ut si Leodij habeat sex gradus caloris, Londini habere solùm potest duos vel caloris vel frigoris, & universim in utroque loco simul habere tantùm potest octo gradus.

III. *Secunda, & vera sententia est affirmativa.*

Secunda sententia, quæ mihi semper visa est multò probabilior, affirmat rem in duplici loco discreto constitutam, posito hoc miraculo, bis tantum posse naturaliter, ac poterat in uno, & æquivalere duabus ejusdem virtutis. Unde, lapis Leodij constitutus & Londini, poterit hîc naturaliter habere septem vel octo gradus caloris, & Londini totidem frigoris. Petrus fortis ut sex hîc constitutus & Romæ, potest hîc levare pondus ut sex, & eodem tempore Romæ levare simpliciter pondus ut sex, & sic de aliis effectibus naturalibus.

IV. *Quid hæc dicat Ioannes Major.*

Hanc conclusionem tenet Jo. Major in 4. d. 10. q. 4. ubi ad 4. sic habet, *Concedo*, inquit, *quòd Thersites tantum pondus portare potest in pluribus locis, quantum Aiax in paucioribus: & quòd gutta aquæ multoties replicata localiter ferre posit mille naves, quibus Græci ad Troiam applicuerunt: & quòd unus panis potest sufficere exercitui Xerxis, vel Darij, per positionem in pluribus locis*, &c. hæc ille. Idem tenet Okam in 4 q. 4. dub. 6. Hugo de S. Victore l. 2. de Sacram. p. 8. c. 3. Coninck de sacram. q. 75. a. 4. d. 3. & Suarez 3. p. To. 3. d. 48. s. 6. quoad actiones transeuntes, & alij

V. *Res in duobus locis est virtualiter duplex.*

Ratio à priori est, quia res in duobus locis discretis constituta, est virtualiter duplex, & à se independens, sicut quando existit in diversis temporibus. Unde, sicut aqua potest hodie esse intensè frigida, & cras intensè calida propter solam varietatem temporis, licèt eadem perstet aquæ entitas, ita & hæc eadem in duobus locis posita, susscipere potest contraria propter varietatem loci. Cùm ergo omnes fateantur diversam circumstantiam temporis reddere rem virtualiter duplicem, reddet etiam eam virtualiter duplicem circumstantia loci.

VI. *Refellitur disparitas assignata inter locum, & tempus.*

Dices primò cum P. Arriaga d. 14. s. 9. n. 137. disparitatem quoad hos effectus esse inter ubicationes & durationes, quòd durationes illæ non sint simul, sicque nil mirum quòd unus homo diversis temporibus æquivaleat duobus. Sed contrà: hoc eodem argumento contendo ego hominem in duobus locis æquivalere duobus, quia loca illa non sunt simul, simultas enim simpliciter dicit non solùm existentiam in eodem tempore, sed etiam in eodem loco, seu coëxistentiam omnimodam. Unde, hæc solutio probat potiùs nostram sententiam.

VII.

Dices secundò; duæ ubicationes nil addunt virium rei in duobus locis constitutæ, ergo non plus in duobus locis poterit, quàm in uno. Retorqueo argumentum, duæ durationes nihil addunt virium rei in diversis temporibus constitutæ, ergo non plus in duobus temporibus poterit, quàm in uno, quæ consequentia est apertè falsa, ut constat. Dico itaque virtutem rei activam aut passivam in duobus locis existentes non esse quidem auctam intensivè, sicut enim Petrus est solùm fortis ut sex Leodij, ita similiter est solùm fortis ut sex Romæ, augetur tamen ejus virtus extensivè, id est, per novam ubicationem extenditur eadem virtus ad novum locum, sicut per novam durationem ad novum tempus. *Quomodo augeatur virtus rei in duobus locis.* *Augetur extensivè, non intensivè.*

VIII. *Duæ actiones totales non multiplicant rei virtutem.*

Dices tertiò; si res in eodem loco conservaretur duabus actionibus totalibus, non plus posset quàm si conservaretur tantùm unâ, ergo nec si conservaretur duabus hujusmodi actionibus in diverso loco. Contrà primò, si conservaretur res duabus actionibus totalibus in eodem tempore, non plus posset quàm si conservaretur tantùm unâ, ergo nec si conservaretur in duobus temporibus: nulla consequentia.

IX. *Duæ ubicationes, aut durationes homogeneæ nihil faciunt.*

Dices quartò, si res aliqua habeat duas ubicationes homogeneas, seu in eodem loco, non plus poterit quàm si habeat tantùm unicam, ergo duæ ubicationes nihil ad hunc effectum conferunt. Contrà, idem argumentum fieri posset de re conservatâ duabus durationibus homogeneis, seu respectu ejusdem temporis, ut constat. Sicut ergo in ordine ad hujusmodi effectum diversa ratio est de durationibus homogeneis & heterogeneis, ita & de ubicationibus, ob rationes assignatas n. 4. & 6.

X. *Duæ ubicationes heterogeneæ multiplicant vim activam, & passivam.*

Dices quintò; calor, frigus, & reliqua accidentia, & formæ substantiales non respiciunt subjecta ut hanc vel illam ubicationem habentia, cùm nec partialiter recipiantur in ubicatione, sed respiciunt subjecta secundùm se. Contrà, manifestum est in omni sententiâ ubicationes ad hujusmodi effectus aliquo modo conducere, nam contrariæ sententiæ auctores asserunt, assensum & dissensum, amorem & odium ejusdem objecti posse divinitùs eidem animæ, vel Angelo in diverso loco inesse, negant iis posse divinitus inesse in eodem, ergo ubicationes hîc aliquid conferunt tanquam conditiones ad hæc necessariæ, licèt qualitates istæ in ubicationibus non recipiantur. Eodem ergo modo conducere poterunt duæ ubicationes ad hos effectus naturaliter habendos, cum per eas res in duobus locis constituta redditur virtualiter duplex, & à se planè indèpendens, sicut contingit rei in duobus temporibus: ut totâ hac sectione ostensum est.

XI. *Locus inadæquatus multiplicat rei virtutem ergo à fortiori adæquatus.*

Secundò probatur conclusio: Res in diverso loco inadæquato existens recipere naturaliter potest denominationes oppositas, ergo à fortiori existens in duplici loco adæquato, ac discontinuo. Consequentia probatur, res enim in diverso loco adæquato existens, multò minorem secum habet connexionem, multoque magis est à se independens, quàm quando est in diverso solùm loco inadæquato. Antecedens ergo probatur, anima in corpore existens movetur in manu, dum interim frequenter non omninò movetur in pede: in manu dextrâ attollitur, & simul deprimitur in sinistrâ: actus intellectûs est in animâ in capite, non in manu, & sic de aliis: ergo locus inadæquatus sufficit ad effectus formales maximè oppositos, multò ergo magis ad hæc sufficit diversus locus adæquatus.

XII.

Dices; ergo poterit Angelus in hac scholâ ex. g. existens, habere in angulo orientali assensum, in occidentali dissensum, hîc amorem, ibi odium ejusdem objecti, nulla enim secundùm nos esset contradictio. Contrà, hoc argumentum ab omnibus solvi deberet, cùm omnes fateantur animam in manu moveri, non in pede, & alia numero præcedente posita.

XIII.

Resp. itaque negando sequelam, non ratione contradictoriorum, quæ, quamvis hoc contingere,

Angelus non potest in unâ parte loci inadæquati habere assensum in aliâ dissensum.

nulla essent, sed ob alia incommoda quæ inde sequerentur: sic enim posset Angelus velle pugnantia in diversis locis inadæquatis, ut si in hoc angulo haberet voluntatem movendi se adæquatè versus orientem, in illo versus occidentem, hic petendi cœlum, ibi centrum terræ, & similia: sicque Angelus ex vi harum voluntatum conaretur ad oppositа, & pugnaret secum. Hæc ergo cùm sint inconvenientia, & per se appareant indigna perfectione Angelicâ, non videtur vis ei ad hæc à naturâ tributa. Deinde, cùm ibi existat Angelus per modum unius, operari etiam debet per modum unius. Angelus autem in diversis locis discretis existens, cùm nullam habeat connexionem in uno loco secum ut in alio, hæc omnia potest sine incommodo. De quo plura dixi in materiâ de Angelis.

SECTIO VI.

Inferuntur quædam circa existentiam rei in duobus locis discretis.

I. *Homo idem in uno loco potest mereri, in alio peccare.*

HInc infero primò, rem aliquam, hominem ex. g. in duobus locis adæquatis existentem, posse in utroque naturaliter moveri: in uno esse intensè calidum, in alio intensè frigidum: in uno habere naturaliter assensum, in alio dissensum: in uno amorem, in alio odium ejusdem objecti: in uno mereri, & esse in gratiâ, in alio peccare: in uno salvari in alio damnari, & similia.

II. *Dices hinc sequi posse Angelum in eodem loco esse simul naturaliter in gratiâ, & peccato.*

Dices; hinc sequi, posse Angelum aut animam separatam habere simul naturaliter assensum & dissensum, esse in gratiâ & peccato in eodem loco adæquato. Sequela probatur, ponamus Angelum in angulo orientali gymnasij ex. g. in palmo constitutum, peccare, & eundem in angulo occidentali in palmo similiter existentem, esse in gratiâ: poterit hic Angelus naturaliter moveri se rectâ lineâ ab uno angulo gymnasij ad alterum, ergo ubi ad palmum in medio gymnasio pervenerit, penetrabitur secum, ergo in eodem loco erit simul in gratia, & peccato.

III. *Retorquetur argumentum.*

Contrà, hæc difficultas communis est omnibus, qui dicunt Angelum in duobus locis posse divinitùs habere assensum & dissensum, esse in gratiâ & peccato in diversis locis discretis: saltem enim potest Deus Angelum illum lineâ rectâ versus utrumque angulum movere, ergo in palmo illo medio erit simul in gratiâ & peccato. Imò in opinione dicente posse Angelum in altero loco vi suâ moveri, hoc fieri posset naturaliter, cùm ad se accedere naturaliter posset.

IV. *Angelus in eo casu non posset secum penetrari.*

Resp. itaque primò, in hujusmodi casu debere connaturaliter Deum impedire quò minùs Angelus secum penetraretur. Secundò dico, licèt Angelus in eo casu possit proximè ad se accedere, non tamen posse secum penetrari, quia hæ formæ impedirent. Sicut si eadem anima esset simul in duobus locis discretis in duobus corporibus, quamvis ad se proximè accedere posset, non tamen secum penetrari, quia corpora obstarent: qua de causâ de facto anima in manu dextrâ non potest secum in sinistrâ ejusdem hominis penetrari. Quod hîc facit moles corporea, ibi facit formalis vel virtualis contradictio, quæ in assensu & dissensu, amore & odio, peccato & gratiâ, & hujusmodi aliis reperitur, ob quam sibi in eodem subjecto eodem loco constituto repugnant.

V. *Non requiritur ad hoc, ut res denuò producatur.*

Infero secundò, perinde esse quoad hos effectus, sive res in duobus locis ponatur per novam productionem, sive per adductionem, actio enim productiva nihil addit virium rei productæ, alioqui quò res perfectiori actione producitur, eò majorem haberet virtutem productivam. Actio ergo nihil ad hos effectus confert, unde si per impossibile res esset à se, tantam haberet virtutem activam, ac modò.

VI. *Homo in duobus locis sibi occurrens, non posset secum penetrari.*

Quæres primò, utrùm si Petrus in duobus locis constitutus, sibi obvius fieret, secum penetraretur, vel an sibi obsisteret? videri non nemini posset fore, ut secum in eo casu penetretur, idem enim corpus non minùs sibi est pervium, quàm in eadem anima, quæ, si in duobus locis constitueretur, posset sine dubio secum penetrari, nisi esset peculiare aliquod impedimentum, quale posuimus numero quarto. Omnino tamen dicendum, Petrum in eo casu non secum penetrandum. Ratio est manifesta, nec enim ita sibi occurrere potest, quin diversæ semper corporis partes sibi applicentur, ut dextra sinistræ, dorsum pectori, aut aliquid hujusmodi.

VII.

Quæres secundò, possitne homo quispiam Romæ constitutus, & Leodij, hic vivere, illic mori? Magna est hîc lis de nomine, certum enim est posse animam Romæ à corpore deuniri, & remanere adhuc unitam Leodij.

VIII. *Homo in duobus locis constitutus, in uno posset vivere in alio mori.*

Probabilior mihi in hoc casu videtur pars affirmativa. Probatur, certum est enim victurum adhuc hominem illum Leodij, cùm videret, audiret, loqueretur, & reliquas vitæ functiones exercet. Quòd etiam Romæ foret mortuus, ostenditur; verè enim anima illius Romæ separaretur à corpore, quæ est definitio mortis. Deinde, corpus illud putresceret, & in vermes ac saniem difflueret, non minùs quàm alia corpora corruptibilia. Conf. ex Trid. sess. 13. ca. 3. ubi animam Christi comitari corpus ejus in Eucharistiâ asserit, quia Christus à mortuis resurrexit, non amplius moriturus: Ergo censet Concilium, si, dum Christus jam vivit in cœlo, corpus ejus esset in Eucharistiâ sine animâ, corpus illud fore mortuum, ergo secundùm mentem Concilij potest idem corpus esse vivum in uno loco, & mortuum in alio.

IX. *Dici potest corpus illud mortuum, non tamen non vivum.*

Licèt autem in hoc casu dici verè possit corpus illud esse mortuum, dici tamen absolutè non potest non esse vivum, hoc enim perinde sonat ac animam nullibi esse ei unitam, cùm particula *non* sit *malignantis naturæ*. Sicut de Christo verum est dicere, *fuit mortuus*, non tamen *non fuit vivus*, particula enim *non* indefinitè prolata omne tempus ambit, & omnem locum.

SECTIO VII.

Quæ accidentia corpus in duobus locis constitutum connaturaliter comitentur.

I. *Sermo est de accidentibus à loco absolutis.*

QUæstio procedit de accidentibus à loco absolutis, accidentia enim certo loco affixa, qualia sunt ubicatio rei, & actio ubicationis productiva, una quia ubicatio affigitur rei, cùm secundùm nos ubicatio non sit modus, & alia hujusmodi, certum est unà cùm re in alium locum non transferri: sicut dum Petrus successivè locum mutat, accidentia hæc localia cum eo non moventur.

II. *Duplex hîc difficultas.*

Quoad accidentia ergo à loco absoluta difficultas est, tùm de iis quæ corpori insunt quando primò in alio loco replicatur, tùm de alijs quæ corpus jam replicatum variis locis decursu temporis acquirit.

III. *Corpus aliò translatum non necessariò fert secum sua accidentia.*

Dico primò: quando corpus aliquod Leodij ex. g. existens replicatur, & simul collocatur Romæ, non necessariò cum eo transferuntur calor, color, & alia accidentia absoluta, quæ ipsi inerant Leodij: ita Sotus in 4. d. 10. q. 10. a. 5. Suar. To. 3. in 3. p. d. 48.

s. 5. Cardin. Lugo d. 5. de Euchar. s. n. 35. Hurt. d. 14. Phy. s. 5. n. 68. Arriaga d. 14 Phy. s. 10. n. 14. Oviedo Cont. 15. Phy. p. 10. n. 14. & alij contra Scotum in 4. d. 10. n. 14. Fabrum ibid. 37. c. 4. Vasq. 3. p. d. 189. c. 4. & alios.

IV. *Ex nullo capite ostenditur ea necessitas.*

Ratio est primò, quia cùm non eadem sit necessariò ubicatio rei & accidentium, ut suprà ostendi d. præcedente, s. 5. n. 6. poterit Petrus transferri Romã, relictis accidentibus Leodij. Secundò & præcipuè, quia nulla in contrarium urgens ratio afferri potest, ergo non est hoc divinæ potentiæ denegandum.

V.

Nec vim ullam habet cui tantoperè insistit Vasquez, inde scilicet sequi contradictoria, cùm accidentia absoluta à loco prædicentur de subjectis simpliciter, & non cum restrictione, & limitatione ad certum aliquem locum in particulari: hoc, inquam, non obstat, si enim ferrum Romæ esset calidum, & frigidum Leodij, posset verè de eo utrobique affirmari, absolutè esse frigidum, non tamen esse frigidum utrobique. Unde, siquis videns ferrum illud Romæ, ubi est calidum, dicat, hoc ferrum est frigidum, verum dicit, cùm revera sit frigidum: licèt enim ipse Romæ affirmet esse illud frigidum, objectum tamen propositionis illius non ingreditur locus, ita ut dicat, est frigidum Romæ, tunc enim propositio esset falsa, sed solùm affirmat de eo frigus abstrahendo à loco, sicque nihil affirmat quod non sit verum. Multò minùs qui dicit, hoc ferrum est frigidum, dicit, est frigidum ubicunque est, si enim abstrahit ab omni loco, ut vult Vasquez, quo pacto ait esse frigidum in duobus locis? Licèt autem dici absolutè possit, *ferrum est frigidum*, non tamen, *non est calidum*, ob rationem in fine sec. præcedentis allatam.

Aliud est Romæ affirmare ferrum esse frigidum, aliud esse frigidum Romæ.

VI.

Dices; accidentia isthæc abstrahunt à loco, ergo locus has propositiones non ingreditur, sicque sunt contradictoriæ, ergo duæ contradictoriæ erunt simul veræ. Admissis reliquis, nego hanc ultimam consequentiam, semper enim esset falsum dicere, ferrum illud non est calidum, ut ostensum est.

VII. *Congruum tamen est accidentia absoluta simul cum corpore transferri.*

Dico secundò: congruum videtur, ut omnes propemodum affectiones rei & accidentia, sive naturalia, sive supernaturalia ponantur in loco quò res transfertur, simul cum re illa cujus sunt affectiones, quia jam sunt facta illius, & illa quasi possidet, & per unionem jus ad illa acquisivit; congruum autem est ut omnia sua secum portet. Qua de causâ ex Concilio Trid. sess. 13. c. 3. docent Theologi in sacrosanctâ Eucharistiâ poni per concomitantiam animam, & Divinitatem Christi, licèt corpus tantùm, & sanguis ibi ponantur ex vi verborum.

VIII. *Accidentia, quæ res postquam est in duobus locis acquirit, non transferuntur.*

Dico tertiò: si corpus, postquam est in duobus locis replicatum, alteretur, calefiat scilicet, aut frigefiat Leodij, non calefiet aut frigefiet connaturaliter Romæ. Est contra Oviedo citatum p. 10. n. 19. & alios nonnullos ex auctoribus citatis n. 3. Ratio assertionis est, quia res in duobus locis constituta, est virtualiter duplex, ut ostensum est s. 5. & 6. ergo eodem modo se habebit quoad affectiones omnes, & accidentia de novo advenientia, ac si esset realiter duæ res, & secum non identificatæ. Conf. si ignis existens Leodij, & illic ferrum calefaciens, calorem etiam produceret in ferro Romæ, ageret in distans, quod, naturaliter saltem, fieri nequit, ut ostendam disp. sequente.

SECTIO VIII.

An res in duobus locis existens, utrobique habere debeat actionem sui conservativam.

I. *Opinio asserens rem conservari uno loco posse sine actione.*

NEgat P. Oviedo cont. 15. Phy. p 10. n. 11. Unde ait, si Petrus ex. g. existens Matriti in instante A cum actione sui conservativâ, transferatur Londinum in instante B, adhuc remanens Matriti posse eum existere Londini, licèt actio ejus conservativa maneat tantùm Matriti, nec unà cum Petro Londinum transferatur, aut ulla alia actio Petri conservativa Londini ejus loco substituatur.

II. *Refellitur quia conservatio est denominatio intrinseca.*

Hunc tamen philosophandi modum probare nullâ ratione possum. Contrà ergo est primò, productio, conservatio, & siqua sint hujusmodi alia, sunt denominationes terminis intrinsecæ, ergo effectum suum formalem tribuere ibi non possunt, ubi non existunt: licèt enim causa efficiens secundùm quosdam agere in distans possit, saltem supernaturaliter, id tamen in causâ formali est inintelligibile, cùm effectum suum formalem per intimam sui unionem, seu informationem tribuat: cùm ergo actio conservativa Petri non sit Londini, denominare Petrum Londini conservatum non potest.

Causa formalis non agit in distans.

III.

Contrà secundò, non potest albedo aut calor Romæ existens denominare lac album aut calidum Leodij, nisi cum eo albedo & calor illuc transferantur, ut videtur manifestum, ergo nec actio Romæ existens denominare potest lac conservatum Leodij, cùm non minùs, imò magis requirat actio unionem cum termino, ut effectum illi formalem tribuat, quàm albedo aut calor: actio enim, utpote modus, per se immediatè petit afficere subjectum, albedo autem & calor tantùm mediatè, & per unionem distinctam.

Calor Romæ non potest denominare ferrum calidum Leodij.

IV. *Sequeretur corpus alicubi vivere sine unione animæ ad corpus.*

Contrà tertiò, si dum Petrus Leodij existeret & Matriti, anima ejus hìc Leodij à corpore separaretur, Deo adhuc eam unitam conservante Matriti, sequeretur, animam ejus esse adhuc hìc unitam ejus corpori, si enim actio effectum suum formalem & denominationem intrinsecam tribuere potest in loco distante, quidni idem præstare poterit unio? sicque in hoc casu Petrus adhuc verè diceretur vivere Leodij per unionem Matriti existentem, sicut in alio casu diceretur conservari Londini per actionem existentem Romæ.

V. *Ignis Romæ potuit producere calorem Matriti.*

Dices primò cum P. Oviedo citato: (& est fundamentum hujus opinionis) si calor productus Romæ ab igne A transferretur Matritum, igne illo non translato, sed manente tantùm Romæ, posset adhuc actio illa persistere Matriti, licèt tot milliaribus sit à suo principio, seu igne remotum, & ignem illum Romæ denominare conservantem calorem Matriti, ergo si calor solus sine actione ejus conservativa Matritum transferretur, actione manente Romæ, & ibi calorem conservante, posset actio hæc calorem illum denominare conservatum Matriti.

VI. *Differentia inter causam formalem, & efficientem.*

Contrà, manifesta, secundùm omnes, est disparitas inter causam efficientem, & formalem, cùm illa ex genere suo sit in operando extrinseca, & operetur ut plurimum transeunter, hoc autem essentialiter repugnat causæ formali physicæ, quæ scilicet non alio modo quàm per intimam sui exhibitionem effectum suum præbet, aliòqui, ut dixi albedo Romæ denominabit parietem album Leodij, & alia sequentur suprà illata.

VII.

Dices secundò cum eodem; munus actionis est conservare, munus autem ubicationis rem hoc vel illo

Actio rem intrinsecè efficere non potest ubi non est.

illo loco statuere, tribuendo ergo singula singulis, res per actionem conservatur, hic vel ibi per ubicationem. Contrà, licèt solius actionis munus sit rem conservare, cùm tamen actio sit causalitas intrinseca, non potest eo loco rem conservare, ubi non est, cùm nisi illic ubicetur, afficere rem intrinsecè non possit, ut per se videtur manifestum.

DISPVTATIO XXXVI.

De propinquitate causæ ad agendum.

SECTIO PRIMA.

Darinè possit actio in distans.

I. *Prima sententia est affirmativa.*

PRima sententia est affirmativa? ita Okamus in 1.d.37.q.unica. Avicenna de Anima, s.4.c.4. Alex. 1. Met.comm. 18. Gabriel, Bassolis, & Mairon. tribui etiam solet Scoto: de cujus tamen mente plura sec. sequente.

II. *Experientiæ præferentes actionem in distans.*

Præcipuè nititur hæc sententia quibusdam experientiis: primò magnus ignis producit calorem secundùm omnes suas partes in manu, vel ligno, & tamen partes remotiores nihil agunt in propinquiores, cùm simile non agat in simile, ergo partes remotæ ignis agunt in distans nihil agendo in medio. Secundò, sol producit gemmas in visceribus terræ. Tertiò, magnes trahit ferrum, & succinum paleas. Quartò, torpedo piscis stuporem quendam, & torporem incutit manui arundine & lineâ piscantis, cum tamen in arundine ipsâ & lineâ nullum hujusmodi effectum operetur, quod habetur ex Aristotele 9. de Historia Animalium c. 37. & aliis auctoribus omni acceptione majoribus. Quintò, Basiliscus, seu regulus dicitur visu occidere homines distantes.

Magnes, succinum, Torpedo.

Basiliscus.

III.

Sextò, certum est vetulas intensè, & fixis oculis parvos & pueros, etiam remotos inspicientes, eosdem fascinare: de quo licèt Delrio in suâ Magiâ dubitet, res tamen est certissima, & non solùm experientiâ, sed gravissimorum etiam virorum auctoritate firmata: id enim refert Aristoteles, Plutarchus, Magister Sententiarum, Albertus Magnus, S. Thomas 1. p.q.117.a.3.ad2. ubi ait, *sic igitur, cùm anima aliqua fuerit vehementer commota ad malitiam, sicut maximè in vetulabus contingit, efficitur aspectus ejus venenosus, & nocivus, maximè pueris, qui habent corpus tenerum, & facilè receptivum impressionis.* Hæc ille. Cui auctoritati tantorum virorum consonat illud Poëtæ, *Nescio quis teneros oculos mihi fascinat agnos.* Hoc verò fit ejaculando quoddam virus ex oculis rectè in oculos alterius, qui cùm sint tenerrima pars corporis, facilè venenum admittunt, & inficiuntur.

Vetulæ pueros fixis oculis intuentes, veneno eos inficiunt.

Fit hoc ejaculando virus.

IV. *Fundum lebetis temperatum, aquâ ebulliente.*

Aliæ etiam adducuntur experientiæ, ut de aquâ fervente in lebete, cùm tamen fundum lebetis sit temperatum. Item si oleum fundatur in chartam concavâ, & supponatur lucerna, fervebit oleum ita ut pisces immissos, & ova coquat, charta tamen non comburetur. Galgulus avis, etiam distans humores noxios ex hominum oculis ad se attrahit, & ex ijs moritur. Item commune illud experimentum, quo Leodij & alibi utuntur metallorum indagatores, qui utrâque manu virguleum arboris nucis avellanæ tenere solent, & hac ratione per prata & montes incedere: si verò contingat transire eos per locum ubi in terræ visceribus latent metalla, præcipuè ferrum, movetur statim virga, & in terram inclinatur. Tacta etiam unâ chordâ in fidibus, sonant alia ejusdem toni in fidibus ad intervallum aliquod distantibus: & sexcenta hujusmodi.

Galgulus avis.

Modus metalla indagandi.

Chorda chordæ consonat.

V.

Ad hæc omnia respondebitur sec. sequente, ubi iterum recurret sermo de experientiis.

SECTIO II.

Præfertur sententia negans actionem in distans.

I. *Secunda sententia negat actionem in distans.*

SEcunda itaque sententia negat posse rem ullam creatam agere in distans: ita Aristoteles 7. Phy. c.2. quod fusè ibidem probat. S. Thomas ibid. lec. 2. & 3. & 1.p.q.8.art.1.corp. & ad 3. & 3. contra Gent.c.68. Cajet. ibid. Durand. in 1.d.18.q.1. Suarez d.18.Met.s.8.n.16. Molina 1.p.q.8. a.1.d.2. Conimb.l.7.Phy.c.2.q.1.a.2. Rubius ibid.q.1.n.9. Hurt.d.9.Phy.s.6.n.70. Arriaga d.7. Phy.s.n.48. Oviedo cont. 18. Phy.p.1.n.1. & alij. Scotus verò licèt citari plerumque soleat pro contrariâ sententiâ, videtur tamen quoad causas creatas expressè asserere non posse eas agere in distans, nam in 1. d. 37. q.un. nu.4. §. *ad argumentum* explicat Aristotelem de solâ causâ creatâ.

II. *Nullum agens naturale potest agere in distans.*

Prima conclusio: non potest agens naturale operari in distans, nisi operando aliquid in medio. Ita auctores proximè citati. Probatur primò, nam passim experimur interpositio inter agens & passum aliquo corpore actionis incapace, impediri effectum: sic terra interpositа inter solem & lunam, aut corpus aliquod opacum inter lumen & rem illuminandam impedit quo minùs luminosum in eâ lucem producat. Idem præstant lignum aut paries inter ignem & manum: tunc enim nec sol illuminat lunam, nec ignis manum calefacit; ergo signum est hæc omnia efficere aliquid in medio: alioqui quid impediret interpositio alicujus corporis, nisi solùm quòd corpus interpositum sit incapax effectûs qui in illo produci deberet?

Probatur experientiâ.

III. *Resp. ad exemplum torpedinis, & reliqua.*

Unde, in exemplo torpedinis, si manus tantillum distaret ab arundine, non rigesceret, sicut non rigescit manus alterius cujuspiam astantis piscatori: signum ergo est qualitatem quandam per lineam & arundinem trajici ad manum. Idem ad omnes illas experientias dicimus, nec ulteriore ad eas responsione est opus. Hujusmodi autem qualitatem in medio produci constat ex experientiis numero præcedente adductis. Quòd verò rigescat manus, non linea; trahatur à magnete ferrum, non aër, vel lignum interpositum, provenit ex diversâ dispositione materiæ, & naturâ qualitatis emissæ, quæ est attractiva hujus non alterius, sicut calor est liquefactivus ceræ, non luti, & sic de aliis hujusmodi.

Cur magnes trahat ferrum non lignum.

IV. *Dicunt medium resistere.*

Dices; medium illud opacum interjectum inter luminosum & rem illuminandam, resistere actioni, & sic impediri luminosum quo minùs agat ulteriùs. Contrà, non resistit medium positivè, seu aliquid efficiendo, sicut calor in subjecto resistit frigori per resistentiam positivam activam, destruendo frigus, seu vires agentis per reactionem imminuendo, sed solùm negativè, quia scilicet non est aptum in se recipere lucem, seu ut luminosum in ipso lucem producat; si autem possit aliquid agere in distans, non om-

omnino agendo per medium, hæc incapacitas medij non potest illius operationem impedire. Deinde, esto resisteret medium agenti quo minùs produceret lucem in ipso corpore opaco, seu medio, non tamen resisteret nec impediret, quo minùs agens illud produceret effectum in passo capaci distante, si possit operari in distans nil operando in medio.

Resp. solum resistere medium negativè, quia non est aptum ad recipiendum lucem.

V. *Sequitur si non agat in medio, posse causam operari physicè in quacumque distantia.*

Secundò probari hoc solet ex quadam quasi sollicitudine quam res omnes præseferre videntur, ut vitent vacuum, quod ideo abhorrent quia impediret quò minùs cæli influxus posset ad eas pertingere, quod tamen non esset necessarium si cælum agere posset in distans, nihil agendo per medium. Conf. quia non si agat in medio, potest agere in quacunque distantiâ, sicut propterea intellectus potest intelligere in quacumque distantiâ, quia non dependet in intelligendo à spatio.

VI. *Occurritur replicæ.*

Dices primò, major propinquitas est conditio ut agens melius operetur, ergo potest esse tanta distantia, ut nihil omnino possit operari. Contrà, ideo major propinquitas est conditio ad facilius operandum, quia trajicitur actio per medium, & faciliùs vincitur difficultas parvi medij quàm magni, sed si non requiratur ut trajiciatur actio per medium, non est major difficultas in magno medio, quàm in parvo.

VII. *Cur projici nequeat lapis in quamcunque distantiam.*

Quoad lapidem verò projectum (quod à nonnullis objicitur) ideo non potest projici in quamcunque distantiam, quia impetus, vel virtus motiva producit motum per totum spatium, per quod movetur lapis: major autem vis per se loquendo, requiritur ad majorem motum producendum quàm ad minorem, sive motus ille sit intensivè major, sive extensivè. At verò hic nihil fit nisi talis effectus à tali causâ, si ergo fieri possit in distantiâ sex ulnarum, quidni fieri poterit in distantiâ septem, vel octo? nec enim tunc plus produceret, quàm modò, ergo non requireret majorem virtutem, sicque in quacunque distantiâ posset operari, cùm in nullâ plus producatur, quàm effectus ille idem, qui produceretur in loco viciniore.

VIII. *Cur certa rebus præscribatur sphæra activitatis.*

Dices secundò; cuique rei certam assignari debere sphæram activitatis, extra quam agere non possit, ergo res illa, licèt agere posset intra sphæram unius milliaris ex. g. non tamen extra illam. Contrà, ideo assignantur agentibus certæ sphæræ activitatis, quia agendo per medium vires paulatim atteruntur, ac debilitantur, ita ut ulteriùs agere non possint, quia scilicet jam totam suam agendi vim insumpserunt, & planè exhausérunt virtutem. Si autem non esset necessarium ut agerent in medium, tota adhuc virtus agendi maneret integra, sicque non est cur agere non possent in quacumque distantiâ, si propinquitas non sit necessaria ad agendum.

IX. *Angelus loquens alteri nihil in eo physicè producit.*

Dices; Angeli, etiam distantes loquuntur sibi invicem, ergo ibi datur actio in distans, cùm Angelus loquens necessariò aliquid producat in eo cui loquitur. Resp. quicquid sit de modo quo sibi invicem loquuntur Angeli, de quo in materiâ de Angelis, respondetur inquam, Angelum, qui loquitur alteri distanti, nihil vel in eo physicè producere, vel in medio: sicque nihil hoc facit ad præsentem difficultatem.

X. *Agens non eundem semper effectum producit in propinquo, & remoto.*

Secunda conclusio: ut agens creatum producat aliquid in passo distante; non est necessarium, ut eumdem effectum operetur in medio, quem producit in distante; sed sufficit, quòd in medio aliquid operetur per se conducens ad illum effectum. Prob. sol namque producit metalla in viscéribus terræ, quæ tamen non producit in cælo, vel aëre. Item sol producit calorem in aëre, quem non producit in orbibus cælestibus, calor enim est qualitas corruptiva, ac proinde in cælo recipi non potest. Sic etiam ignis subinde accendit stuppam distantem non accensa aëre intermedio. Ratio autem horum est, quia licèt per se loquendo, & cæteris paribus major propinquitas passi conducat ad effectum citiùs & perfectiùs inducendum, aliunde tamen compensari potest hic excessus, per peculiarem scilicet dispositionem passi distantis, quæ non reperitur in propinquo, ut contingit in exemplis jam adductis.

XI. *Nihil mediare debet, quod non sit vel agens, vel passum.*

Deinde simultas agentis & passi non requiritur quoad omnes partes agentis, sed quoad aliquas tantùm, ut constat in magno igne secundùm omnes partes producente calorem in aëre proximo, & tamen omnes partes non sunt illi aëri proximæ. Sufficit ergo si nihil mediet quod non sit vel agens vel passum: licèt namque partes remotiores ignis non sint immediatæ passo, faciunt tamen unum agens cum partibus proximis sicque agens est immediatum passo. Quod eodem modo dicendum est ex parte effectûs.

SECTIO III

Objectiones contendentes dari actionem in distans.

I. *Apostolus hoc loco probare intendit præsentiam intentionalem Dei, non physicam.*

OBjicies primò illud Actorum 17. v. 28. *Deus non longè abest ab unoquoque nostrûm, in ipso vivimus, & movemur, & sumus:* ubi S. Paulus ex operatione Dei in nobis probat ejus præsentiam. Resp. cum P. Vasq. 1. p. d. 28. c. 4. n. 14. solùm intendere eo loco Apostolum probare præsentiam intentionalem Dei, non præsentiam physicam, seu immensitatem, & arguere Athenienses cæcitatis, quòd cùm Deum esse, & unum esse cognoscere ubique possint ex ejus effectibus quos ubique videbant, imò secum circumferebant, illum tamen ignorarent. Non longè ergo abest à nostra cognitione, cum ex effectibus reddatur quasi palpabilis ejus cognitio, ita ut facilè ex rebus quas palpamus, possimus cognoscere unum motorem & illarum effectorem.

II. *Si de physicâ Dei præsentiâ loquetur Apostolus, minimum probaret.*

Hæc ergo est argumentatio S. Pauli: *in Deo vivimus, & movemur, & sumus*, ergo non longè abest ab unoquoque nostrûm illius notitia, vel non est difficile ipsum cognoscere, cùm ex effectibus quos oculis intuemur, & palpamus, facilè eum cognoscere possimus, effectus enim manu quasi ducunt in cognitionem causæ. Hic ergo non immensitatem Dei, sed unitatem intendit probare S. Paulus, eamque ostendere Athenienfibus. Imò alioqui argumentum ni mium probaret; probaret enim ad operationem requiri penetrationem, & intimam præsentiam cum passo, cùm Deus sit nobis intimè præsens, & nos illi, hoc autem non est necessarium ad operationem agentis in passum, ut est manifestum in agentibus omnibus creatis operantibus per actionem transeuntem.

III. *Explicatur locus adductus ex regio Propheta.*

Objicies secundò, illud Psal. 138. v. 7. *si ascendero in cælum, tu illic es. si descendero in infernum, ades,* &c. *etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Resp. per manum hic non intelligi physicam Dei potentiam, & operationem, sed intentionalem, seu Dei providentiam, per quam curam omnium gerit Deus ubicunque fuerint, ut explicant locum illum S. Hieronym. & S. Chrysostomus, & post eos Genebrardus, & Card. Bellarminus. Unde totus ille Psalmus est de cognitione & providentiâ Dei, incipit enim, *Domine probasti me, & cognovisti me, tu cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam, intelligisti cogitationes meas de longè:* & alia quæ illi chabentur.

IV.

Objicies tertiò: quando à calore in igne existen-

te

te calefit stupa uno vel altero digito ab igne remota, intra sphæram tamen activitatis ignis, & ubi fuerit disposita, introducitur in eam ab igne illo forma ignis, tunc ignis agit in distans, nihil agendo per medium, nam calor illi in stupâ non producitur ab igne, sed à solo calore, ergo ignis in hoc casu omnino agit in distans. Resp. hoc argumento urgeri illos qui asserunt substantiam solam producere aliam substantiam, accidentia verò in medio, & in passo ad eam omnino non concurrere.

V. *Ignis accendens stupam aliquantulùm remotam non agit in distans.* In nostrâ autem sententiâ, qui asserimus accidentia, tam quæ sunt in medio & passo, quàm quæ in agente, concurrere cum substantiâ ad productionem illius effectûs substantialis, & cum iis constituere unum agens totale, nulla videtur difficultas: nec enim est necessarium secundùm ullam sententiam, ut agens totale secundùm totum, seu omnes partes suas conjungatur cum effectu, ut patet in partibus remotioribus ignis & solis, sed solùm ut conjungatur secundùm aliquid sui, nempe secundùm accidentia.

VI. *Ebulliente aquâ fundum lebetis manet moderatè calidum.* Objicies quartò: aquâ supra ignem ebulliente, fundum lebetis remanet frigidum, ergo ignis calorem producit in distans. P. Arriaga d.7. Phy. sect.6. num.53. ait se occasione hujus argumenti rem hanc semel fuisse expertum, & fundum lebetis sensisse intensè calidum. P. Oviedo è contrà, Cont.18. Phy.p. 1.n.8. testatur se expertum esse contrarium, & dum lebes aquâ fervente plenus subitò ab igne amoveretur, lebetis latera præ vehemente calore à nemine tangi potuisse, fundum autem, quod igni erat proximum, moderatum tantùm calorem habuisse, ita ut ab omnibus commodè tangi posset. Cui credemus?

VII. *Respondetur ad praxim experientiæ.* Quidquid ergo sit de horum experimento, ad argumentum Resp. ignem in lateribus lebetis ingentem calorem producere, & per illa calefacere aquam. Cur autem fundum lebetis ab igne applicato non calefit, ab omnibus independenter ab hac quæstione solvi debet. Dico itaque, rarefactâ per calorem aquâ, tenuiores ejus partes ascendere, crassioribus semper ad fundum subsidentibus, sicque (frigidiores cùm sint) intensi caloris in fundo productionem impedire.

VIII. *Non requiritur effectus continuus, sed contiguus.* Notandum tamen, non esse semper opus, ut vel actio, vel effectus per totum medium continuetur, continuatione propriè dictâ, sed sufficit esse plures effectus, & actiones contiguas sibi localiter succedentes, & hoc solo sensu continuas, prout scilicet continuum sonat idem atque continuatum, seu ut partes actiones, & effectûs per spatium aliquod non sint ita interruptæ, ut nihil effectûs, vel actionis in illo spatio existat, sed quasi per saltum trajiciatur actio: nec enim actio quâ sol producit gemmas, & metalla, est eadem continua actio cum eâ, quâ producit accidentia in medio, ut constat.

IX. *Unde producatur major lux in remotu, quàm in propinquo.* Notandum secundò contra nonnullos, qui quando intentior lux, vel calor in remoto producitur, quàm in propinquo, volunt ea produci à substantiâ solis, vel ignis: notandum inquam, hoc non esse necessarium, sed intensior lux, & calor produci possunt à calore & luce in sole, vel igne existentibus, ob meliorem scilicet dispositionē subjecti in remoto, quàm propinquo, sicut ipsi affirmant de substantiâ solis, & ignis.

X. Dices; non solum in pariete, vel speculo, quæ sunt meliùs disposita, & aptiora ad recipiendam lucem, producitur intensior lux, & calor, sed etiam in aëre illis proximo, qui tamen non est meliùs dispositus, quàm aliæ partes aëris, quæ sunt viciniores agenti. Contrà, eadem est difficultas de substantiâ ignis, & solis, cur intensiorem calorem, & lucem producant in partibus aëris remotioribus, quàm propinquis. Dico itaque, intensiorem illam lucem & calorem in aëre produci posse à calore illo, & luce intensiore, quæ est in pariete, & speculo, & in hoc consistit ratio reflexionis, quòd nimirum passum recipiens lucem ab agente, producat intensiorem lucem in partibus medij sibi proximis versus agens, & hoc modo illam quasi reflectit versus principium, à quo lucem recepit, non quòd eamdem numero reflectat, quam recepit, sed aliam similem pauloque minùs intensam. Si autem sit major lux, vel calor in illo medio, quàm in corpore reflectente, tunc recurri potest ad ignem, vel solem.

Major lux, & calor per reflexionem.

Quid si sit major lux in medio, quàm in corpore reflectente.

SECTIO IV.

An divinitùs dari possit actio in distans.

I. QUæres an saltem supernaturaliter dari possit actio in distans? Negat P. Molina 1.p.q.8.a. 1.d.2. Rubius l.7. Phy.q.2.c.2.& alij.

II. *Divinitùs potest dari actio in distans.* Contraria tamen sententia est probabilior: ita Tanner. 1.p.d.2.q.4.d.3.n.6. Oviedo Cont. 18. Phy.p.3. n.2. & alij. Ratio est, quia licèt naturaliter dari nequeat actio in distans, sicut nec duo corpora quantitativa inter se penetrari, aut idem corpus in duobus locis statui: sicut tamen hæc duo postrema fieri possunt virtute divinâ, ita & primum. Utrùm autem ex operatione Dei certò concludatur ejus immensitas, disputandum relinquo Theologis 1. p. q. 8.

III. *Causa intrinseca ut operetur hîc, debet esse hîc, non extrinseca.* Dices; ut res operetur hîc, debet esse hîc, ergo non potest quidquam illic agere, ubi non est. Existimo hoc argumentum convincere causam intrinsecam nullibi operari posse, ubi non est, cùm operatio ipsius aliud nihil sit quàm ejus entitas unita subjecto: ex quo fundamento d. præcedente s. 8. intuli contra P. Oviedo non posse effectum aliquem aliò transferri sine actione illius conservativâ, nec magis posse actionem Romæ taatùm existentem conservare Petrum Leodij, quàm albedinem tantùm Leodij existenten reddere parietem album Romæ. In agentibus verò extrinsecis nullam habet difficultatem, actio enim non necessariò localiter conjungitur cum principio transeunter operante.

IV. *Dices; ut ignis operetur hîc, debet actio ab illo profluere hîc.* Urgebis; ut ignis operetur hîc, debet actio ab illâ profluere hîc, hoc autem fieri nequit, nisi ignis sit hîc. Contrà, hoc nimium probaret; hinc enim sequeretur, ignem producentem debere esse in eodem loco cum igne producto, cùm ibi operetur. Dices; sufficit si sit in proximo. Contrà, ergo hæc argumentatio, non valet, si ignis operetur hîc, debet ab illo actio profluere hîc, vel si ignis dici possit operari in spatio B, licèt existat in spatio A, ergo dici similiter poterit operari in spatio B, licèt existat in spatio D, aut alio remotiore, ut benè advertit P. Arriaga, d.7. Phy.s.6. n.65.

Retorquetur, & solvitur argumentum.

V. *Differentia inter tempus, & locū, quoad operationes.* Dices secundò; ut ignis operetur nunc, debet esse nunc, ergo ut operetur hîc, debet esse hîc. Contrà, hoc enim, ut proximè dixi, probaret debere ignem esse in eodem loco cum igne producto, cùm necessariò debeat esse in eodem tempore. Deinde, dico latam quoad hoc esse differentiam inter locum & tempus, si enim res non sit in hoc tempore, non habet omnino existentiam, sed tunc non est simpliciter: at verò si non sit in hoc loco, non infertur eam non esse simpliciter, nam potest esse in alio. Cujus ratio ulterior est, quia non est nisi unum instans temporis simul, at verò possunt simul seu eodem tempore existere plura loca.

SECTIO

SECTIO V.

Vtrùm ubicatio in agente requiratur antecedenter ad operationem.

I. ANtecedenter, inquam, aliquo enim modo requiri ubicationem, saltem concomitanter, vel consequenter, suppono ex disp. 33. s.4. ubi probavi non posse rem esse, & nullibi esse.

II. Dico primo: universim loquendo ubicatio non est conditio antecedenter requisita in causâ ad agendum. Prob. quando enim res operatur ad intra, & suas passiones, ac proprietates producit (ut quando anima per emanationem producit intellectum, & voluntatem, si ab eâ distinguantur, aut subsistentiam &c.) nullam video necessitatem, cur ad hoc antecedenter requiratur ubicatio. Cujus ratio est, quia ubicatio ad operandum requiritur tanquam applicatio, quâ scilicet agens applicetur passo, res autem quævis est sufficienter applicata sibi, cùm à se distare nequeat, sicque ad operandum in se ubicationem non requirit, cùm & agens sit, & passum.

Ad agendū immanenter non requiritur antecedenter ubicatio.

III. Hinc infero, si homo vel Angelus per impossibile poneretur nullibi, seu omni ubicatione spoliaretur, posse ipsum actus intellectus & voluntatis non minùs expeditè elicere, quàm modò. Idem censeo de sole respectu lucis, de igne, & aquâ respectu productionis caloris & frigoris in seipsis, & de aliis similibus.

IV. Existimo itaque passiones omnes, & proprietates rei cuipiam connaturaliter debitas, ut in sole ex.g. subsistentiam, lucem, & ubicationem in eodem signo rationis produci, nec ullum inter eas prioris, & posterioris ordinem inveniri. Imò ulteriùs addo, tantùm abesse ut ubicatio antecedenter se habeat ad productionem vel lucis, vel subsistentiæ in sole, ut existimem posse Deum lucem illam aut subsistentiam elevare ad ubicationem, solis primò producendam, sicque posse ubicationem illam esse iis naturâ posteriorem. Difficultas ergo tota est in operationibus in passo externo.

In sole, eodem signo rationis producuntur subsistentia, lux, & ubicatio.

V. Dico secundò: quando primò agens aliquod, ignis ex.g. agit in passum externum, requiritur ubicatio tanquam conditio antecedens ad effectum in passo illo producendum. Ratio est, quia cùm nihil agere possit in distans, ad hoc ut causa aliqua operetur, requiritur approximatio, seu applicatio agentis ad passum, quæ consistit in duplici ubicatione, sine quâ applicatione non intelligitur causa in actu primo completa, & proximè expedita ad agendum. Hæc est communis sententia, nec puto Philosophos loqui nisi de primâ applicatione, quando ubicationem antecedenter requiri asserunt ad agendum in subjecto extraneo.

In primâ applicatione agentis ad passum ubicatio est conditio antecedens.

VI. Dico tertiò: postquam agens & passum semel fuerunt sibi invicem approximata, in instanre A ex.g. existimo in instantibus sequentibus, eorum approximationem, seu ubicationes non requiri antecedenter ad operandum, seu pro ullo priori, sed sufficere ut ubicationes habeant se concomitanter cum aliis effectibus, calore scilicet, frigore, & similibus: ita P. Arriaga d.7. Phy. s.6. n.74. Prob. quando enim homo manu tenens lapidem in instante A ex.g. tempore immediatè sequente imprimit illi impulsum, & eum movet versus Orientem, pro illo priori quando imprimit impulsum, & motum producit, non habet approximationem cum lapide, approximatio enim est ubicatio, hæc autem producitur per motum, ergo ubicatio est uno signo posterior motu, ergo ad impulsum illum & motum in lapide producendum non requiritur antecedenter ubicatio lapidis, ut videtur manifestum, cùm hæc ubicatio sit effectus motûs, causa autem & effectus nunquam esse possunt in eodem priori naturæ. Sicut ergo pro priori ad approximationem potest homo in lapide producere motum, & impulsum, quidni etiam in eodem tunc producere poterit calorem, aut alium hujusmodi effectum? ad quem, sicut ad motum & impulsum, sufficit quod immediatè antè fuerit manus lapidi applicata.

Post primū instans ubicatio non se habet sem-per antece-denter.

Sufficit fuisse duo immediatè ante conjuncta.

VII. Dices; hinc sequi, posse manum in lapide illo producere calorem in sequente instante, licèt lapis à manu distaret, cùm pro illo priori secundùm nos non requiratur ubicatio. Contrà primò: quando Petrus in instante A existens in spatio A, movet se in instante B in spatium B proximum, non requiritur pro priori ad motum illum ubicatio Petri in spatio B: sic enim priùs esset in illo spatio quàm habeat illam ubicationem, quod fieri nequit, cùm in illo spatio sit per ubicationem, & tamen nullus propterea dicet posse Petrum in instante B collocare se in loco distante, sed tantùm in proximo, quidni ergo idem in nostro casu dici poterit de productione caloris, & aliorum hujusmodi effectuum? Dico itaque, licèt non requiratur ubicatio, seu approximatio pro priori, requiri tamen pro illo instante reali, & concomitanter, cùm tamen nec concomitanter poni posset approximatio si lapis illo instante reali esset in loco à manu distante, ut in simili jam ostendi in motu Petri. Videatur P. Arriaga disp. illâ citatâ, ubi rem hanc fusè, & benè explicat.

Requiritur ubicatio in illo instante reali.

DISPUTATIO XXXVII.

De tempore, æternitate, & ævo.

Cur tempus sit cognitu, & explicatu difficillimum.

ARistoteles tempus cognitu difficile, explicatu difficilius esse asserit. Cujus ratio, inquit S. Thomas opusc. 44. est, quòd tempus sit minimæ entitatis, & quid successivum, ac veluti lubricum, & semper fugiens sicque oculis se & cognitioni hominum perpetuo subducens. Unde S. Aug. l. 11. Conf. c. 14. *Quid sit tempus*, inquit, *si nemo ex me quærat, scio, si quærenti explicare velim nescio.* Quæ si de tempore vera sint, multò certè magis de æternitate, quæ ut ab hominum conspectu longè remotior, ita captu & explicatu, communi omnium consensu, longè est difficilior.

SECTIO PRIMA.

Declaratur quid sit tempus, & æternitas: & in quo inter se, & ab ævo discrepent.

Definitio temporis.

I. ARistoteles 4. Phy. t. 101. definitionem temporis tradit his verbis: *Tempus est numerus motûs secundum prius & posterius.* Quæ definitio intelligi debet de partibus determinatis temporis, ut de quadrantibus in horâ, horis in die, diebus in mense, mensibus in anno

in anno &c. inter hæc enim vera intercedit successio & numerabilitas, ut constat; non enim est sermo de partibus ejus proportionalibus, quæ cùm & infinitæ sint in sententia Aristotelis, & indeterminatæ, numerari nullo modo possunt.

II. Licèt verò nullus sit motus, qui non possit vocari tempus, cùm nullus sit motus qui non sit successivus, & qui non habeat partes post partes, & consequenter qui numerari non possit secundùm prius & posterius, & assumi ut mensura aliarum rerum, communi tamen omnium consensu, jam motus cœlorum, & præsertim primi mobilis, utpote motus maximè universalis, notus, & quod caput est, æqualis, & nunquam interruptus, appellatur tempus, & pro rerum omnium mensurâ assumitur. Motus verò horologiorum, qui cœli motum exprimit, dici similiter tempus solet. Unde notio temporis in extrinsecâ denominatione sita est. Quo sensu dixit Aristoteles hîc, tex. 131. *si anima non esset possibilis, tempus non esset possibile*: nempe secundùm rationem mensuræ actualis.

Motus cœli est tempus primariò, motus horologiorum secundariò.

Tempus est denominatio partim extrinseca.

III. Dices, tempus essentialiter includit duas partes, ergo nunquam de eo affirmari potest quòd sit, ergo non est ens reale. Distinguo ultimum consequens, ergo non est ens reale permanens, concedo consequentiam; non est ens reale successivum, nego: hæc enim est natura rei successivæ, ut petat non habere omnes, imò nec ullas partes simul, sed unam post aliam. Ad hoc autem ut tempus sit ens reale, sufficit quòd possit successivè esse à parte rei, res enim impossibilis nec hoc modo potest existere.

Quomodo tempus sit ens reale.

IV. Æternitas triplex est: alia à parte post, qualis est duratio Angeli, vel animæ rationalis, quæ semel producta, nullâ vi agentium naturalium destrui potest: alia est æternitas solùm à parte antè, ut si Deus Angelum creasset ab æterno, & destruxisset eum in tempore: tertia demum æternitatis est à parte antè, & à parte post, ut si Deus creasset Angelum ab æterno, & eum in æternum conservare decrevisset. Aliquando verò æternitas sumitur pro longâ duratione: quo sensu psal. 75. v 5. *montes* dicuntur *æterni*. Proprissima autem ratio æternitatis est illa Dei, quæ non solùm est sine principio & fine, sed petit essentialiter & esse ab æterno, & in æternum durare; quod nulli creatæ rei potest competere.

Æternitas triplex: à parte antè, à parte post & utroque modo.

Æternitas Dei est perfectissima.

V. Quæres, utrùm æternitas Dei vocanda sit duratio? Quæstio hic esse potest de nomine: primò, certum est hanc Dei æternitatem esse totam simul, juxta receptam illam ab omnibus Theologis ex Boëtio desumptam æternitatis Dei definitionem, nempe, *æternitas est interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio*: si ergo duratio ex naturâ suâ sit successiva, æternitas Dei non est duratio. Deinde, duratio dicit essentialem ordinem ad certum aliquod tempus, vel verum, vel imaginarium; æternitas autem hoc non dicit, sed antevertit omne tempus, etiam imaginarium, utpote ante quod æternitas Dei tota erat, vel, ut magis propriè loquar, est. Unde æternitas Dei est eminentialis perseverantia in esse, non formalis, seu secundùm partes successivas formales.

Æternitas Dei est interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio.

VI. Dici tamen potest Deus novis & novis cœlorum & motuum circumvolutionibus coëxistere, ut horis, diebus, annis &c. & hoc sensu durare, ita tamen, ut tota ejus æternitas correspondeat singulis partibus, & instantibus temporis. Tandem si per durare solùm intelligatur retinere idem esse in sequente instante, quod habuit in præcedente, hoc etiam sensu dici poterit Deus durare, ut est manifestum, cùm ipse totus sit in hoc instante, qui etiam totus fuit in præcedente, & idem omnino fuit ab æterno.

Quo sensu Deus dici potest durare.

VII. Æternitas ergo Dei, ut ex Boëtio l. 5. de Consol prosâ ultimâ vidimus, est *interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio*. De qua definitione latè Theologi cum S. Tho. 1. p. q. 10. a. 1. Ly *interminabilis* denotat carentiam principij, & finis; *tota simul*, non habere partes formales: *perfecta*, id est, necessaria, seu ita ut possessione illâ carere non possit, quod Angelo, si ab æterno crearetur, non competeret: unde aliqui volunt Angelum in eo casu dicendum non æternum, sed sempiternum, licèt alij cum S. Isidoro utrumque nomen pro eodem sumi asserant.

Explicatur definitio æternitatis Dei.

VIII. Ævum sumitur subinde pro ætate diuturna, sic senes dicuntur longævi. Subinde etiam æternitas ipsa vocatur ævum. Tertiò, & propriissimè, ævum dicitur duratio rerum naturalium, quæ ex naturâ suâ sunt incorruptibiles, esto à Deo corrumpi possint, ut sunt Angeli, anima rationalis, cœlum &c. videtur ergò ævum media quædam duratio inter tempus & æternitatem: tempus enim est duratio motûs successivi, æternitas est existentia indivisibilis Dei: ævum est duratio rerum permanentium, naturaliter incorruptibilium.

Quid sit, & quibus competat ævum.

SECTIO II.

De tempore Imaginario.

I. VT suprà, præter spatium reale, statuimus spatium imaginarium, cui reale corresponderet, seu cui ubicatio rem veluti affigeret, ita hic tempori reali assignandum est imaginarium, cui correspondeat, ac veluti affigatur. De quo fortè locutus est S. Augustinus l. 11. Confess. cap. 23. dum loquens de pugnâ illâ tempore Iosuæ, quando sol stetit, *sol*, inquit, *stabat, tempus ibat*. De tempore ergo imaginario tot ferè sunt, vel esse possunt opiniones, quot supra d. 33 s. 1. retulimus de spatio imaginario, alijs scilicet, ut spatium, ita tempus imaginarium negantibus: alijs asserentibus esse tempus possibile, alijs negationem Chimæræ, alijs Deum, alijs nihil. Quæ opiniones eodem modo impugnantur, quo suprà illas impugnavimus de spatio.

Tempore Iosue sol stabat, tempus, nempe imaginarium, ibat.

II. Ut meam de tempore imaginario opinionem declarem: Notandum, quemadmodum, ut suprà d. 33. s. 2. n. 4. dixi, negationes rerum à loco absolutarum, aquæ, ignis &c. sunt in loco per negationes ubicationum illarum rerum, ita & earum negationes per negationes durationum earundem rerum durant: negationes enim harum durationum per se durant, & sunt in perpetuo fluxu, nec ullæ duæ earum partes possunt esse simul, sed sunt essentialiter heterogeneæ, sicut durationes ipsæ quas negant. Negationes verò aliarum rerum cædem esse possunt heri, & hodie, & centum abhinc annis, nisi per productionem rerum positivarum, quibus contradicunt, tollantur.

Negationes rerum absolutarum durant per negationes durationū.

III. Cùm ergo ab æterno fuerint negationes omnium rerum, fuerunt etiam jam inde ab æternitate perpetuò fluentes, & secundùm diversas sui partes, vel quasi partes sibi semper succedentes negationes harum durationum, ita ut pars hodierna negationis durationis Anti-Christi non potuerit esse nisi hodie, nec seriùs, nec citiùs. Sicut ergo pars negationis ubicationis Leodiensis Petri non potest esse alibi quàm Leodij, sic negatio hodierna durationis Petri non potest esse nisi hodie. Vnde sicut negationes ubicationum sunt secundùm diversas partes heterogeneas extensæ quoad locum, ita negationes temporis, seu durationis sunt extensæ successivè secundùm diversas partes heterogeneas quoad tempus.

Negationes durationū durant per se.

IV. Sicut ergo partes negationis ubicationis, quæ non sunt tollibiles, constituunt in nostrâ sententiâ spatium imaginarium; ita partes illæ negationum durationis, quæ quando existebant, non potuissent non

Assignatur in quo consistat tempus imaginarium.

existere, constituunt tempus imaginarium, cùm eædem ipsis conditiones competant, ac partibus negationis ubicationum. Tempus itaque imaginarium cui affigeretur duratio hodierna Anti-Christi, sunt negationes hodiernæ omnium durationum ejus, præterquam hodiernæ, hodierna enim negatio durationis hodiernæ Anti-Christi non est apta constituere tempus imaginarium, cùm tolli possit, ac proinde est privatio potiùs, quàm negatio. Sic etiam tempus imaginarium cui affigebatur hesterna duratio, erant negationes hesternæ aliarum durationum præter hesternam, & sic de alijs.

V. *In quo differat tempus imaginarium à spatio imaginario.* Hic ulteriùs notandum, non in omnibus convenire tempus imaginarium cum spatio imaginario: spatium enim petit esse quid fixum, & permanens, tempus verò imaginarium non potest esse quid permanens, sed essentialiter successivum, & semper fluens secundùm diversas sui partes. Aliqua tamen pars temporis imaginarij necessariò semper existit; cùm enim duratio nulla realis poni possit, nisi certo quodam tempore, negatio ipsius necessariò debet esse omni alio tempore, saltem quoad aliquam sui partem, cùm semper debeat esse vel res, vel negatio rei.

VI. *Negatio omnis temporis fuit ab æterno, non tamen omnis negatio temporis.* Dices; negatio omnis temporis fuit ab æterno; & duravit usque ad creationem mundi, ergo negatio temporis non potest esse tempus imaginarium, cùm tempus imaginarium debeat esse aptum cui affigantur diversa tempora realia, tempore autem reali producto, tollitur ejus negatio, & consequenter tollitur tempus imaginarium, si in hujusmodi negationibus consistat. Resp. negationem quidem omnis temporis fuisse ab æterno, non tamen omnem negationem temporis, hæc enim negatio, est successiva, ut dixi, & habet diversas partes sibi invicem succedentes: sicut in hoc palmo spatij, vel etiam puncto, est negatio totius montis, & templi, non tamen tota negatio montis & templi. Cùm ergo sint partes harum negationum sibi semper succedentes, & consequenter diversi dies imaginarij, sunt hæ partes aptæ ad constituendum diversos dies veros, per modum scilicet termini, cui dies veri affigantur.

SECTIO III.

De modo incipiendi, & desinendi rerum.

I. ALiquid de his necessariò hîc dicendum, licèt fusior eorum tractatio ad libros de Generat. pertineat. Hic ergo solùm terminos explicabimus, ne, cùm Philosophis sunt valde frequentes, primo auditu obscuritatem & confusionem pariant.

II. *Modus incipiendi, & desinendi extrinsecus.* Duplex ergo est modus incipiendi, & desinendi rerum, *intrinsecus* & *extrinsecus*. Res ergo aliquæ incipiunt per ultimum sui non esse, ita ut sit verum de re hujusmodi affirmare, *jam non est, immediatè postea erit*. Desinunt etiam res aliquæ per primum sui non esse, ita nimirum, ut sit verum de tali re dicere, *nunc non est, immediatè antea fuit*. Hîc autem modus incipiendi, & desinendi vocatur incipere & desinere extrinsecè.

III. *Incipere extrinsecè est incipere successivè, seu in tempore.* Inceptio igitur rei per ultimum sui non esse est quando res aliqua incipit successivè, & in tempore, tunc enim assignatur ultimum instans determinatum, in quo res illa non est, juxta modum explicandi superiùs positum. Similiter desitio rei per primum sui non esse, seu extrinsecè est quando assignatur primum instans determinatum, in quo verum sit dicere, *nunc non est, immediatè antè fuit*. Sicque in expulsione caloris & frigoris, eo instante reali quo est verum dicere, *calor non est*, seu non est inductus, & immediatè post inducetur, in eodem etiam est verum dicere, *frigus est*, immediatè postea non erit, seu expelletur: ubi calor incipit extrinsecè, frigus desinit intrinsecè, quod jam explicabo.

IV. *Desinere, & incipere intrinsecè.* Desinere itaque rem aliquam intrinsecè, seu per ultimum sui esse, est cùm assignari potest ultimum instans determinatum, in quo res illa est, ac proinde est verum dicere, *nunc est, immediatè postea non erit*. Incipere autem rem *intrinsecè*, est illam incipere per primum sui esse, ita nimirum, ut sit verum dicere: *nunc est, immediatè antè non fuit*. Unde videtur posse rem aliquam simul incipere, & desinere intrinsecè, nempe, si duret per unum tantùm instans; ut siquis actum aliquem intellectûs, aut voluntatis eliciat in instante, & per unicum tantùm instans illum conservet, tunc enim hic actus illo instante incipit intrinsecè, seu per primum sui esse, & desinit intrinsecè, seu per ultimum sui esse, esset enim verum de actu illo dicere, *nunc est, immediatè antè non fuit*; & similiter, *nunc est, immediatè postea non erit*: non tamen destruitur nisi in tempore sequente illud instans. *Potest res aliqua simul incipere, & desinere intrinsecè.*

V. *Angelus produci primò potest in tempore, & successivè.* Quæres utrùm res indivisibilis, seu quæ nullas habet partes, Angelus v.g. possit incipere extrinsecè, seu per ultimum sui non esse, & produci in tempore? Probabilius mihi videtur posse. Dices; est implicatio in terminis, quidquid enim producitur in tempore, producitur successivè, sed Angelus non potest produci successivè, sed totus simul, cùm non habeat partes, ergo. Resp. distinguendo majorem, producitur successivè ex parte temporis, id est, in tempore successivo, concedo majorem; producitur successivè ex parte sui, id est, ita ut aliquid illius producatur priùs alio, nego: hoc enim implicat, cùm in Angelo, & re quavis indivisibili non sit aliquid & aliquid realiter.

VI. *Producitur in eo casu Angelus simultaneè ex parte sui.* Productio ergo hæc vocanda est simultanea, non instantanea, simultanea inquam, ex parte sui, non ex parte temporis, quia verè in productione correspondet tempori. Cùm ergo dicitur res illa producitur in tempore, ergo non simul, semper distingui debet consequens, ergo non simul quantum ad tempus, concedo consequentiam; nam in productione correspondet tempori: ergo non simul ex parte sui, nego: cùm enim res illa indivisibilis sit, & nullas habeat partes, debet necessariò ex parte sui produci simul.

DISPU-

DISPVTATIO XXXVIII.

De Duratione.

SECTIO PRIMA.

Quid sit Duratio: & an distinguatur à re durante.

I. *An res uno tantum instante existens dici possit durare.*

DUratio duobus modis sumi potest: primo, pro permanentia in esse: quo sensu res unico tantùm instante existens, non potest dici durare, cùm permanentia duo saltem instantia involvat, seu quod res retineat esse, quod habuit. Alio tamen modo sumitur duratio, nempe, ut sit determinatio per quam res hoc potiùs tempore existit, quàm alio: secundùm quam acceptionem, res unico tantùm instante existens dici posset habere durationem.

II. *Prima sententia negat durationem distinctam.*

Quoad secundum: prima sententia negat durationem distingui ab existentiâ rei durantis. ita Scotus in 2.d.2.q.2.Okamus, & Gabriel ibid.q.11.Val.1. p.q.10.p.1.§. *Quod ad* 2.Suar. d.50. Met.s.1.n.5. Molina 1.p.q.3.a.4.ad 2.circà medium: Vasq.1.p. d.113.c.4.n.18.& 19.Pererius l.12.Phy.c.5.concl. 3.Tolet.in Logica, de Prædicam.c.10.s.2.de *Quando*: Hurt. d.17. Met.s.3. n.37. Oviedo contr. 16. Phy.p.1.n.16.& ex recentioribus non pauci.

III. *Secunda sententia ait durationem à re distingui.*

Secunda sententia affirmat durationem distingui realiter ab existentiâ rei durantis. Ita S.Bonav.in 2. d.2.p.1.a.1.q.1. Salas 1.2.d.2. s.12. n.122. Conimb.in c.2.Categor. Arist.q.3 a.1.& in Phy.l.4. c.14.q.2.a.2. Rub. l.10. de Prædi. q. unica n.18. Murcia l.4.Phy.d.3. q.4.§. *dico tertiò*. Arriaga d.15. Phy.s.1.n.5.& plurimi ex recentioribus.

IV. *Duratio distinguitur à re durante.*

Conclusio: Dicendum cum auctoribus secundæ sententiæ, durationem distingui à re durante. Prob. primò, potest existere Petrus, & non correspondere huic tempori, sicut existere potest, & non correspondere huic spatio, ergo sicut propterea ipsi additur ubicatio & entitas aliqua distincta, quæ ipsum determinet seu applicet & affigat huic spatio potius quàm alteri, ita & habere debet aliquid distinctum à sua entitate, per quod determinetur, applicetur, & affigatur huic tempori potiùs quàm alteri, cùm Petrus ex naturâ suâ non magis sit in hoc tempore, quàm in hoc spatio.

V. *Assignatur disparitas inter locũ, & tempus.*

Dices primò; latam esse disparitatem quoad hoc inter locum & tempus, nam potest existere & Petrus & hic locus, & tamen Petrus non correspondere, seu coëxistere huic loco, ut constat; at non potest existere Petrus & hoc instans, quin Petrus ei coëxistat, cùm coëxistentia non sit aliud quàm duorum existentia. Contrà, potest existere Petrus & hoc instans, & tamen Petrus non coëxistere huic instanti, ergo. Probo antecedens, Petrus potest existere heri, & hoc instans hodie, quin Petrus coëxistat huic instanti, potest enim Petrus mori ante hoc instans, ergo potest existere Petrus, & hoc instans, & tamen Petrus non coëxistere huic instanti. Dices; non possunt existere simul quin Petrus illi coëxistat. Contrà, ergo existere Petrus, & hoc instans simul, est aliquid aliud, quàm existere Petrus, & existere hoc instans, ergo istud *simul* habere debent per aliquid aliud, cùm utrumque esse possit in rerum naturâ, quin sibi invicem coëxistant, seu sint simul,

Ostenditur disparitatẽ illam esse nullam.

Dices secundò cum P. Hurt. citato; ideo requiri ubicationem distinctam, non durationem, quia cùm spatium imaginarium sit quid fixum, debet fieri mutatio in mobili, seu re ubicatâ: at verò cum tempus imaginarium sit quid fluidum, & successivum ex naturâ suâ, non est opus ut fiat mutatio in re ipsâ, sed sufficit mutatio in tempore, ad hoc ut dicatur res correspondere diversis partibus temporis. Sicut ut arbor sita in flumine diversis aquæ partibus correspondeat, non est opus ut arbor mutetur, sed sufficit sola mutatio aquæ.

VI. *Dicunt spatium imaginarium esse quid fixum, tempus autem esse fluidũ.*

Contrà primò, saltem in primâ productione rei necessarium est aliquod determinativum, cùm potuisset esse hoc tempus, & produci Petrus, & tamen Petrus non correspondere huic tempori, nec fuisse in illo productus, sed in alio. Contrà secundò, Petrus ex se est indifferens ut existat, vel non existat cras, quantumcunque fluat tempus imaginarium, ergo hoc quod est connotare crastinum tempus, seu illi coëxistere, est aliquid aliud præter entitatem Petri, cùm illa ex se sit indifferens ut coëxistat, & correspondeat crastino tempori, vel non: idque quantumcunque tempus fluat, ut dixi.

VII. *Resp. fluxũ temporis non auferre necessitatem durationis distincta.*

Dices; posito quòd Deus producat rem in instante A, & non suspendat concursum in sequente instante, sufficienter intelligitur rem illam correspondere instanti B, sine aliquo alio determinativo. Contra, suspensio concursûs est negatio concursûs, ergo non suspensio concursûs est ipse concursus, sicut non-negatio frigoris est frigus, & non-negatio hominis homo, sed concursus ex se est indifferens ut continuetur, & existat sequente instante, seu ad durandum & coëxistendum sequenti tempori imaginario, ergo addi ipsi debet aliquod determinativum.

VIII. *Duratio non est negatio suspensionis concursus Dei.*

Dices; Deus determinat volendo ut illi tempori coëxistat. Contrà, & sit secunda probatio conclusionis; voluntas Dei non alio modo determinat ad extra, quàm aliquid efficiendo; si enim determinaret formaliter, res illa fuisset ab æterno, cùm volitio Dei fuerit ab æterno: ergo aliquid debet efficere præter rem illam, nam res ex se, præcisè quòd producatur, non petit est nunc, ergo debet Deus velle aliquid aliud præter entitatem rei, ut constat fusiùs ex dictis suprà d.34.s.2.& 3. dum de ubicatione. Ad illud de arbore in aquâ sitâ dicetur sec. sequente n. quinto.

IX. *Voluntas Dei non determinat formaliter, sed efficienter.*

Tertiò probatur auctoritate Patrum, qui in hoc durationem creaturæ distinguunt ab æternitate Dei, quòd æternitas Dei sit tota simul, duratio verò creaturæ nequaquam, sed habeat præsens, præteritum, & futurum: quod tamen dici non potest nisi habeat durationem distinctam ab entitate, entitas enim Angeli tam est indivisibilis, & tota simul, quando est, ac æternitas Dei.

X. *Probatur ex Patribus duratio distincta.*

Quartò probatur: potest Deus velle Petrum esse futurum, & crastinum diem, vel Paulum esse futurum, & tamen non velle Petrum esse cras, aut coëxistere Paulo, sicut de facto vult Anti-Christum esse futurum, & diem crastinum esse futurum, & tamen non vult eos esse futuros simul, ergo tunc vult Deus aliquid distinctum.

XI.

Probatur quintò: Petrus existens in instanti A, potest illo instante petere à Deo, ut ipsum conservet

XII.

Quid petit Petrus dum orat ut Deus ipsum conservet sequente instante?

pro sequente instante, vel tempore. Inquiro, quid tunc petat Petrus? non petit suam existentiam, illam enim jam habet, nec tempus reale, seu ut cœli continuent suum concursum, primò, quia hoc non est necessarium ad conservationem ipsius, cùm licèt cœli non moverentur, adhuc posset is conservari, sicut de facto conservabuntur homines post diem judicij, cessante omni motu cœli. Nec etiam petit tempus imaginarium, hoc enim inaniter peteretur, cùm necessariò semper fluat: sicut inaniter peteret quis à Deo, ut existat negatio Chimæræ, cùm existat necessariò: ergo petit aliquid distinctum à suâ entitate, & tempore extrinseco sive reali, sive imaginario.

XIII. *Aliud est velle Deum aliqua, aliud velle illa esse simul.*

Dices; petit ut Deus velit ipsum esse ens actu sequente instante. Contrà, potest Deus velle ipsum esse ens actu, & velle sequens instans, & tamen non velle ipsum esse ens actu sequente instante, seu velle ipsum esse ens actu & sequens instans simul, ergo velle Deum ipsum esse ens actu sequente instante, seu ens actu simul cum illo instante, est quid distinctum, & diversa voluntas Dei.

SECTIO II.

Argumenta contra Durationem distinctam.

I. *Obij. posse durationem Gimmediatè subsequi durationem A.*

OBjicit primò P. Oviedo: si Duratio sit accidens, vel aliud quodcunque à rei (Petri ex. g.) existentiâ distinctum, sequitur, posse Deum efficere, ut Petrus durans hodie, seu primo Martij anno 1647. duret immediatè pòst, primo Martij anno vertente: ita ut dum reliqui homines durant secundo Martij 1647. ipse duret primo Martij 1648. vel etiam anni 1700. sequela probatur, si enim Duratio sit entitas à rei existentiâ distincta, poterit Deus entitatem hanc nullo intervallo interposito, immediatè post durationem hodiernam producere, sicque Petrus immediatè post durationem hodiernam, durabit primo Martij anni sequentis.

II. *Satisfit objectioni suprà posita.*

Hoc argumentum in meâ sententiâ, qui, sicut spatium imaginarium suprà d. 33. s. 2. constitui in negatione quarundam ubicationum, ita disp. præcedente sec. 2. tempus imaginarium situm similiter esse dixi in quibusdam negationibus durationum essentialiter fluentibus, nullam habet difficultatem. Dico itaque, sicut Deus per nullam potentiam producere potest ubicationem Matritensem Londini, aut efficere ut unio inter animam & corpus Petri sit unio inter animam & corpus Pauli; ita nec efficere potest, ut duratio crastina existat hodie, cùm terminus ipsius, pars scilicet crastina illius negationis, seu temporis imaginarij hodie poni non possit: sicut secundùm P. Oviedo tempus possibile crastinum per nullam potentiam poni potest hodie.

III. *Obij. non sunt multiplicanda entia sine necessitate.*

Objicies secundò: non sunt multiplicanda entia sine necessitate, sed hîc nulla est necessitas, ergo: Probatur minor, ipso facto quòd detur hoc aggregatum Petrus existens, & hoc instans existens. Petrus necessariò correspondet, & coëxistit huic instanti, & in eo durat, licèt nulla alia entitas superaddatur. Resp. negando minorem: ad probationem nego suppositum, nempe, posse dari hoc aggregatum *Petrus & hoc instans simul*, nisi aliquid aliud addatur, præter entitatem Petri existentem, & existentiam instantis, ut suprà ostensum est.

Resp. ostendendo necessitatem.

IV. *Obij. rem permanentè coëxistere per se rei successivæ.*

Objicies tertiò: quando aliqua duo ita se habent, ut alterum sit successivum, alterum permanens, potest id quod est successivum, per se tollere indifferentiam rei permanentis ad correspondendum ipsi, absque eo quòd res permanens omnino mutetur. Conf. Deus sine illo superaddito correspondet & coëxistit variis rebus creatis incipientibus, & desinentibus indies, ergo sufficit mutatio ex parte alterius, ad hoc ut complexum dicatur mutari, nec est necessarium utrumque extremum, seu partem complexi mutari.

V. *Quando res permanens correspondeat per se rei successivæ.*

Ad argumentum distinguo antecedens, si res permanens sit per se, vel aliquid aliud determinatum ad permanendum vel correspondendum successivo illi, vel quoad locum vel quoad tempus, concedo antecedens; si non sit, nego. Et per hoc patet ad id quod sec. præcedente n. 6. objiciebatur de arbore in fluvio sitâ, quæ cùm habeat ubicationem, quâ figitur in illo loco permanenter, nil mirum si correspondeat diversis partibus aëris, & aquæ præterlabentibus: at res istæ per se, & per suam entitatem non sunt determinatæ ad permanendum, vel ad unum, vel duo instantia, aut partes temporis, quantumcunque ergo instantia illa sibi invicem succedant, res tamen absolutæ habere debent aliquod aliud determinativum, per quod determinentur ad permanendum sequente instante.

VI. *Cur Deus per se coëxistat omni tempore.*

Per quæ etiam patet ad confirmationem: Deus enim ex essentiâ suâ est determinatus per æternitatem ad coëxistendum omni tempori reali, & imaginario, estque ex naturâ suâ semper permanens. Petrus autem, vel Angelus ex naturâ suâ non est permanens essentialiter, nec ad unum, nec duo instantia, si enim peteret essentialiter permanere ad duo instantia, non posset à Deo destrui secundo instante, postquam est creatus.

VII. *Cur tempus per se correspondeat rebus permanentibus.*

Objicies quartò: tempus ipsum, quia fluidum, non requirit aliquid aliud, per quod coëxistat rebus permanentibus, ergo nec è contrà res ut coëxistant tempori: & idem est de loco. Resp. tempus & locum imaginarium ex essentiâ suâ habere esse hîc & nunc, & consequenter ipso facto quòd res à tempore & loco absolutæ ponantur hîc & nunc, per suas durationes & ubicationes, possunt ipsis sine ullo superaddito correspondere tempus & spatium imaginarium. Non tamen propterea res absolutæ sunt per se determinatæ & correspondendum ipsis, cùm sint ex se indifferentes ad existendum vel non existendum hoc tempore, & loco imaginario, potiùs quàm alio.

VIII. *Prioritas naturæ non obstat productioni durationis.*

Objicies quintò: pro aliquo priori debet res esse in primo aut secundo instante, quàm in iis duret, si ergo producat suam durationem, priùs habet effectum formalem durationis, quàm habeat durationem. Hoc etiam argumentum urget P. Oviedo citatus p. 1. n. 18. Contrà, idem argumentum fieri posset de ubicatione, quam tamen Oviedo, & multi ex adversariis concedunt. Resp. itaque durationem universim educi ex potentiâ rei durantis, illud enim prius in argumento propositum, solùm est prioritas naturæ, seu causalitatis, unde pro illo priori solùm intelligitur substantia rei terminans actionem, non tamen terminans eam pro illo priori hoc vel illo instante, is enim est effectus formalis durationis, quam pro illo priori non habet.

IX. *Declaratur prioritas naturæ in productione durationis.*

Sicut ergo priùs natura est res, quàm sit in loco, ita priùs naturâ est, quàm sit in hoc tempore, ac proinde in illo priori non magis petit esse in hoc tempore quàm in alio. Dices; ergo pro illo priori est, & tamen est in nullo instante, vel tempore. Distinguo consequens, est in nullo præcisivè, id est, non determinatur in illo priori ad ullum tempus sed præscindit ab omni, concedo consequentiam; est in nullo negativè, id est, pro illo priori intelligi potest cum negatione determinationis ad omne tempus, nego. Quam responsionem latius prosequutus sum suprà d. 34. in simili de ubicatione. Addo, non omnes qui dicunt rem producere suam ubicationem, dicere eam producere suam durationem.

X.

Objicies sextò: res per se, & sine aliquo distincto coëxistit

Cur res permanens correspondeat per se suæ durationi.

coëxistit suis durationibus, ergo & eodem modo coëxistere posset tempori. Contrà, res per se, & sine aliquo distincto correspondet suis ubicationibus, ergo eodem modo correspondere posset spatio. Idè est in materiâ & formâ respectu unionis. Resp ergo negando consequentiam: disparitas est, duratio enim, cùm sit determinatio rei ad tempus, eâdem operâ determinat rem ad ipsam durationem, alioqui procederetur in infinitum: tempus autem est indifferens ut res ei coëxistat, vel non coëxistat.

SECTIO III.

Alia quædam circa naturam Durationis.

I. *Sitne possibilis duratio indivisibilis.*

PRimum est, utrùm dari possit duratio aliqua indivisibilis, quæ correspondeat per se, & essentialiter pluribus partibus temporis, ut integræ horæ, vel diei? Affirmat P. Arriaga d. 15. Phy. s. 2. n. 64. imò addit dari Angelum posse qui petat essentialiter durare per horam, vel diem.

II. Exinde putant aliqui repugnare hujusmodi durationem, quòd repugnaret hujusmodi duratio perfectæ libertati & dominio Dei: si enim ex essentia suâ petat durare per diem, debet Deus si illam producat, conservare per integrum diem, & consequenter non posset destruere quando vellet, quod obstat ejus libertati.

III. *Duratio petens durare per horam non derogat dominio Dei.*

At certè hanc rationem non puto efficacem: primò, quia non magis repugnat perfecto dominio Dei non posse aliquid destruere quandocunque vult, quam non posse aliquid producere quandocunque vult, cùm productio non minùs spectet ad perfectã dispositionem de re aliqua, & ad dominium, quam destructio; sed Deus non potest rem quamlibet producere quando vult, ergo. Probatur minor, secundùm multos non potuit omnino quidquam producere ab æterno, ergo per totam æternitatem non potuit de re ullâ disponere pro libito. Deinde secundùm multò plures non potuit producere tempus ab æterno, nec partem temporis modò in instante, aut è contrà, ergo non potest quidlibet producere pro libito quocumque tempore, ergo similiter non obstabit perfectæ, libertati & dominio Dei durationem illam, postquam semel producta est, non posse nisi post horam destruere.

IV. *Ulterius ostenditur talem durationem non obstare libertati Dei.*

Secundò ostenditur hoc idem: nam non potest Deus producere durationem diei crastinę hodie, sed debet expectare usque in diem crastinum. Nec ubicationem Romanam producere potest hîc, aut alibi quàm Romæ. Dices; hæc non posse Deum quia repugnat tempus ab æterno, duratio crastina hodie, ubicatio Romana hîc &c. Contrà, etiam repugnat durationem illam destrui ante finitam horam, ergo si impossibilitas ibi facit quo minùs illa sint contra perfectam libertatem, & dominium Dei, faciet & hîc: & sicut non est contra libertatem & dominium Dei, non posse facere id quod fieri non potest, ita nec est contra ejusdem libertatem non posse tollere, quod tolli non potest: sicut nec est contra omniscientiam non posse cognoscere quod cognosci non potest, ut hominem esse equum.

Perfectissimè ergo salvatur libertas & dominium Dei in eo quòd in potestate Dei fuerit creaturam illam omnino non produxisse, præsertim cùm sciverit Deus, si eam produceret, debere se illam conservare per horam: cùm enim illam producit hoc sciens, ipso facto quòd velit producere, vult eam durare per horam. V.

Dices; hinc sequi, Deum non esse infinitè liberum, vel saltem non esse liberum omni libertate possibili: patet sequela; illa libertas esset major, quâ posset destruere durationem hanc sequenti, & quolibet instante postquam eam produxit. Resp. negando sequelam, ad probationem nego suppositum: nulla enim est libertas & dominium possibile ad illud eo instante tollendum, quod illo instante tolli non potest. Sicut siquis argueret. Deum non habere maximam potentiam, quia non potest producere hippocervum, cùm illa potentia esset major, quæ eum posset producere. Negatur ab omnibus suppositum, nempe, talem potentiam esse possibilem. Idem est in præsenti. Addo, sicut non est contra dominium Dei non posse hanc durationem uno instante citiùs producere, quàm petat produci, ita nec est contra ejus dominium, non posse eam uno instante citiùs destruere, quàm petat destrui. VI. *Dicunt hinc sequi Deum non esse perfectissimè liberum.* *Resp. talem libertatem, & potentiam non esse possibilem.*

Ex alio tamen capite existimo implicare hujusmodi durationem entitativè indivisibilem, quæ coëxistere petet successivè diversis partibus temporis, seu spatio divisibili. Ratio à priori est, quia cùm sit indivisibilis, ut supponitur, non potest habere partes, & consequenter in singulis instantibus, & partibus unius horæ deberet habere totam suam essentiam, sed in singulis non posset habere totam suam essentiam, ergo. Major est certa, cùm sit indivisibilis, sicque tota correspondere debet singulis instantibus illius horæ. Minor probatur, essentia ipsius est actualiter coëxistere toti horæ, sed singulis instantibus non coëxistit toti horæ, cùm in primo instante non coëxistat ultimo quadranti illius horæ, sicque in primo instante haberet reale prædicatum, quod non habet in secundo, & sic de alijs instantibus ergo in singulis non haberet totam suam essentiam. Plura hac de re in præsenti non addo, quia hanc durationem in simili impugnavi suprà d. 13. s. 5. de ubicatione & unione indivisibilibus: quæ impugnationes à fortiori urgent de duratione indivisibili. VII. *Implicat hujusmodi duratio indivisibilis: & quare.*

Secundum quod circa durationem inquirimus, est, per quid durent negationes? Ad hoc disp. præcedente, s. 2. n. 3. dixi durare per negationes, vel privationes potiùs durationum rerum positivarum, quibus apponuntur. VIII. *Per quid durent negationes.*

Tertium est, utrùm duratio sit modus? Resp. non esse necessariò modum respectu rei durantis, sed solùm respectu spatij. De quo latè dictum est in simili, d. 34. s. 3. n. 3. dum de ubicatione. IX. *An duratio sit modus.*

Quartum est, quibus rebus diversa competat duratio? De hoc etiam dixi d. 34. s. 5 n. 5. eodem enim modo hac in re philosophandum est, ac de ubicatione. X.

Quintum, utrùm possit res spoliari omni duratione, seu esse & nunquam esse? Huic etiam difficultati satisfactum est suprà d. 33. s. 6. XI. *Possitne res esse sine duratione.*

DISPUTATIO XXXIX.

De origine mundi.

SECTIO PRIMA.

An Mundus potuerit esse ab æterno quoad res permanentes.

I. *Fide certum est mundum de facto non fuisse ab æterno.*

MUndum non fuisse ab æterno, est de fide ex illo Gen. v. 1. *In principio creavit Deus cælum & terram*: & definitur in Concilio Lateran. sub Inno c.3. in quo dupliciter lapsus est Aristoteles primò, quòd mundum ab æterno fuisse asseruerit, deinde, quòd hoc ex alio pejore principio deduxerit, nempe, primum movens, seu Deum esse agens necessarium, & necessariò operari. Quare, inquit, non potuit non semper operari quando potuit, non magis quàm ignis applicatus stupæ non comburere. Quamvis S. Thomas 1.p.q. 46. ar. 1. & alij eum excusare conentur.

II. *Prima sententia est negativa.*

Prima ergo sententia est negativa, ita S. Bonav. in 1.d.1.a.1.q.2. Albertus in Sum.p.2.t.1.q.4.m.2. & in 1.d.44 a.t. & in 2. d.ar.10. Henricus quodl. 1. q.7 Lessl.l.4.de Perf. Divi.c.2. Valen.1.p.d.3.q.3.pu.2. Tol.l.8.Phy.d.1.q.2.Murcia l.8.Ph.d.1.q.3. Tann.1. p.d.6.q.1.d.3.n.11.& alij plurimi.

III. *Secunda sententia est affirmativa.*

Secunda sententia est affirmativa: tenet S. Thomas 1.p.q.46.ar.2.Durand.in 2. dist 1.q.2.& 3. Suar. d.20.Met.l.6.n.11.14.& 15.Vasq.To.1.d.177.c.5.Molina 1.p q 10.ar.3.Conimb.l 8.Phy.c.2.quæst.6.&7. Hurt.d.16 Phy.s.1.Arriaga d.17.Phy.sect.2.num. 15. Oviedo Cont.19.Phy.p.1.nu 2.item S. Bonav. citatus, si solam spectemus rationem: & multi ex recentioribus.

IV. *Res creata permanens potuit esse ab æterno.*

Conclusio: potest creatura permanens produci ab æterno. Ita auctores secundæ sententiæ. Probatur primò: non apparet ex quo capite id repugnet, ergo Antecedens probatur nam non ex eo quòd sit productio. Pater enim æternus generavit Filium suum ab æterno: nec repugnat ex parte Dei. Deus enim potest quicquid non involvit contradictionem ex parte effectûs: nec demum repugnat ex parte creaturæ, non enim sequitur, fore eam infinitam simpliciter, sed solùm secundùm quid, nempe secundùm durationem à parte antè, & participatam: sicut Angeli & animæ durabunt in æternum à parte pòst, & tamen non habent propterea infinitatem simpliciter, sed solùm secundùm quid. Conf. potest dari creaturæ, & physicè ei uniri sanctitas ipsa infinita Dei, ut contingit Humanitati Christi, quæ per subsistentiam Verbi reddita est infinitè sancta; quare ergo creaturæ communicari non poterit æternitas creata, infinities sanctitate increatâ imperfectior?

Potest creaturæ communicari sanctitas increata, ergo & æternitas creata.

Dices; inde otiri repugnantiam, quòd causa esse debeat prior effectu. Distinguo, debet esse prior naturâ, concedo; prior tempore, nego: prioritas autem naturæ non exigit ut causa tempore antecedat effectum, vel ut duret plus quàm effectus, sed solùm arguit dependentiam effectûs à causâ: imò parum refert quòd extiterit causa tempore ante effectum, existentia enim toto tempore præcedente perinde se habet quoad hunc effectum hîc & nunc, seu in hoc instante producendum, atque si non fuisset. Deinde, sol primo instante quo fuit, produxit lucem, anima intellectum & voluntatem, &c. Et ratio est manifesta, cùm enim primo instante habeat res tantam virtutem ad hos effectus, atque unquam postea, non est cur non posset æquè tunc exercere hanc virtutem, ac postea: nec enim hîc requiritur aliquid aliud tanquam applicatio, aut quid simile, applicatio enim non est inter causam & effectum, sed tantùm inter agens & passum, ut suprà dictum est.

Causa non est necessariò prior tempore effectu.

Ratio hujus à priori.

Nec est cur quis dicat, agens necessarium posse operari primo instante, non tamen agens liberum: primò enim Deus ab æterno habuit actus liberos. Deinde, Angelus primo instante quo creabatur, potuit elicere actum liberum, & de facto anima Christi primo instante suæ creationis obtulit se Deo Patri ad patiendum pro redemptione mundi, quòd enim aliquid temporis præcesserit in causâ liberâ antequam operaretur, parum refert, cùm solùm liberè operetur per vim innatam liberam, quam habet eo instante quo operatur, totum autem tempus quod præcessit, sicut in causis necessarijs, ita & in liberis, perinde se habet, atque si non fuisset. Unde dum Angelus operatur in secundo instante, perinde est atque si in eo fuisset primò productus.

VI. *Agens etiam liberum operari potest primo instante quo est.*

SECTIO II.

Objectiones contendentes rem permanentem non posse produci ab æterno.

OBjices primò: si ignis produceretur ab æterno, sequi, ignem fore combustivum ab æterno, & tamen nihil posse comburere, & consequenter non esse combustivum, sicque fore ignem & non fore. Contrà, Deus ab æterno est omnipotens, & tamen juxta adversarios nihil potest producere ab æterno, ergo est omnipotens, & non est omnipotens. Resp. ergo, ignem illum posse comburere ab æterno, si enim Deus crearet ignem ab æterno & prope illum materiam dispositam, posset ignis ab æterno in illam inducere formam ignis.

I. *Ignis ab æterno existens posset ab æterno producere ignem.*

Dices; implicat hoc contradictionem, sic enim ab æterno materia illa haberet, & non haberet formam ignis: non haberet, ut supponitur, cùm Deus materiam illam produceret sine omni formâ: haberet, cũ ignis ab æterno formam ignis in eam induceret, ergo simul haberet, & non haberet formam ignis. Resp. negando sequelam; haberet siquidem materia illa formam ignis, licèt eam non acciperet à Deo, sed ab igne, Deus enim non producit materiam illam excludendo formam, seu cum negatione formæ, nec ad unum instans, sed præcisivè se habet, ut ut agens totale, circa formam in illâ materiâ; non negativè, id est, Deus ut agens totale præbet concursum ad solam materiam dispositam, non tamen vult ut pro illo instante materia illa non habeat formam aliunde, sed solùm ut quantum ad hunc concursum Dei eam non habeat: quod est Deum habere se præcisivè, non exclusivè. Et idem est, si Deus nunc in instante A produceret simul solem & aërem, aër ille in eodem instante haberet lucem à sole in se productam, nec ad unum instans esset sine luce.

II. *In hoc casu non sequitur materiam habituram, & non habituram formam ignis.*

Urgebis; saltem si pulveri nitrato applicaretur ignis ab æterno, non posset illum comburere, & formam destruere, nisi post æternitatem, forma enim illa pulveris esset ab æterno, & non esset. Contrà, nec Deus, qui est omnipotens, potest juxta adversarios quidquam producere, nisi post æternitatem. Utrum

III.

Ignis productus ab æterno applicatus stupæ, non posset eam ab æterno comburere.

trum autem magis videtur mirum, Deum qui infinitam habet virtutem, nihil posse per totam æternitatem à parte antè producere, an ignem per totam æternitatem à parte antè non posse comburere? Instabis, non potest assignari certum instans, aut tempus, quando ignis ille posset primò comburere pulverem, nam ab æterno non potest. Contrà, nec etiam assignari potest certum instans aut tempus, quando Deus potest primò creaturam aliquam producere, ab æterno si quidem non potest juxta adversarios, ergo non est major difficultas in nostrâ sententiâ de igne respectu combustionis, quàm in illorum de omnipotentiâ respectu productionis cujuscunque creaturæ. De quo plura sec. sequente.

IV. *Obji. actum liberum fore, & non fore liberum.*

Objicies secundò: Angelum, si produceretur ab æterno, posse etiam ab æterno elicere actum liberum. Hinc autem sequitur, actum illum fore, & non fore liberum: fore, ut supponitur, non autem fore liberum probatur, actus enim ille necessariò debet continuari per æternitatem, quod enim ab æterno producitur, non potest ab æterno destrui.

V. *Variis modis ostenditur actum illum non simul fore, liberum & non fore liberum.*

Resp. primò, esse fortè peculiarem difficultatem quominùs talis actus liber posset ab Angelo produci, ob rationem jam positam. Secundò dici posset, si actus de libero transire possit in necessarium, actum liberè productum, continuari necessariò, ob circumstantias extrinsecas. Tertiò tandem dico, eandem esse difficultatem de actu libero Dei, quo voluit creare mundum, aut de alio quovis, qui tamen fuit ab æterno, & ab æterno liber. Clarè ergo hinc intelligitur posse actum esse ab æterno, & ab æterno liberum, imò esse liberum per totam æternitatem. Unde actus ille simpliciter esset liber, ad hoc enim sufficit, quòd tunc quando elicitur, potuerit non elici; ficque quòd Angelus liberè se flexerit ad hanc partem contradictionis, cùm potuerit non se flexisse: licèt posito quòd ab æterno se ad hanc partem flexerit, debeat actum continuare per totam æternitatem. Hæc tamen est necessitas tantùm consequens, seu ex suppositione quòd voluerit illo instante actum ilum elicere, posito enim quòd voluerit eum in illo instante elicere, debet necessariò eundem conservare, seu habere per æternitatem. Plura hac de re sect. sequente, n. 13.

VI. *Res producta ab æterno esset ex nihilo.*

Objicies tertiò: creatura omnis fieri debet ex nihilo, ergo ex negatione sui, ergo ab æterno erat illius negatio, ergo non potest res esse ab æterno, sic enim eodem instante esset res & illius negatio. Resp. rem esse ex nihilo esse eam produci sine subjecti concursu, non tamen ut procedat ex negatione sui, & hoc modo illud ex nihilo explicant S. Thomas, & alij, ut postea videbimus.

VII. *Objicitur auctoritas Patrum.*

Objicies quartò: Patres negant ullam creaturam potuisse existere ab æterno, & inferunt contra Arium, Verbum non esse creaturam, quia fuit ab æterno. Conf. innuunt frequenter Patres æternitatem esse propriam Dei, nec posse competere creaturæ.

VIII. *Solùm negant Patres creaturam exigere ut sit ab æterno.*

Ad argumentum, Resp. rectè Patres contra Arium probare Verbum, ex eo quòd fuerit ab æterno, non esse creaturam, cùm ex fide constet nihil creatum fuisse ab æterno. Ad confirmationem dico, Patres, dum æternitatem dicunt esse propriam Dei, solùm loqui de æternitate per essentiam, seu ita ut creatura aliqua exigat, ut sit coëterna Deo. Quo sensu dixit S. Aug. l. 12. de Civit. c. 15. Angelos, licèt semper fuissent, non futuros fuisse coëternos Creatori: *Ille enim*, inquit, *semper fuit æternitate immutabili, isti autem facti sunt.*

S. Augustinus.

SECTIO III.

An, & quid sit instans Æternitatis.

1. AD perfectam æternitatis cognitionem, plenamque præsentis de productione rerum ab æterno disputationis notitiam, plurimùm conducit hæc quæstio: quare, antequam ulteriùs in eâ progrediamur, expedit eam discussisse.

II. *Quid intelligatur per instans æternitatis.*

Per instans æternitatis intelligo instans aliquod imaginarium formaliter indivisibile, virtualiter tamen divisibile, immateriali quadam extensione excedens omne tempus etiam possibile, & imaginarium, illudque essentialiter petens antevertere, & in quo quicquid est dicitur esse ab æterno: quicquid autem in eo non est, quantumcunque, tempore etiam infinito, hoc instans, aut horam in qua sumus, antecesserit, non est ab æterno.

III. *Negant quidam instans hoc æternitatis.*

Negant quidam recentiores, qui esse aliquid ab æterno nihil aliud esse dicunt, quàm priùs & priùs extitisse in infinitum, nec posse certum tempus assignari, quando primò extiit.

IV. *Probatur tamen debere necessariò concedi.*

Existimo tamen concedi necessariò debere hujusmodi instans æternitatis. Probatur primò: nihil apud Patres & Theologos frequentius, quàm Deum esse ante omne tempus, etiam possibile, & hoc dicunt esse Deum fuisse ab æterno; ergo secundùm illos est instans aliquod, omne tempus antevertens, Deo proprium, & quod omne aliarum rerum consortium connaturaliter excludit.

V. *Pater in divinis non generavit Filium successivè, sed instantaneè.*

Probatur secundò: Pater in Divinis Filium suum, seu Verbum generans, non cum generavit successivè, sed instantaneè, ut constans habet Theologorum sententia, ergo cum generavit ante omne tempus, etiam imaginarium, & possibile, ergo concedi instans aliquod debet, ante omne tempus, in quo illum generaverit, hoc autem voco instans æternitatis. Conf. si quis dicat Patrem generasse Filium successivè, inquiro quantum temporis in illius generatione insumpserit, antequam verum esset dicere, jam est productus Filius æternus? quæ tamen facilè evitantur si hujusmodi instans statuatur, tempus omne essentialiter antecedens.

VI. *In æternitate non est prius & posterius, plus & minus.*

Probatur tertiò: docent Patres & Theologi in æternitate no esse prius & posterius, plus & minus, quod in hujusmodi instante virtualiter infinito, & indivisibili clarissimè explicatur. In sententiâ autem docente existentiam ab æterno solùm esse, quòd res priùs & priùs extiterit in infinitum, dici hoc non potest, cùm ibi sit prius & posterius, plus & minus, ut constat.

VII. *Dices ad hæc sufficere instans nostri temporis.*

Dices; probare hæc quidem debere instans aliquod dari, in quo Pater generavit Filium, & de quo alia suprà posita verificentur, non tamen est necessarium, ut sit instans hujusmod virtuale, sed sufficere momentum seu instans nostri temporis formaliter, & virtualiter indivisibile.

VIII. *Ostenditur Patres non loqui de instante nostri temporis.*

Contrà primò, S. Aug. S. Thomas, & alij Patres, dum de æternitate tà parte antè, non Dei tantùm, sed etiam participatâ loquuntur, ajunt in eâ reperiri necessariò debere immutabilitatem, & uniformitatem, tam in essendo, quàm in operando, ergo manifestum est non loqui eos de instante solùm nostri temporis, in eo enim non posse non esse immutabilitatem, & omnimodam uniformitatem, certius est, quàm ut probatione egeat. Dum ergo hoc peculiariter affirmant, & tam operosè probant de instante æternitatis, de longè alio instante loquuntur, quàm sit instans momentaneum nostri temporis, nempe de aliquo virtualiter divisibili.

IX. *Sequeretur Deum aliquando per unum tantùm diem, aut horam extitisse.*

Contrà secundò, si Pater Filium suum ab æterno genuit in instante nostri temporis, ergo verum est dicere Filium (& consequenter Patrem, totamque adeo Trinitatem) per unicum tantùm momentum aliquando extitisse, sicque similiter per unum tantum diem, aut horam nostri temporis durasse. Dignior ergo Deo, & illius æternitate est philosophandi modus, quem hîc amplectimur: dicimus enim nunquam ita propè ad initium existentiæ Dei perveniri posse, quin infinito adhuc intervallo Deus antecesserit: punctum enim hoc, seu instans æternitatis, quod dicimus esse ante omne tempus, licèt formaliter sit indivisibile, est tamen virtualiter multiplex, & infinitum à parte antè, adæquans, imò excedens infinities infinita tempora.

X. *Instans æternitatis essentialiter antecedit omne tempus.*

Hinc infero primò, instans hoc, quâvis divisibile, multiplex, & infinitum modo dicto, excludere tamen essentialiter à se coëxistentiam temporis ullius, etiam possibilis, cùm habeat prædicatum hujusmodi coëxistentiæ repugnans, petit enim essentialiter antevertere omne tempus, ut ostensum est. Licèt verò explicari non possit, nisi per tempus, non sequitur ipsi formaliter correspondere tempus, nec æternitatem hanc in se habere partes. Sicut ex eo quòd negationes explicari nequeant, nisi per res positivas, & res spirituales per corporeas, non sequitur, vel illas esse entia positiva, vel has quid corporeum.

XI. *Differentia inter æternum, & infinitum.*

Infero secundò, differentiam inter æternum & infinitum in durationè à parte antè, licèt enim aliquid anteriùs & anteriùs extiterit per varias successiones, & durationes in infinitum, non tamen fuit æternum, seu ab æterno, cùm non semper fuerit, sed aliquid illud anteceserit. E contrà verò si aliquid fuerit productum in hoc instante æternitatis, quamvis in nullo omnino tempore exiterit, sed adveniente tempore perierit, adhuc fuit ab æterno.

XII. *Quomodo res ab æterno producta non habeat principium in existendo.*

Infero tertiò, licèt hoc instans æternitatis antecedat omne tempus, non tamen dici posse rem in eo productam habere principium, in sensu Philosophorum negantium id quod est ab æterno habere principium: in sensu enim Philosophorum id solum censetur habere principium, quod incipit, ut ajunt, *intrinsecè*, seu, de quo dici possit, *nunc est, immediatè antè non fuit*; aut *extrinsecè*, de quo scilicet verum sit dicere, *nunc non est, immediatè post erit*. Quorum neutrum rei in instante æternitatis productæ convenit, ut constat.

XIII. *Res ab æterno productæ non durat necessariò nisi per instans.*

Infero quartò, rem ab æterno productam (ut Angelum, solem, aut actû liberum, de quibus sec. præcedente) non necessariò conservari debere nisi ad unicum hoc instans, & adveniente tempore imaginatio posse destrui. Duratio verò per quam in illo instante existebant, non erat divisibilis & successiva formaliter, sed tantùm virtualiter, sicut instans ipsum cui rem figebat; quæ proinde duratio, accedente tempore imaginario, vel possibili, destruitur. Si verò res, cujus erat duratio, Angelus ex. g. adhuc perseveret, loco durationis hujus instantaneæ accipit successivam. Quod etiam de negationibus ab æterno ad hoc usque tempus durantibus dici debet.

XIV. *Cur non sit punctum indivisibile immensitatis, sicut instans æternitatis.*

Quæres; cur, sicut pro æternitate statuimus hujusmodi instans virtualiter indivisibile, ante omne tempus imaginarium, cur, inquam, non statuamus aliquid indivisibile in spatio imaginario locali, ultra quod non sit assignabilis extensio localis? Resp. rationem esse, quòd non habeamus tale fundamentû, quod nos ad hoc urgeat, sicut ad illud. Deum scilicet fuisse, & Patrem æternum generasse Filium ante omne tempus possibile, quod manifestum est fuisse in instante, nam quocunque tempore vel spatio divisibili potuit esse tempus, ergo instans æternitatis petit antevertere omne tempus, ut suprà fusiùs est declaratum. Et eodem modo respondendum est, si quis opponat, in æternitate à parte pòst ejusmodi instans virtualiter infinitum non inveniri: dico enim non habere nos idem fundamentum ad unum asserendum, quod habemus ad asserendum aliud. *Cur non sit instans æternitatis à parte post.*

SECTIO IV.

Vtrùm aliquid successivum potuerit esse ab æterno.

I. *Prima sententia est affirmativa.*

PRima sententia est affirmativa: ita Okam in 2. q. 8. & in quodl. 2. q. 5. Greg. in 2. d. 1. q. 3. Gabriel ibid. & alij Nominales. Vasq. 1. p. d. 177. c. 5. Perèrius l. 15 Phy. cap. 13. Conimb. 8. Phy. c. 2. q. 6. & 7. hoc problematicè defendunt quoad motum circularem, non quoad rectum. Arriaga d. 17. Phy. s. 2. Oviedo cont. 19. Phy. p. 3. & alij.

II. *Secunda sententia est negativa.*

Secunda sententia negat posse motum, aut rem ullam successivam esse ab æterno: ita Durand. in 2. d. 1. q. 2. & 3. Suar. d. 20. Met. s. 6. n. 13. Scotus 8. Phy. q. 2. Rub. 8. Phy. q. 3. n. 27. Val. 1. p. d. 3. q. 3. p. 2. §. *prima assertio*. Tol. 8. Ph. q. 2. Hurt. d. 18. s. 2. & 3. & plurimi ex recentioribus.

III. *Motus non potuit esse ab æterno.*

Prima Conclusio: motus non potuit esse ab æterno. Ratio in nostrâ sententiâ sect. præcedente explicatâ, est clara. Instans enim æternitatis est quid indivisibile, essentialiter antevertens omne tempus, etiam possibile, & imaginarium, ut ibidem ostendi, ergo implicat quidquam successivum in eo reperiri.

IV. *Nihil successivum, quà successivum potuit esse ab æterno.*

Secunda conclusio: nihil successivum, quà successivum potuit esse ab æterno. Hæc etiam conclusio videtur certa, nec egere nisi terminorum explicatione. Ad quod meliùs præstandum supponamus tempus & motum componi ex indivisibilibus. Probatur itaque conclusio: successivum quà successivum includit essentialiter prius & posterius, seu duo instantia, sed nulla duo instantia sibi invicem succedentia possunt esse ab æterno, quod enim est ab æterno, semper fuit, sed implicat de duobus instantibus affirmare quòd utrumque semper fuerit, si sibi invicem succedant, ergo. Idem est in opinione, tempus, & res omnes successivas componente ex partibus, cùm enim nulla pars sit, quæ non sit divisibilis successivè, nulla est quæ non includat prius & posterius, sicque idem hîc redit argumentum.

V. *Potest dari series continuata durationum ab æterno usque ad hunc diem.*

Tertia conclusio: potest dari series continuata durationum ab æterno, usque ad præsentem diem: continuata, inquam, non continua. Explico conclusionem: continuata dicuntur quæ non sunt interrupta, seu inter quæ nulla intercedit intercapedo, aut intervallum, sed perpetuo ordine & concatenatione sibi invicem succedunt. Ut autem aliqua sint continua requiritur ulteriùs ut sint ejusdem rationis, ita ut sibi invicem uniri possint. Quod suo etiam modo verum est de rebus successivis.

VI. *Duratio Angeli in instante æternitatis non potest continuari cum sequentibus.*

Probo ergo conclusionem: Ponamus Angelum ab æterno productum conservari à Deo usque ad hodiernum diem: hic Angelus necessariò semper habere deberet aliquam durationem, quæ ipsum determinaret, & ad coëxistendum instanti æternitatis, & toti tempori imaginario, quod jam inde ab instante æternitatis ad hanc usque horam fluxit. Hæ tamen durationes non sunt continuæ, sed tantùm continuatæ, seu non interruptæ; licèt enim reliquæ omnes durationes dici possint continuæ, duratio tamen illa, quæ Angelum fixit puncto æternitatis, non potest unum continuum successivum cum reliquis conficere, cùm specie ab ijs differat, utpote realiter indivisibilis, virtualiter autem infinitè divisibilis, & extensa.

Quarta

VII. *Dari possunt durationes à parte antè in infinitũ.*

Quartâ conclusio : dari possunt plures & plures durationes è parte antè in infinitum. Hæc conclusio patet in exemplo proximè posito Angeli ab æterno creati, & ad hanc usque horam conservati, hic enim plures & plures à parte antè habuisset durationes horarias in infinitum. Et de facto concedere hoc omnes debent, qui negationes admittunt à rebus possibilibus distinctas.

VIII. *Argumentum contrà durationes à parte antè infinitas.*

Contra hanc conclusionem hoc argumentum proponit P. Arriaga citatus n. 17. quod ait esse insolubile. In hac durationum infinitarum collectione, inquit, una esse debet prima : cùm enim continuâ serie sese invicem sequantur, unam dari necesse est quæ reliquas omnes antecedat; & sicut postrema harum durationum, nempe hodierna, habet quòd sequatur, & non præcedat, intermediæ quòd sequantur simul & præcedant, ita una à parte antè esse debet, quæ præcedat, & non sequatur. Hoc autem dici nequit, si enim inter eas detur prima, ergo dabitur initium æternitatis, quod implicat, Angelus enim, si fuerit ab æterno, non potest dici habuisse initium sui, seu incepisse.

IX. *Solvitur præcedens argumentũ.*

Hoc argumentum, quamvis in aliis de æternitate philosophandi modis vim habeat, in meâ tamen sententiâ non urget. Dico itaque, in infinitâ illâ durationum collectione, etiamsi concedamus fuisse aliquam primam, nulla tamen ex iis fuit ab æterno, utpote ante quas omnes præcesserit duratio indivisibilis correspondens instanti æternitatis, quam explicui totâ sectione præcedente, & hic n. 6. Deinde dico, etiamsi prima ex illis durationibus fuisset ab æterno, nihil per hoc derogari naturæ, & perfectioni æternitatis : quando enim philosophi negant rem ab æterno productam incipere, solùm negant eam incipere *intrinsecè*, seu, ut verum sit dicere, *nunc est, immediatè antè non fuit* : &c. De quo latiùs dixi sect. præcedente, n. 12.

X. Ex dictis infero, posse divinitùs dari generationes ab æterno ad hunc usque diem sine interruptione continuatas, ut suprà de durationibus dixi n. 6. & 7. Dico itaque, si Deus ab æterno creet ignem, & simul approximatam ei materiam dispositam, ignis ab æterno in materiâ illâ producet alium ignem. Deinde, si in singulis partibus subsequentibus, diebus scilicet, horis, aut etiam instantibus temporis imaginarij, apponatur successivè alia & alia materia, novi semper & novi sine intermissione producentur ignes usque in diem præsentem.

Difficultatibus quæ circa infinitum in hoc philosophandi modo occurrere possent, satisfiet postea d. 46. dum disputabitur de infinito.

DISPVTATIO XL.

De Motu, Actione, & Passione.

SECTIO PRIMA.

Definitio, & terminus Motûs.

I. *Motus est actus entis in potentiâ, prout in potentiâ.*

OMissis variis motûs definitionibus quæ in idem recidunt, Aristoteles l. 3. c. 2. & cum eo Peripatetici omnes hanc statuunt motûs definitionem : *Motus est actus entis in potentiâ, prout in potentiâ.* Quæ definitio non motum solùm, seu alterationem successivam complectitur, quâ scilicet qualitas aliqua successivè in subjecto producitur, ut volunt Conimb. l. 3. c. 1. q. 1. art. 1. sed alterationem etiam instantaneam.

II. *Explicatur definitio motûs suprà posita.*

Motus itaque est ratio formalis qua potentia activa & passiva, in quantum potentia activa & passiva sunt, prodeunt in actum, & exercent suam virtutem. Sensus proinde definitionis est, *motus est actus entis in potentiâ*, id est, entis in actu primo potentis, *prout in potentiâ*, id est, in quantum habet potentiam activam & passivam, seu ut motiva est & mobilis, vel in quantum est potens movere & moveri. Non tamen est necessarium ad motum, ut sit eadem res quæ habet potentiam activam & passivam, cujus motus sit actus & exercitium, nam actio quâ ignis, vel calor producit calorem in ligno, est verè motus, & actus seu exercitium potentiæ activæ ignis, & passiva ligni : licèt aliquando potentia activa & passiva in eandem rem concurrant, ut contingit in actibus internis.

III. *Actio ex conceptu suo non requirit terminum à quo.*

Circa secundum : terminus motûs duplex est, *à quo*, & *ad quem*. Circa quæ notandum, licèt actio ex conceptu suo, non requirat terminum *à quo*, sive positivum, sive privativum, ut constat si Deus ab æterno produceret rem aliquam, & in productione Verbi æterni, ubi nec fuit privatio termini, nec actionis, ex quâ terminus ille, & actio processerit : licèt, inquam, hoc ita sit, actio tamen sub conceptu motûs requirit terminum à quo, qui ad positionem rei per motum productæ destruatur, ut dum ex calido fit frigidum, ex albo nigrum &c. ac proinde debet inter hos terminos esse naturalis oppositio : unde albedo non est terminus à quo dulcedinis, nec dicimus, ex albo fit dulce, licèt quod erat solùm album, postea fiat dulce, non enim necessariò destruitur albedo ad positionem dulcedinis. *Sub conceptu tamen motûs, actio requirit terminum à quo.*

Aliqui motum & mutationem confundunt, qui consequenter dicunt ad motum non requiri nisi terminum à quo privativum, ut cùm aër ex tenebroso fit lucidus, anima ex non videntè, intelligente, amante, videns, amans, intelligens, &c. Alij tamen & meliùs, ad motum requirunt duplicem mutationem, positivam alteram, alteram privativam, & consequenter terminum duplicem *à quo*, privativum alterum, alterum positivum. Sic cùm lignum ex frigido fit calidum, illic desinit & frigus, & negatio caloris, sicque est duplex terminus *à quo*. Unde motus propriissimè dictus est inter qualitates contrarias, in quarum productione & corruptione subjectum mutatur duplici mutatione intrinsecâ, nempe & per carentiam formæ quam amittit, & per formam quam de novo acquirit. Alij demum volunt mutationem censendam esse quando forma inducitur in subjectum instantaneè, motum verò quando inducitur forma successivè, ut cùm calor paulatim producitur in ligno, vel manu. Sed est quæstio de nomine. IV. *Quomodo differant motus & mutatio.* *Motus includit duplicem mutationem.*

Motus ergo ut motus involvit in se denominationem extrinsecam, eadem siquidem numero actio potuisset existere, & non esse motus, ut de facto contingit in conservatione, quæ eadem numero perseverans in secundo instante & in primo, in secundo tamen non est motus. Deinde, si non esset frigus in ligno instante præcedente antequam in illud ignis inducit calorem, adhuc posset eâdem numero actione in illud induci calor, quâ modò inducitur & tamen actio illa non esset motus propriè dictus. V. *Motus est denominatio partim extrinseca.*

Dicitur

VI. *Ad motum requiritur, ut subjectū, uno saltem instante extiterit sine forma.*

Dicitur ergo actio motus seu mutatio, quando immediatè antè præcessit in subjecto carentia formæ, vel saltem actionis, secus quando non præcessit. Ubi notandum, non sufficere ad motum, præcessisse carentiam illam quomodocunque, (nam carentiæ omnes erant ab æterno) sed debet subjectum uno saltem instante habuisse illam carentiam, seu extitisse uno instante sine formâ. Unde in primâ rerum conditione, non fiebant res per motum, seu mutationem, quia licèt carentiæ fuerint antè, imò ab æterno, ut dixi, subjecta tamen non existebant, vel unico instante sine formis, seu cum carentiâ formarum. Et hæc de termino *à quo* motûs.

VII. *De termino* ad quem *motûs.*

Terminus ad quem *motûs est duplex*, qui & quo.

Alius terminus motus est terminus *ad quem*, illud scilicet, quod per motum producitur. Sicut enim terminus *à quo* motûs est illud, quod ad illius positionem destruitur, seu definit, ita terminus *ad quem* est illud, quod per motum ponitur, vel producitur. Hic terminus duplex similiter est, *qui*, & *quo*. Terminus *qui* est compositum ipsum: terminus *quo* est unio. Licèt enim compositum sit id quod producitur, unio tamen est *id quo* tanquam termino actionis constituitur. Actio tandem est id, *quo* tanquam ratione generandi producitur homo. Terminus itaque formalis productus in generatione compositi est unio: nam in generatione hominis nihil aliud producitur directè & immediatè, præter unionem, quæ est forma compositi, ut compositum est, datque actioni denominationem generativæ, quæ etiam ab unione producta dicitur unitio: licèt terminus formalis unitus possit dici anima.

VIII. *Angelus dici potest terminus formalis creationis.*

Quæres utrùm Angelus dici possit terminus formalis creationis? Quæstio tantùm est de modo loquendi. Dico itaque, licèt terminus formalis propriè dicatur tantum respectu compositi, utpote quod habet formam, quia tamen omnis terminus immediatus dat speciem actioni, ideò, licèt non ita propriè, dici poterit Angelus terminus formalis actionis creativæ.

SECTIO II.

In quo subjecto recipiatur Actio.

I. *Sermo est de subjecto (u stentationis.*

SErmo est de subjecto sustentationis, & de actione eductiva, seu passione, creatio enim subjectum sustentationis non habet, cùm sit productio rei independenter ab omni subjecto.

II. *Dicunt aliqui actionē subjectari in agente.*

Quoad subjectum ergo motûs seu actionis, (supponimus pro præsenti, actionem, & motum distingui ab agente & termino) dicunt aliqui actionem, etiam transeuntem, subjectari in agente. Sed contrà primò, ipsum nomen actionis transeuntis destruit hanc sententiam, in hoc enim differt actio transiens ab immanente, quòd hæc subjectetur in eodem principio, à quo procedit, non illa: in hac autem sententiâ omnes actiones essent immanentes. Licèt verò actiones immanentes sint in agente, non tamen in eo sunt ut agens est, sed ut patiens. Contrà secundò, hinc sequeretur Deum mutari physicè, & intrinsecè, si in se recipiat actionem, quâ producit ignem, lucem, calorem, &c. Contrà tertiò, actio & passio non distinguuntur, ut postea videbimus, sed passio non est in agente, ergo nec actio. Contrà quartò, sol non perficitur intrinsecè per calefactionem, seu actionem quâ producit calorem, vel argentum, aurum, & metalla in visceribus terræ, ergo actionem in se non recipit.

Contra hoc est, omnes enim actiones essent immanentes & Deus mutaretur physicè.

III. *Actio est relatio agēti proportionata.*

Dices; actio est relatio, quâ causa refertur & respicit effectum, ergo debet esse intrinseca agenti, cum relatio sit intrinseca fundamento. Resp. actionem esse quidem aliquo modo relationem, & respectum agentis ad terminum, modo tamen proportionato: cùm ergo agens ut agens non sit patiens, non debet in se recipere suam actionem. Actio itaque eo modo est exercitium, & relatio causæ, quo natura causæ postulat; si causa sit extrinseca, relatio est extrinseca, si intrinseca, intrinseca &c.

IV. *Alij dicunt actionem subjectari in termino. Sed contrà: hinc enim sequeretur ignem esse causam sui.*

Alij ergo asserunt, actionem non esse in agente, sed in termino, ut in subjecto sustentationis, ita ut terminus, ignis B v.g. productus, sit subjectum sustentationis, & verè causa materialis actionis, per quam producitur, & physicè in eam influat. Sed contrà, ergo ignis ille B erit causa sui, paret, non alio modo ignis A est causa ignis B, quàm efficiendo causalitatem seu actionem qua fit ignis B: ergo si ignis B in aliquo genere causæ producat suam causalitatem, & actionem, qua fit, erit in eodem genere causa sui. Conf. hinc sequeretur, terminum esse naturâ priorem se, priùs operari quàm esse, & alia hujusmodi.

V. *Actio eductiva, licèt adhæreat termino, subjectatur tamen in subjecto termini.*

Dicendum itaque, actionem & motum, licèt intrinsecè afficiant terminum, subjectari tamen solùm in subjecto termini, seu in eo subjecto in quo subjectatur ipse terminus, cujus est actio, seu ad quem terminatur. Actio v.g. productiva caloris subjectatur in eodem subjecto, in quo subjectatur calor, nempe in materiâ, vel quantitate ligni, actio productiva lucis subjectatur in aëre, & sic de aliis: ita Sua. d. 48. Met. s. 4 n. 13. Hurt. d. 11. Phy. s. 7. n. 57. Oviedo Cont. 12. Phy. p. 3. n. 7. & alij. Actio ergo est intrinseca & termino, & subjecto termini, sed diverso modo, est intrinseca termino ut termino, seu ut subjecto intimæ affectionis, intrinseca verò subjecto termini, seu mobili, ut subjecto sustentationis, quod solum propriè est subjectum.

VI. *Ratio conclusionis est, quia nihil aliud est, à quo sustentari possit actio, præter subjectum termini.*

Probatur conclusio: nihil enim aliud est in quo subjectetur actio, ergo subjectari debet in subjecto termini. Antecedens jam suprà ostensum est, nam nec in agente subjectari potest; nec in termino, ergo. Conf. nihil sequitur incommodi ex eo quòd subjectetur actio in subjecto termini, ergo in eo poterit subjectari. Conf. secundò, causa materialis debet esse naturâ prior effectu, & consequenter prior causalitate effectûs; sed nihil est quod possit esse prius naturâ actione eductivâ, seu causalitate effectûs, nisi vel agens, vel subjectum termini; agens autem non est subjectum actionis eductivæ, & causa materialis illius, ut probatum est, ergo passum, seu mobile esse debet illius subjectum. Conf. tertiò, actio & passio identificantur, sed passio est in mobili, ut in subjecto sustentationis, ut postea ostendetur, ergo & actio.

VII. *Eadem forma diversis subjectis dat diversum effectum formalem: & quare.*

Dices; si actio est in passo seu mobili, denominabit illud agens. Nego antecedens, nihil enim frequentius, quàm ut varietur denominatio, & effectus formalis pro diversâ capacitate subjecti, licèt forma sit eadem. Sic eadem unio denominat materiam informatam, & formam informantem, eadem visio oculum videntem, & parietem visum, & sexcenta hujusmodi. Cujus ratio est, quia effectus formalis non est sola forma, sed subjectum forma & unio, unde tam potest variari effectus formalis per variationem subjecti, quàm formæ: sicque diversus esse potest, licèt forma sit eadem.

SECTIO III.

Quomodo motus distinguatur ab Actione & Passione, & Actio & Passio inter se.

I. QUoad primum, certum est motum non esse de conceptu actionis & passionis, tum quia creatio

Motus non est de conceptu actionis & passionis.

tio est actio, & non motus: item in conservatione reperitur actio & passio sine motu: præterea in primâ rerum conditione, quando simul cum subjecto producebatur forma, & ex illo educebatur, subjectum nec ad unum instans existebat sine formâ, & consequenter non erat motus propriè dictus, ut sect. 1. ostensum est, ergo motus propriè dictus distinguitur ab actione & passione.

II. *Actio tamen, & passio sunt de conceptu motûs.*

Actio tamen & Passio sunt de conceptu motûs. Patet, nam movere est formaliter agere, & moveri est formaliter pati, ergo Actio & Passio sunt de conceptu motûs; motus enim est id per quod agens seu movens movet, & mobile movetur. Motus verò propriè talis supra conceptum Actionis & Passionis connotat carentiam formæ vel actionis in subjecto, in instante, vel tempore præcedente inductionem formæ, ut suprà dixi, sicque motus distinguitur ab actione & passione sicut includens ab incluso.

III. *Aristoteles ait motum differre tantùm ratione ab actione, & passione.*

Quoad secundum de distinctione Actionis à Passione. Aristoteles l. 3. t. 19. absolutè asserit Actionem, & Passionem idem esse realiter, differre tamen ratione, ut viam acclivem & declivem, *viam* scilicet *Thebis Athenas, & Athenis Thebas.* Actionem ergo esse realiter eandem cum Passione probatur, nam alioqui Passio vel produceretur per actionē ab ipsâ distinctam & ad eam terminatam, vel non; non secundum, sic enim daretur entitas in rerum naturâ, quæ nec esset actio, nec haberet actionem ad se terminatam. Non etiam primum, nam vel illa actio educitur ex potentiâ alicujus subjecti, & consequenter est Passio, sicque habemus intentum, nempe Actionem & Passionem non distingui realiter; vel non educitur, & est creatio, sicque res naturales in omni actione creant. Deinde, Passio cùm sit essentialis dependentia à subjecto, non potest creari, ergo non potest ad eam terminari actio creativa. Præterea Passio non est terminus, sed via subjecti ad terminum, ergo non potest ad illā terminari Actio.

Probatur actionem non distingui à passione.

IV. *Actio, quâ ignis producit formam ignis, est simul passio.*

Secundò probatur, quando ignis educit formam ignis è materiâ ligni, eductio illa est Passio: patet, nam est dependentia formæ ignis à subjecto, ergo hîc Actio & Passio identificantur. Conf. si illa productio non sit passio, & dependentia formæ ignis à subjecto, ergo est independentia, ergo creatio, ergo denominat terminum independentem à subjecto, sicut modò actio quâ Deus conservat quantitatem panis in Eucharistiâ sine omni subjecto.

V. *Prædicamenta non distinguuntur omnia realiter.*

Nec objiciat quispiam distinctionem prædicamentorum: hæc enim omnia non necessariò distinguuntur realiter. Unde multi, ne quidem substantiam & quantitatem distingui à se invicem volunt realiter. Nec etiam dicat eandem causalitatem non posse provenire à diversis causis; id enim constat esse falsum, si causæ sint partiales, præsertim si ab unâ proveniat intrinsecè, ab aliâ extrinsecè, ut constat in visione procedente à potentiâ & specie, & in alijs infinitis.

SECTIO IV.

Divisio & specificatio Motûs & Actionis.

I. *Variæ acceptiones motûs.*

VArijs modis accipitur Motus; alius enim est Motus terminatus ad substantiam, & peculiariter vocatur *generatio*: cui opponitur corruptio. Motus ad quantitatem vocatur *accretio*, actio scilicet illa, quâ nova acquiritur, & adjungitur quantitas priori. Motus ad qualitatem vocatur *alteratio*, quia scilicet aliter se habet subjectum per qualitatem, quàm antea, sicque alteratur. Motus ad Vbi vocatur *motus localis*, & *latio*, per quam scilicet fertur corpus ab uno loco in alium. Ad relationem non datur Motus, nisi per accidens, ut ex Aristotele docent communiter Philosophi.

II. *Motus physicus continuus & discretus.*

Dividitur generatim Motus (non est sermo de locali) in successivum, & instantaneum, licèt solus successivus nomen Motûs propriè obtineat, instantaneus enim vocatur potiùs mutatio quàm Motus, ut suprà notavimus. Motus successivus vel fit per successionem continuam (ut cùm ignis actione continuatâ, per quadrantem e.g. sine ullâ intermissione comburit lignum, & in eo successivè producit formam ignis) vel per discretionem, & per morulas quasdam interruptas, & identidem quasi interciſas, ut si in instante A. ignis producat unam partem ignis, & motûs, seu actionis, in instante C. aliam, aliam in instante E, & sic interruptè agat, & non per successionem perpetuam continuando actionem.

III. *Terminus per motum physicum successivè acquisitus, manet totus simul. Secus contingit in motu locali corporum.*

Terminus tamen successivè per motum acquisitus, imò & motus ipse productus successivè, manere potest, & de facto manet postea totus simul: per accidens enim est quòd calor ille producatur successivè. Hoc tamen non contingit in Motu locali saltem corporum; cujus ratio est, quia scilicet prout res mutat locum, nova semper & nova ubicatio producitur, & prior necessariò deperditur: at verò in calore acquisito successivè, non necessariò perit prior gradus acquisito secundo, sed manet simul cum eo naturaliter, & per accidens est quòd acquiratur successivè, nempe ratione contrarij. Dixi, saltem in motu locali corporum: si enim Angelus existens in palmo spatij, manens priori loco extendat se versus Orientem ex. g. nil obstat quo minùs in fine motûs simul cum priori palmo ubicationis, retineat omnes reliquas, jam per motum successivè acquisitas.

IV. *Duplex cujusque rei specificatio intrinseca, & extrinseca.*

Quoad specificationem Motûs, notandū, unamquamque rem formaliter, & intrinsecè specificari à suâ entitate, ut homo ab animâ rationali, & prædicatis suis intrinsecis: hîc autem non quærimus intrinseca hæc specificativa motûs, sed extrinseca, seu illa, à quibus tanquam terminis, relatio transcendentalis specificationem suam desumit, non formaliter & intrinsecè, sed arguitivè & consequenter, sicut visio specificatur ab objecto, materia prima à formis, relatio in opinione S. Thomæ, & Aristotelis, à fundamento & termino, &c. Hic ergo inquirimus utrùm ex diversitate termini, agentis & passi arguatur distinctio specifica actionis, ita ut arguere possimus tanquam à signo, *tendunt duæ actiones ad terminos vel agentia specie distincta, ergo distinguuntur specie actiones ipsæ.*

V. *Diversus modus tendendi reddit actionem specie diversam.*

Certum inprimis est, diversum modum tendendi sufficere ad specificam diversitatem actionum, licèt sint ab eodem agente, & ad eundem terminum, ut actio quâ Deus crearet formam materialem ignis, distinguitur specie ab actione quâ Deus formam illam eandem produceret per generationem: sicut specie ex modo tendendi differunt simplex apprehensio & judicium, licèt & ab eodem intellectu sint, & de eodem objecto. Sed hæc distinctio actionis non spectat ad præsentem quæstionem, hîc enim non inquirimus specificativa intrinseca, sed extrinseca.

VI. *Distinctio specifica terminorum reddit actiones specie diversas.*

Dico itaque primò: sola distinctio specifica terminorum sufficit ad distinguendum specie diversas actiones, quæ ad illas terminantur. Probatur, sicut enim visio albedinis & nigredinis distinguuntur specie, quia objecta, seu termini sunt specie distincti, ita & actiones productivæ terminorum specie distinctorum, specie similiter distinguentur: nec enim est major ratio cur actiones intentionales specificationem à suis terminis desumant, quàm physicæ à suis. Imò multo minor est ratio, cùm actiones intentionales

tionales extrinsecè solùm terminentur ad suos terminos, physicæ verò intrinsecè afficiant suos. Conf. non est minor ratio cur actiones specificentur à terminis, quàm uniones ab extremis, cùm actiones sint etiam uniones sui ad suos terminos. Conf. secundò, tota essentia actionum est ut sint via ad terminos, & consequenter habent totam suam essentiam in ordine ad suos terminos, ergo sicut esse habent in ordine ad illos, ita & specificationem.

VII. *Eadem numero actio terminari potest ad terminos specie distinctos.*

Hinc tamen non sequitur quin sicut eadem numero visio potest terminari ad albedinem simul & nigredinem, ut in Logicâ dixi, & eadem unio ad extrema specie diversa, materiam scilicet & formam, sic & eadem numero actio terminari similiter possit ad diversos effectus specie distinctos. Quod ergo dicimus, est, actionem productivam caloris tantùm, esse specie distinctam ab actione productivâ frigoris, vel dulcedinis tantùm; sicut visio albedinis tantùm, est specie diversa à visione nigredinis tantùm.

VIII. *Diversitas specifica subjecti reddit actionem specie diversam.*

Dico secundò: diversitas specifica solius subjecti sufficit ad arguendum diversitatem specificam actionum: actio v.g. generativa, quâ Deus educit gratiam è potentiâ animæ, est specie diversa ab actione quâ educit gratiam è potentiâ Angeli. Ratio est, quia non minùs intrinsecè & essentialiter respicit actio eductiva, seu passio subjectum, quàm unio extrema, vel quàm eadem actio terminum, & visio objectum; sed unio, actio, & visio specificantur ab extremis, termino, & objecto, ergo & actio seu passio specificabitur à subjecto. Major probatur, actio quippe non minùs intrinsecè unit se passo, quàm termino, estque intima & intrinseca illius affectio, ergo specie distinguetur ad distinctionem specificam passi, seu subjecti.

IX. *Diversitas specifica agentium totalium reddit actiones specie diversas.*

Dico tertiò: sola etiam diversitas agentium totalium sufficit ad variandam specie actionem. Est contra P. Hurt. d. 11. Phy. s. 8. n. 65. & alios nonnullos. Probatur, non minùs essentialem ordinem dicit actio ad agens, quàm vel ad subjectum, vel ad terminum: ergo non minùs specificationem ab agente sumet, quam à subjecto, vel termino. Dixi, *agentium totalium*, non enim nego diversas causas specie ad eandem numero actionem posse concurrere, ut de facto sol & ignis producit ignem, & Deus cum omni re creatâ ad effectus quoslibet concurrit.

X. *Unde sumatur distinctio numerica actionum.*

Dico quartò: multiplicantur numero actiones pro multiplicatione numericâ agentis, subjecti, vel termini. Ratio est quia actiones sunt modi, sed non potest modus unius rei esse modus alterius, ergo quot sunt termini distincti, agentia, vel subjecta, tot esse debent actiones saltem numero distinctæ. Nec tamen necessariò multiplicantur numero vel à loco, vel tempore, cùm eadem actio diversis locis, ac temporibus, & primò produci possit, & conservari. Nec etiam specificantur actiones à termino *à quo*, non enim apparet cur eadem numero actio non potuisset calorem vel ignem in materiâ ligni producere, licèt nullum in eâ frigus, aut forma ligni, vel carentia caloris, aut formæ ignis præcessisset: per accidens enim est actioni ut actio est, quòd in materiâ præcesserit, vel positivus aliquis terminus *à quo*, vel privativus. Per accidens, Inquam, est actioni ut actioni, nam ut actio est mutatio & motus, requirit privationem in subjecto præcessisse, ut suprà ostendimus sect. 1. Conceptus autem mutationis, & motûs est actioni extrinsecus.

Terminus à quo non variat actionem.

SECTIO V.

Alia quædam de Motu, & Quiete; & præcipuè utrùm moveri idem possit motibus contrarijs.

EX dictis infertur primò, in omni motu ab uno positivo contrario ad aliud positivum, duplicem intervenire mutationem, positivam alteram, quando scilicet inducitur, & destruitur terminus positivus, ut dum inducitur calor, & expellitur frigus, alteram privativam, quando nimirum expellitur una privatio, nempe caloris, & inducitur alia privatio, nempe frigoris. Quando autem non præexistit terminus positivus in subjecto, est unus tantùm motus, seu unica mutatio, nempe à privativo in positivum. I. *Duplex in motu mutatio.* *Mutatio positiva, & privativa.*

Infertur secundò, non posse idem naturaliter moveri simul motibus contrarijs ad loca adæquatè diversa: adæquatè, inquam, diversa, nam nil vetat quo minùs eadem res indivisibilis moveri simul possit motibus contrarijs ad diversa loca inadæquatè distincta, ut dum quis simul attollit unam manum, & deprimit alteram, anima simul movetur sursum & deorsum: sicut etiam cùm Angelus existens in puncto, vel palmo spatij, simul extendit se undequaque ad omnes partes suæ sphæræ; in his enim casibus tam anima quàm Angelus movetur simul motibus contrarijs ad loca inadæquatè distincta, id est, non discontinua. II. *Nihil moveri simul potest naturaliter motibus contrarijs ad loca adæquatè diversa.*

Probatur illatum: si idem simul moveretur motibus contrarijs, esset simul in diversis locis adæquatis, & discontinuis naturaliter. Patet sequela, si eodem tempore quo Petrus movet se versus Orientem, Paulus illum moveret versus Occidentem, Petrus simul & semel accederet versus Orientem & Occidentem, ergo simul acquireret locum versus utramque partem, ergo simul esset in duobus locis discontinuis naturaliter, quod tamen fieri non posse ostensum est suprà d. 35. s. 1. & 2. Conf. peculiariter pro rebus corporeis, sequeretur siquidem, duas partes quantitatis penetrari secum naturaliter. Probatur, nam si Petrus simul movetur versus Orientem & Occidentem lineâ rectâ, frons, & occiput, pectus & humeri secum penetrarentur, nam si lineâ rectâ movetur versus utramque plagam, singulæ partes debent lineâ rectâ per se transire, ut est manifestum, & consequenter invicem naturaliter penetrabuntur. Quæ tam clara videntur, ut non sit opus quidquam aliud adjungere. III. *Sequeretur enim idem esse simul in duobus locis discontinuis.* *Imò & duo quanta inter se naturaliter penetrari.*

Contra hoc tamen multæ objici possunt, & solent experientiæ, ut de nauta in navi, qui versus septentrionem incedit, dum navis fertur versus meridiem: de formicâ, vel muscâ in rotâ, de motu cœlorum, ubi sol e. g. à primo mobili movetur motu raptûs ab Oriente in Occidentem, & simul motu proprio à suâ intelligentiâ impresso movetur ab Occidente in Orientẽ. Ad hæc tamen omnia. Resp. eodem modo moveri, solem scilicet unico tantum motu ferri, nam impetus impressus versus Orientem e. g. vel est major, vel minor, vel æqualis cum impetu impresso versus Occidentem; si sit major, ergo res per illũ fertur simpliciter, & acquirit locum versus Orientem, versus Occidentem autem non movetur omnino, licèt motus ille versus Orientem nonnihil retardetur ex resistentiâ alterius agentis. Si impetus Orientem versus sit minor, fertur simpliciter versus Occidentẽ; si æqualis sit uterque impetus, non movetur omninò, sed manet in eodem loco, quo priùs. Licèt autem nauta, musca, & formica simpli- IV. *Solvuntur objectiones de nautâ in navi, formicâ in rotâ, & sole in cœlo.*

Dum pedes nauta in navi movetur, corpus manet immotum.

simpliciter maneant in eodem loco secundùm corpus, pedes tamen moventur, ut est manifestum, cùm, dum pes ille, qui tangit navem, fertur versus Occidentem impulsu navis, alter moveatur versus Orientem, sicque paulatim longiùs à se disjunguntur, ex quo apertè constat eos moveri. Dum autem pedes in diversa feruntur, corpus quasi libratum manet in eodem loco, si pes, qui movetur versus Orientem, æquè celeriter moveatur, ac pes qui fertur motu navis versus Occidentem.

V. *Ex duplici impetu fit nonnunquam motus obliquus.*

Hæc autem intelligenda sunt si uterque impetus imprimatur versus partes sibi è diametro oppositas, ut versus Orientem & Occidentem lineâ rectâ, tunc enim impetus minùs vehemens non movet corpus, sed solùm retardat impetum contrarium vehementiorem. Si verò alter impetus non è diametro, & lineâ rectâ imprimatur, sed aliquantulum obliquè, tunc nec simpliciter movetur versus Orientem nec Occidentem, sed obliquè ad punctum aliquod prope punctum Orientis vel Occidentis, ut contingit in motu solis qui est motus obliquus, & modificatus, nunquam secans idem punctum Zodiaci, & horizontis.

VI. *Idem est dum homo tendens versus Orientem, brachium protendit versus Septentrionem, aut Meridiem.*

Idem est dum homo movens se versus Orientem eodem tempore protendit brachium, non versus Occidentem, sed septentrionem, vel meridiem. Nec urget quod objici posset, versus quamcunque partem movet se homo, necessariò debere ipsum ferre secum omnes suas partes; hoc enim verum est nisi aliqua pars contranitatur. Præterea idem est, licèt conceptu sit paulò difficilius, in rotâ currûs, quæ dum currus movetur versus Orientem, & consequenter rotam illam fert versus Orientem, moveri tamen simul videtur versus alias partes: dicimus enim eodem modo, moveri rotam simpliciter versus Orientem cum curru, sed motu modificato, mixto ex circulari & recto, nam si spatium quod tunc conficit rota illa, si delinearetur in aëre, inveniretur non esse omnino circularis: unde in terra ubi orbitâ signat locum, apparet motus ejus rectus.

VII. *Satisfit auctoritati Aristot. circa motus contrarios.*

Dum autem Aristoteles 2. de cælo, c. 2. ait omnes orbes cælestes, præter primum mobile, moveri duobus motibus, altero proprio versus Orientem, altero raptûs, seu à primo mobili impresso, quo feruntur versus Occidentem. Resp. vel loqui ipsum de duobus motibus virtualiter, vel de duplici motu in actu primo, id est, quòd duplicem impetum contrarium in se recipiant, alterum ex naturâ suâ propellentem versus unam partem, alterum versus contrariam.

VIII. *Motus ut successivus produci nequit in instante.*

Quæres primò, utrùm motus successivus produci possit in instante? Resp. ut successivum non posse, ut vel ipsum successivi nomen ostendit. Sicut tamen calor ut sex, productus successivè, potuisset totus produci simul, sicut totus simul conservatur, idem dici posset de motu.

IX. *Quies duplex, positiva, & privativa.*

Quæres secundò, quid sit quies? Resp. quietem esse duplicem, positivam, & negativam. Quies negativa est privatio formæ, quæ per motum acquiri solet, sive ea accidentalis sit, ut calor, frigus, &c. sive substantialis, ut forma ignis, lapidis, &c. Quies positiva dicitur, quando forma per motum acquisita, ut calor, ignis, ubicatio, finito motu conservatur. Sed de his satis.

SECTIO VI.

An motus, seu actio generativa distinguatur ab agente, subjecto, & termino.

I. Actio, inquam, generativa, seu eductiva termini è potentiâ subjecti: creatio enim distinguatur necne ab agente & termino, videbimus disp. sequente.

II. *Prima sententia negat actionem distinctam.*

Prima sententia docet actionem eductivam non esse distinctam ab agente, subjecto, & termino: ita plerique Nominales, Ockam in 1. d. 30. q. 2. Greg. in 1. d. 28. q. 2. ad 13. Gab. in 1. p. 30. q. 4. ar. 1. concl. 3. Sotus 3 Phys. q. 2. Tol. 3. Phy. q. 3. art. 2. Valent. 1. p. d. 3. q. 2. p. 1. §. *Si autem creatio*, & alij nonnulli.

III. *Secunda sententia admittit actionem distinctam.*

Secunda sententia asserit actionem eductivam modaliter saltem distingui ab agente, subjecto, & termino: ita S. Thomas 1. p. q. 45. ar. 3. in arg. *sed contra*. Suar. d. 40. Met. s. 2. n. 5. Rub. 3. Phy. s. 4. n. 26. & 30. Murcia 2. Phy. d 4. q. 12. §. *Hoc supposito*. Durand. in 3. d. 5. q. 2. n. 4. Hurt. d. 11. Phy. s. 2. n. 7. Arriaga d. 9. Phy. s. 3. n. 18. Oviedo cont. 12. Phy. p. 1. n. 9. estque communis ferè hodie sententia.

IV. *Actio eductiva distinguitur ab agente, subjecto, & termino.*

Conclusio, actio eductiva necessariò distinguitur ab agente, subjecto, & termino: ita auctores secundæ sententiæ. Probatur communi, & in similibus omnibus efficaci argumento: possunt existere à parte rei entitas agentis, etiam approximata, entitas passi, & entitas effectûs, ut ignis A, materia A, & ignis B, & tamen ignis B non dependere, vel produci ab igne A; ergo ignem B produci ab igne A est aliquid aliud, quàm hæc tria existere, etiam approximata, ergo superaddi debet aliquid aliud. Conf. videmus indies effectus mutare causas, ut calor qui primò producebatur à sole, posteà conservatur ab igne. Vel Deo, ergo effectus ipse non est formalis dependentia à tali determinatâ causâ, cùm existere possit, & ab illâ non dependere, ergo effectus non est actualis dependentia à tali causâ, sic enim non posset ab ea non dependere.

Effectus sæpè mutant causas.

V. *Angelus videns intuitivè effectum videbit à quâ causâ dependeat.*

Secundò probatur: sint applicata æqualiter duo agentia, duo ignes v.g. sufficientes ad producendum eundem effectum, qui sit intra sphæram utriusque, effectus tamen producatur vel conservetur ab altero tantùm, quòd facilius percipitur si alter ignis applicetur post productum jam effectum à priori igne: Angelus intuens effectum, videbit à quo agente pendeat, cùm hæc sit veritas naturalis, naturaliter cognoscibilis, & non excedens virtutem & perfectionem Angelicam, ergo videt aliquid in effectu, per quod pendeat ab una causâ potiùs quàm aliâ: Hoc ergo debet esse actio. Conf. in casu posito velit Deus, ut ignis productus, vel conservatus ab igne A, posteà pendeat & conservetur ab igne B, manente adhuc illic igne A, quæro, quid videbit Angelus diversum? certè nihil præter novam dependentiam, & causalitatem, cùm ambæ entitates, ut suppono, maneant eædem, & eodem modo approximatæ.

VI. *Aliud est ad præsentiam rei alicujus produci, aliud ab illâ produci.*

Dices; videbit ignem illum jam produci, vel conservari ad præsentiam ignis B. Contrà, produci ad præsentiam ignis B, non est idem ac dependere ab igne B, cùm produci possit in illius præsentiâ, & tamen ab illo non dependere. Conf. secundò, potest Deus efficere ut eadem res producatur per duplicem actionem totalem, seu à duobus agentibus ut à causis totalibus: quid tunc diversum efficit Deus, ac quando dependet res illa ab iisdem causis tanquam ab uno solùm agente totali, ita scilicet ut mutuò attemperent virtutem? certè attemperatio virtutis in

actu secundo intelligi nequit sine aliquâ actione.

VII. *Esse rem, & non dependere ab aliâ causâ, est dependere ab hac argutivè, non formaliter.*

Dices; producit ignem ab hac causâ, est ignem existere, & non dependere ab aliâ causâ. Contra primò, dependere seu produci ab hac causâ est conceptus positivus. Contrà secundò, non dependere ab aliâ causâ, cùm sit negatio, debet esse alicujus positivi negatio, ergo dependentia hæc, cujus illa est negatio, est aliquid positivum. Resp. itaque, arguitivè quidem benè inferri ignem existentem, & ab aliâ causâ non dependentem, dependere ab hac, cum existere, nisi à causâ aliquâ productus, non possit. Non tamè hinc sequitur, produci ignem A ab igne B, esse ignem A non dependere ab aliâ causâ. Sicut si Petrus nec sit Paulus, nec Joannes, nec aliis quispiam ex hominibus, est Petrus, non tamen propterea rectè quis intulerit, esse Petrum formaliter esse conceptum negativum, nec aliud dicere, quàm eum non esse Paulum, Joannem &c. *Res hæc declaratur exemplo.*

VIII. *Ostenditur actio distincta ex successivâ varietate in rerum conservatione.*

Tertiò probatur: eundem effectum, formam ignis v. g. potest Deus conservare vel simul, vel successivè per concursum generativum & creativum, ergo quando hoc facit, quæro quid diversum facit in uno casu, & in alio? Conf. quando Deus suspendit concursum generativum, vult suspensionem alicujus concursûs, sed suspensio illa est negatio, ergo vult negationem alicujus concursûs, ergo ille concursus erat aliquid præter subjectum, agens, & terminum, nam vult hæc omnia adhuc ut suppono, ergo hæc negatio est negatio alicujus alterius, nempe actionis.

IX. *Actio eductiva non est voluntas Dei.*

Dices; actio eductiva est voluntas Dei quâ vult ignem B produci ab igne A, & educi è tali subjecto. Contrà, potest Deus velle ignem A, ignem B, & tale subjectum, etiam simul & approximata, & tamen non velle ut ignis B producatur ab igne A, & educatur ex illo subjecto; imò potest velle contrarium, nempe, ut creetur, vel educatur ex potentiâ alterius subjecti, & ab alio agente producatur, ergo voluntas illa vult aliquid novi ex parte objecti, cùm habeat aliud objectum quàm hæc posterior, ut constat. Illud ergo aliud quærimus quid tandem sit?

X. *Idem ulteriùs ostenditur.*

Quòd eodem modo urget, quando Deus vult ut duo agentia applicata jam agant ut duplex agens totale, jam ut unum, jam ut omninò non agant, & alia, quæ posuimus superiùs; quæ omnia sunt quidem effectus diversæ voluntatis Divinæ causaliter, sed non formaliter, ita scilicet ut voluntas Divina sit ipsa ratio formalis per quam fiant, sed solùm diversa ratio causalis, seu effectiva. Voluntas enim diversa debet aliquid diversum efficere ex parte effectûs, alioqui dicere eodem modo quis posset, parietem esse album, aut nigrum, nihil esse aliud, quàm diversam virtualem voluntatem Dei. *Voluntas Dei est actio causalis, non formalis.*

XI. *Angelus non posset videre effectus naturales.*

Conf. Angelus, ut suprà dixi, potest videre effectus naturales, & à quo agente effectus talis producatur, quod tamen videre non posset, si productio esset voluntas Dei, hanc enim naturaliter videre non potest, cùm sit ipse Deus.

SECTIO VII.

Argumenta contendentia Actionem non distingui ab Agente, Subjecto, & termino.

I. *Actio est ipsa dependentia, sicut alia non indiget.*

OBjicies primò: Actio est etiam effectus causæ, ergo Actio deberet habere aliquid per quod producatur, & dependeat à suâ causâ. Nego consequentiam, Actio enim per se essentialiter pendet ab hac causâ determinatâ, & non est indifferens ut procedat ab aliâ; res autem absolutæ non sunt hoc modo determinatæ, nam calor B ex. g. est indifferens ut producatur ab igne, luce, vel sole, aut à calore A, vel à calore C, ac proinde, ut producatur & dependeat ab hac potiùs causâ, quàm aliâ, eget aliquo alio per quod determinetur ad dependendum ab hac potiùs causâ, quàm aliâ, præsertim cùm successivè dependere & conservari possit à diversis.

II. *Potest hoc agens, hic effectus, & hoc passum esse approximata, & tamen effectus ab illis non dependere.*

Objicies secundò: non possunt hoc agens, hic effectus, & hoc passum esse approximata, qui in hic effectus ab ipsis dependeat, ergo non est opus assignare aliquam aliam dependentiam, sed dependebit per se. Nego antecedens, nam licèt inter se sint approximata hæc tria, adhuc potest Deus effectum illum conservare per concursum creativum. Sicut licèt sol in instante A producat lucem in aëre concursu generativo, potest tamen Deus in instante B eandem lucem conservare concursu creativo, & efficere ut sol quantuncunque præsens, & applicatus non concurrat, tunc ergo inquiro quid velit Deus, & quid sit objectum hujus voluntatis, *volo ut sol jam non concurrat*? non est *volo ut sol non sit*, nec *ut non sit applicatus*, nam est adhuc applicatus, ut supponitur, cujus ergo rei negationem vult, omnia enim eodem modo manent, præter actionem, ergo vult negationem actionis, ergo erat anteà actio, cujus negationem jam vult Deus.

III. *Obj. causa necessaria non egere determinativo, cùm non possint non agere.*

Objicies tertiò: si ignis applicetur stupæ, vel sol aëri, non possunt non producere, hic lucem, ille calorem, & ignem, ergo non egent determinativo, cùm sint ex naturâ suâ determinata, ergo non est necessaria Actio, cùm Actio propterea solùm ponatur ut determinetur effectus ad dependendum ab hac potiùs causâ, quàm ab aliâ, hîc autem non potest effectus non dependere, seu non procedere ab hac causâ, cùm sit causa necessaria. Resp. primò, saltem hoc argumentum non probare quin in causis liberis dari adhuc debeat actio distincta, cùm sint indifferentes, & consequenter indeterminatæ ad agendum. Resp. secundò, de causis necessariis nego similiter consequentiam. Ad probationem dico, etiam applicato hoc agente huic passo, posse tamen effectum non dependere ab hoc agente, potest enim Deus impedire, & velle vel ut omninò non producatur, vel ut creetur lux ex. g. vel calor, sicque ut non producatur ab igne aut sole. *Respondetur argumento suprà posito.*

IV. *Caus. necessaria, aut determinata in actu primo, non in actu secundo.*

Dices; connotat præterea voluntatem Dei hîc & nunc applicantis suam Omnipotentiam, Contrà, hæc voluntas Dei, ut sæpè dixi, sine actione distinctâ, in quam tendat, intelligi non potest, debet enim esse voluntas alicujus alterius, præterquam agentis, & passi inter se applicatorum effectûs, & Omnipotentiæ Dei; hæc enim omnia velle potest Deus, & tamen nolle ut effectus ille producatur & dependeat ab illo agente, & subjecto, ut ostensum est. Unde ad id quod dicitur causam necessariam esse determinatam ex se ad agendum, ergo non eget alio determinativo, distinguo antecedens, est determinata in actu primo, id est, necessariò debet agere, & elicere actionem, ac producere effectum, concedo antecedens; est determinata in actu secundo, id est, est ipsa actio, nego. Sicut apertis oculis, & proposito debitè objecto, non potest potentia visiva non videre, sed est determinata ad videndum, non tamen etiam juxta adversarios, propterea potest videre per se, & sine visione distinctâ. Sicut ergo visio est determinatio intentionalis potentiæ intentionalis necessariæ ad objectum, ita actio est determinatio physica causæ necessariæ physicæ ad effectum. Dices; visio est determinatio vitalis. Contrà, quidni æquè poterit potentia vitalis esse viva, ac potentia non vitalis mortua determinatio sui? *Explicatur exemplo potentiæ visivæ.*

So-

V. *Declaratur amplius determinatio in actu primo, & in actu secundo.* Solùm ergo ex hac necessitate in actu primo habetur, debere, nisi aliquod impedimentum interveniat, necessariò sequi determinationem in actu secundo: & hæc est differentia inter causam necessariam, & liberam, quòd hæc nec in actu primo sit necessitata, & determinata ad operandum, sic tamen illa, utpote quæ, quandocunque potest, operatur necessariò, & determinat se agendum. Sic etiam, si Deus velit Petrum moveri, & parietem esse album, nec ille potest non moveri, nec hic non esse albus, sed uterque est determinatus in actu primo, ad motum ille, hic ad albedinem, uterque tamen ulteriùs eget determinativo formali, seu in actu secundò, nempe formâ aliquâ, per quam Petrus moveatur, & paries reddatur albus. Unde prior determinatio, seu in actu primo tantùm est mediata, remota, & effectiva determinationis formalis, non autem est ipsa formalis determinatio in actu secundo.

Determinatio causalis, & formalis.

Addo nihilominus, licèt res, quæ de facto sunt, producantur per actionem distinctam, cùm sint indifferentes, ut nunc ab hac causâ producantur, nunc ab illâ, nullam tamen mihi apparere implicantiam quo minùs dentur nonnulli effectus qui immediatè, & per se, seu sine actione distinctâ ab agente aliquo dependeant. Quod multi affirmant de actibus intellectûs, & voluntatis.

VI. *Non repugnant effectus dependentes per se à suis causis.*

DISPVTATIO XLI.

De Creatione.

SECTIO PRIMA.

Sitne possibilis Creatio.

I. *Quid nomine creationis intelligatur.* PEr Creationem, cum Patribus & Theologis omnibus intelligo *productionem rei ex nihilo.* Quam Creationis definitionem cum S. Thoma 1.p.q.54.ar.1.arg. *Sed contra*. admittunt Theologi omnes, ut testatur Vasq. 1.p.d.171.ca.1.n.1. & Tanner. 1.p.d.6.qu.1.dub.1.num.3. ait esse certam, atque ab omnibus receptam doctrinam. Et præter communem Theologorum consensionem, ita loquitur Beda in cap. 1. Geneseos, & Anselm. cap. 8. Monolog. & alij. Qua de re sect. sequente iterum redibit sermo.

II. *Aristot. negavit creationem, & mundum fuisse ab æterno.* Negat itaque Aristoteles Creationem esse possibilem, eâque de causâ mundum statuit ab æterno, ut esset commune aliquod subjectum, ex quo res omnes educerentur, unde ex nihilo aliquid fieri, seu non ex aliquo subjecto, omninò judicabat impossibile. Subjecti verò hujus nullum principium assignavit, ne si illud ab aliquo productum fuisse diceret, agnosceret creationem.

III. *In eodem errore fuit Plato, & alij quidam ex antiquis.* In hoc eodem errore fuisse Platonem, & alios nonnullos ex antiquis refert Tertullianus lib. contra Hermogenem cap. 1. & 8. Epiphan. hær. 7. Lactant. l. 2. de orig. errorum, & alij. Hos Philosophos multi secuti sunt ex Hæreticis, ut Hermogenes, Manichæus, & alij. Plato ergo, ne Creationem, seu productionem rei *ex nihilo* agnosceret, materiam negabat esse factam, sed ex se existentiam semper, & necessariò habuisse, fuisseque Deo coæternam: quem, ut dictum est, hac in parte plurimi secuti sunt ex Philosophis antiquis: adeò omnibus animo insederat *ex nihilo nihil fieri*.

IV. *Hoc ab omnibus censetur erroneum.* Hanc sententiam ut erroneam, Theologi omnes, & Philosophi sanctorum Patrum auctoritati innixi rejiciunt, & tanquam omninò falsam & improbabilem longissimè à Scholis ablegandam censent.

V. *Ren. Descartes 1.p. Phil. n. 75. Ex nihilo nihil fit. aut esse æterna veritatis.* Vereor tamen ne in eam recentior quidam non ita pridem inciderit, qui, licèt verbo tenus creationem admittat, re tamen verâ eam penitùs tollit, imò impossibilem esse affirmat. Ita enim cum Philosophis citatis principio illi *ex nihilo nihil fit* tenaciter adhæret, ut illud *æternæ veritatis* esse pronuntiet, cujus proinde veritas infringi nullâ ratione possit. Priùs ergo quàm hanc sententiam impugnem.

VI. Notandum cum Philosophis omnibus, propositiones *æternæ veritatis* esse illas, quarum veritas ejusmodi est, ut violari nullâ ratione possit, nec res per ullam potentiam, etiam Divinam, aliter se habere quam talis propositio affirmet. Hujusmodi propositiones in omnibus fermè scientiis reperiuntur, ut *homo est animal: Homo est rationalis*: in Physicâ, *Omne totum est majus suâ parte*: in metaphysicâ, *Non potest idem esse simul, & non esse*: in Arithmeticâ, *si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent, erunt æqualia*: in Geometriâ, *Triangulus rectilineus habet tres angulos æquales duobus rectis*: quibus contraria, inquit S. Thomas 1.2. cont. Gen. c. 25. n. 9. & 10. ne quidem Deus facere potest. Sicut, ut est manifestum, facere nequit ut homo sit, & non sit animal. His circa naturam propositionum æternæ veritatis prænotatis, sit

Quid sit propositio æternæ veritatis.

S. Thomas.

Conclusio: Certissimum est, hanc propositionem *Ex nihilo nihil fit*, non esse æternæ veritatis. Ratio est clara: propositiones namque *æternæ veritatis*, ut proximè dictum est, sunt illæ, quarum veritas ita fixa est ac firma, ut nec Deus contrarium illi facere possit quod hæ propositiones enuntiant, sed Deus potest facere contrarium illi quod hæc propositio enuntiat, ergo non est *æternæ veritatis*. Major & consequentia sunt claræ: minor probatur, Deus de facto hunc mundum produxit *ex nihilo*, licèt enim formas materiales eduxerit ex materiâ, tanquam ex subjecto, materiam tamen ipsam produxit *ex nihilo*, ut est certissimum, nec inficiari ullus potest, nisi labatur in errorem Philosophorum suprà positum, qui, ne, quidquam *ex nihilo* fieri concederent, materiam Deo coævam posuerunt, & improductam. Conf. Angeli *ex nihilo* producti sunt: cùm enim sint substantiæ totales & completæ, nequeunt ulli subjecto formarum instar uniri, sicque ex ejus potentiâ educi, ut est manifestum.

VII. *Hæc propositio* Ex nihilo nihil fit *non est æternæ veritatis.*

Probatur quia mundus ex nihilo *est factus.*

Angeli sunt ex nihilo.

Secundò probatur ex illo Machab. 2. cap. 7. v. 28. *Peto, nate, ut aspicias ad cælum & terram, & ad omnia quæ in eis sunt: & intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus.* Conf. ex illo Geneseos 1. v. 1. *In principio creavit Deus cælum & terram*: hoc est, (ut explicat Beda, & S. Thomas nu. 1. citati, & alij Patres) ea *ex nihilo* fecit. Certissimum ergo est, hanc propositionem. *Ex nihilo nihil fit*, non esse *æternæ veritatis*.

VIII. *Secundò probatur auctoritate Scripturæ*

Beda, S. Thomas.

Ratio demum à priori est: quamvis enim actioni creativæ naturæ vires sint impares, nec *ex nihilo*, seu non concurrente subjecto, facere quidquam possint; Deus tamen, cujus infinita est vis agendi, has naturæ leges infringere potest, & per se concursum subjecti perfectiori modo, seu in genere causæ efficientis supplere, ut de facto facit in speciebus Eucharisticis.

IX. *Ratio à priori, quare non sit æternæ veritatis ex nihilo nihil fieri.*

X. *Hæc Cartesij doctrina occasionem errandi præbet simplicioribus.*

Inveniet fortasse rationem aliquam hic auctor, quâ se ab hoc errore eximat, quam libenter videbo. In hoc tamen tractatu, in quo creationis naturam explicandam suscepi, dissimulare hoc non debui, ne in rebus Philosophicis minùs versati, ex hac ejus doctrinâ, errandi occasionem sumant, & cum Philosophis suprà citatis opinandi, mundum non *ex nihilo*, sed ex præjacente aliquâ materiâ fuisse conditum: quod sine dubio evidenter sequitur, si hæc propositio *Ex nihilo nihil fit*, sit *æternæ veritatis*.

SECTIO II.

Nonnulla circa Creationem: ubi, an idem terminus possit simul generari & creari.

I. *Creatio nonnunquam latè sumitur, & idem est ac productio.*

CReatio aliquando latè sumitur, prout idem est ac productio: sic res omnes dicuntur creaturæ, & Deus *creator cæli & terræ*: sic etiam dicitur *creasse cete grandia, & omnem animam quam produxerant aquæ*, licèt aquæ non crearent, & alia hujusmodi. Ideò tamen dici potest Deus hæc omnia creare, non quòd actio totalis ad res istas terminata sit creatio, cùm formæ & uniones plerumque educantur, sed quia actio determinata ad materiam, quæ est quasi fundamentum aliorum omnium, & basis totius compositi, ex quâ nimirum forma & unio educuntur, est creatio. Hic verò sermonem instituimus de creatione propriè, & strictè dictâ, & prout distinguitur ab actione eductivâ, quo sensu definitur à S. Thoma 1. p. qu. 45. art. 1. estque ab omnibus recepta definitio: *Creatio est productio entis ex nihilo.*

Definitio Creationis strictè sumptæ.

II. *Quid intelligatur per particulas ex nihilo.*

Magna hîc est inter auctores controversia quid intelligatur per particulas illas *ex nihilo*. P. Vasq. 1. p. d. 172. c. 3. n. 12. Tanner. 1. p. d. 6. q. 1. dub. 1. & dub. 3. n. 12. quibus favere videtur Valent. 1. p. d. 3. q. 2. p. 1. rem ex nihilo produci perinde esse dicunt, ac produci ex negatione sui. Asserunt ergo, particulas illas *ex nihilo*, duobus modis sumi posse, affirmativè, & negativè: negativè, ut *ex nihilo* idem sonet, ac *non ex aliquo*: affirmativè, ut particulæ illæ *ex nihilo* idem significent atque *ex non aliquo*, seu *ex non ente*, ut scilicet res aliquo modo connotet negationem sui.

III. *Ex nihilo non significat ex negatione sui.*

Contrà primò, tam forma materialis, vel accidens quodcunque, quando generatur, procedit ex negatione sui, quàm Angelus, & materia prima, & tamen non creatur. Contrà secundò, si Angelus creatus fuisset ab æterno, quod possibile esse admittit P. Vasquez, licèt Tannerus neget, verè actio illa fuisset creatio, qua productus tunc fuisset Angelus, & tamen non processisset Angelus ex negatione sui, cùm, si productus sit ab æterno, semper fuerit, ergo nunquam fuit verum dicere, *nunc non est*, ergo nec etiam dicere, *nunc negatio ejus est*, ergo non processit de negatione sui, cùm illa negatio nunquam fuerit. Nec urget quod contrà hoc infert Tannerus loco citato, sequi nimirum, generationem Verbi æterni esse creationem, cùm hoc solùm capite, inquit, excludatur à creatione, quòd non procedat Verbum Divinum ex negatione sui. Hoc, inquam, non urget, multis enim aliis nominibus differt generatio Verbi æterni à creatione, nempe, quòd non procedat per veram dependentiam, & causalitatem; quòd non recipiat suum esse per participationem, & limitatè sicut creaturæ &c.

Cur generatio Verbi Divini non sit creatio.

IV. *Ex nihilo perinde est atque ex nullo subjecto.*

Ly ergo *ex nihilo* idem dicit atque ex nullo præsupposito subjecto: sicut enim illa actio vocatur generatio, quæ producit terminum dependenter à subjecto, ita creatio, quæ illi opponitur, est quæ producit terminum independenter ab omni subjecto, quo pacto materia prima, anima rationalis, & Angeli producuntur, nullo scilicet concurrente subjecto. Hoc etiam confirmat quod dici solet, creationem esse productionem entis simpliciter, generationem verò non simpliciter, sed secundùm quid, seu ex tali particulari non esse, nempe de non esse in tali subjecto: non quòd verè non producatur etiam res per generationem, sed quòd illud quod creatur, dicatur procedere de non esse simpliciter ad esse simpliciter, & non ad tale esse, seu in subjecto, cùm id quod creatur, reddatur per actionem creativam omninò absolutum & independens ab omni subjecto, quo sensu dicitur communiter *creationem esse rerum subsistentium*, seu per se stantium, nempe sine adminiculo subjecti.

Creatio est productio rei simpliciter, generatio productio secundùm quid.

Creatio est rerum subsistentium.

V. *Modi propriè non creantur.*

Quod ergo creatur, potest ex vi suæ productionis existere extra omne subjectum, nisi aliunde subjecto alligetur, ut contingit in modis, qui proinde non ita strictè & rigorosè possunt creari, licèt produci possint independenter ab omni subjecto materialiter in eos influente: de quo suprà d. 13. sec. 3. Obstare etiam videtur creationi propriè dictæ, si fiat res ex aliquo termino *à quo* positivo, qui pereat ad creationem hujus, ut si ad creationem formæ ignis in materiâ ligni, pereat forma ligni: tunc enim foret conversio, & non purè creatio: sed est quæstio fortè de nomine, & dici poterit conversio creativa, vel creatio conversiva.

Conversio creativa, creatio conversiva.

VI. *Potest albedo, etiam in eodem loco generari simul, & creari.*

Quæres utrùm eadem res possit divinitùs simul generari & creari? Quoad diversa loca non videtur dubium, quin scilicet possit Deus eandem formam ignis, vel albedinem, quam hîc educit è potentiâ subjecti, conservare Romæ sine omni subjecto. Difficultas ergo est de eodem loco: de quo etiam Resp. affirmativè, nempe posse eandem rem per diversas actiones totales simul creari & generari, in hoc enim nulla apparet implicantia; creatio namque & generatio non opponuntur contradictoriè: nec enim creatio requirit ut aliunde terminus non dependeat à subjecto, seu per aliam actionem, sed solùm ut non dependeat per ipsam creationem. Sic ergo creatio reddit terminum independentem à subjecto, ut ly *independens* non sumatur negativè, seu exclusivè, id est, ita ut dicat negationem dependentiæ simpliciter & absolutè, sed solùm sumitur præcisivè, ita scilicet, ut à creatione dependentiam illam non habeat. Sic in Logicâ d. 50. s. 2. diximus scientiam & fidem posse esse simul in eodem intellectu de eodem objecto; licèt enim fides, utpote obscura, non afferat claritatem, eam tamen aliunde habitam non excludit.

VII. *Dices; ergo eadem actio poterit esse generatio, & creatio.*

Dices; ergo eadem actio numero poterit esse generatio & creatio, cùm juxta dicta d. illa 50. Log. s. 4. idem actus possit esse fides & scientia. Resp. mihi hoc videri satis probabile respectu diversi termini, etiam in eodem loco: ex. g. si Deus eâdem actione in animâ Petri creet illius intellectum, & educat voluntatem, vel in eâdem materiâ primâ producat duas formas ignis, vel duas albedines eâdem actione, quarum tamen altera forma & albedo generetur, altera creetur: nec enim magis videtur sequi, fore actionem illam creationem: & non fore creationem, cùm sit respectus ad diversum terminum, quam alium actum qui est fides & scientia, fore scientiam, & non fore scientiam, quia scilicet diversam illam rationem fidei & scientiæ habet à diverso motivo.

VIII.

Dicendum tamen, non posse eandem actionem numero, ne quidem respectu diversi termini, esse simul creationem & generationem. Ratio est, quia actio necessariò tribuit suis terminis illam denominationem *ut quod* quam in se habet *ut quo*: cùm ergo

hæc

Resp. non posse eandem actionem esse generationem, & creationem, & quare.

hæc actio educatur è subjecto *ut quo*, denominat necessariò omnes terminos ad quos terminatur, eductos *ut quod*: denominationem autem independentis à subjecto neutri termino dare potest cùm hanc in se non habeat *ut quo*: in se enim est verè dependens à subjecto, & ex illius potentiâ educitur.

IX. *Ostenditur ulterius cur eadem actio non possit esse generatio & creatio.*

Nec urget siquis dicat, actionem illam habere hanc denominationem *ut quo* respectu unius termini, non respectu alterius. Hoc, inquam, non urget, denominatio enim dependentis vel non dependentis desumitur precisè à subjecto, seu passo. Unde sicut, quia albedo non est in se nigra, aut calida *ut quo*, non potest hanc denominationem ulli subjecto communicare *ut quod*, sic, cùm hæc actio simpliciter sit dependens à subjecto, non potest ullum terminum denominare independentem, cùm in se non sit independens *ut quo*. Licèt ergo forma non semper det omnem denominationem & effectum formalem quem habet, omni subjecto, cùm effectus formalis detur secundùm capacitatem subjecti, ut diximus, nunquam tamen potest forma ulli subjecto tribuere denominationem aliquam, & effectum formalem quem non habet.

SECTIO III.

Utrùm Creatio sit distincta ab Agente & Termino.

I. *1. Sententia negat creationem distingui ab agente, & termino.*

PRima sententia negat Creationem distingui ab Agente & Termino. Hanc sententiam à fortiori tenent illi omnes quos disp. præcedente, s. 6. citavi pro sententiâ asserente actionem eductivam non distingui ab agente, subjecto, & termino. Idem tenere videtur Scotus in 2. d. 1. qu. 2. §. *ad quæst. istam.* Valentia 1. p. d. 3. q. 2. p. 1. §. *si autem creatio.* Vasq. 1. p. d. 173. c. 3. & alij.

II. *2. Sententia creationem admittit distinctam.*

Secunda sententia affirmat creationem esse aliquid realiter à termino distinctum, & per quod creatura refertur ad creatorem: ita S. Thomas 1. p. q. 54. ar. 3. corp. & 2. cont. Gen. c. 18. Ferrar. ibidem, §. *ad evidentiam 3. dubij*: tenet absolutè Suarez d. 20. Met. s. 5. n. 11. & 15. Molina 1. p. q. 45. ar. 3. Tanner, 1. p. d. 6. q. 1. dub. 1. n. 11. & 12. Idem quoad terminum naturâ suâ educibilem tenet Hurt. d. 12. Phy. s. 3. n. 26. Arriaga d. 9. Phy. sect. 4. nu. 53. & Oviedo cont. 12. Phy. p. 2. n. 11. & 14. quamvis magnâ cum formidine.

III. *Res naturâ suâ generabiles produci debent per creationem distinctam.*

Dico primò: res quævis naturâ suâ à subjecto dependens, ut quantitas, albedo, &c. procedit ab agente per creationem à se realiter distinctam. Ita auctores secundæ sententiæ. Probatur in speciebus Eucharisticis, sapore, odore, frigore, albedine &c. quæ, cùm priùs per actionem eductivam, seu generativam conservarentur, posteà conservantur per creationem: manifestum ergo videtur, creationem realiter distingui ab eorum entitate, cùm species illæ anteà extiterint, & non extiterit creatio.

IV. *Res etiam ingenerabiles producuntur per creationem distinctam.*

Dico secundò: probabilius mihi videtur, Angelum, animam rationalem, materiam primam, & siqua sint hujusmodi, produci à Deo per actionem distinctam: ita Suar. d. 20. Met. s. 5. n. 12. & 15. Arriaga d. 9. Phy. s. 4. n. 53. Oviedo cont. 13. Phy. p. 2. n. 11. & alij contra Hurtado, d. 12. Phy. s. 5. n. 31. Hæc opinio est conformior illi quam suprà d. 27. s. 4. & 6. num. 9. secutus sum de potentiâ obedientiali latâ, ubi admisi elevari posse muscam ad producendum Angelum.

V. *Ratio est quia elevari potest creatura ad producendum Angelum.*

Ratio est, licèt enim Angelus connaturaliter petat produci à solo Deo, non sequitur quin supernaturaliter produci possit ab aliquo alio, simul cum Deo ad illius creationem concurrente: sicut licèt accidentia connaturaliter petant educi ex subjecto, supernaturaliter tamen possunt sine subjecto per concursum creativum produci & conservari. Hinc ergo aperte sequitur, Angelum non esse suam productionem, sic enim nihil elevari posset ad eum producendum, cùm ad actionem dari nequeat actio.

VI. *Effectus primarius creationis est dare existentiam termino.*

Objicit P. Hur. citatus: Angelus per se, & suam entitatem est independens à subjecto, ergo non eget formâ aliquâ distinctâ, seu creatione, per quam habeat hanc independentiam, hæc enim forma supponeret suum effectum formalem. Resp. primò, effectum primarium creationis non esse, reddere terminum independentem à subjecto, sed dare illi existentiam: reddere verò eum independentem à subjecto, est effectus tantùm secundarius.

VII. *Variæ formæ supponunt effectum secundarium, & inadæquatum.*

Ad id quod additur, creationem hîc supponere effectum suum formalem. Dico, varia subinde supponere effectum suum secundarium, & inadæquatum, ut latè ex aliâ occasione ostendi suprà d. 19. sec. 3. n. 4. & 6. Quibus addo, hoc in omni ubicatione circumscriptivâ quantitatis contingere: partes enim quantitatis ex naturâ suâ habent ut una sit extra aliam, cùm naturaliter inter se penetrari nequeant, & tamen hoc iterum habent à tali ubicatione, quæ denuò hoc eis tribuit, & quâ stante, nec divinitùs possunt inter se penetrari, sed una necessariò est extra aliam, sicque novo titulo tribuit effectum, quem antecedenter ad sui existentiam invenit. Quod tamen non censetur inconveniens, cùm solùm sit effectus ejus secundarius, primarius enim effectus ubicationis est quantitatem tali loco figere. Idem loco proximè citato ostendi in unione, substantiâ totali, & aliis: quæ applicari hîc possunt creationi respectu Angeli,

VIII. *Creatio distincta requiritur ad tollendam indifferentiam.*

Resp. secundò, distinguendo antecedens: Angelus est independens à subjecto, & simul essentialiter determinatus ad dependendum ab hoc agente potiùs quàm ab alio, nego antecedens; est independens cùm indifferentiâ ut producatur ab hoc vel illo agente, concedo. Ad hanc ergo indifferentiam tollendam requiritur operatio distincta, non ad dandam independentiam.

IX. *Indifferentia duplex, positiva, & negativa.*

Addo ulteriùs cum P. Arriaga citato n. 55. independentiam duplicem esse, positivam, & negativam: hanc tantùm habent Angelus ex se, & ipsi convenit antequam producatur, cùm ab æterno verum fuerit Angelum non dependere à subjecto. Per creationem verò accipit independentiam positivam à subjecto, quam anteà non habebat, sicque à novâ formâ novus ei provenit effectus formalis.

X. *Res essentialiter pendens à Deo solo non potest produci per actionem distinctam.*

Dico tertiò: si sit possibilis res aliqua creata, quæ ita essentialiter respiciat Deum solum, ut non possit, nec divinitùs produci ab aliquo alio ad hoc à Deo elevato, resilla non producetur per actionem à se distinctam, sed erit sua creatio. Ratio est clara, jam enim omnimodè est per se determinata ad unicum principium productivum, sicque, cùm nulla omninò sit indifferentia, & indeterminatio, nihil ad eam tollendam requiritur, sed res per se est omnis indeterminationis sublatio.

SECTIO IV.

An Creatio consistat in volitione Divinâ.

I. *Creatio non consistit in volitione divinâ.*

PRima Conclusio: Creatio non est volitio Divina, quâ vult terminum tali tempore existere: ita Suar. Hurt. & alij citati. Probatur, quia volitio Divi-

na erat ab æterno, sed creatio non erat ab æterno, ergo volitio Divina non est creatio. Major est certa, minor probatur, si creatio fuit ab æterno, ergo & terminus creatus erat ab æterno, sicut enim implicat cognitionem Dei esse ab æterno, & objectum non esse cognitum ab æterno, vel unionem esse ab æterno, & non extrema unita ab æterno, ita & implicat creationem esse ab æterno, quin res fuerit creata ab æterno, non enim minùs est creatio actualis tendentia in terminum, quàm cognitio in objectum, vel unio in extrema.

II. *Dices creatio est volitio divina pro tali tempore,*

Dices; volitio Divina non est creatio pro quocunque tempore, sed solùm pro illo determinato tempore quod connotat, vult enim Deus creare Angelum, non ab æterno vel quocunque tempore, sed tali determinato instante temporis, ac proinde volitio illa est creatio, non pro æternitate, aut quocunque tempore, sed pro illo determinato, in quo illum vult creare. Contrà, ergo volitio Divina quæ est ab æterno, est creatio ab æterno pro tali tempore, ergo Angelus est creatus ab æterno pro tali tempore, sicut enim quia volitio Divina, illum vult ab æterno pro tali tempore, est volitus ab æterno pro tali tempore; ita si sola volitio illa sit creatio ab æterno pro tali tempore, erit etiam creatus Angelus ab æterno pro tali tempore, ergo vel non est idem voluntas creandi & creatio, vel, si sit voluntas creandi ab æterno, erit etiam creatio ab æterno pro tali tempore; si enim idem sit velle ab æterno creare pro tali tempore, & creare, si vult ab æterno creare pro tali tempore, etiam creat ab æterno pro tali tempore, idem enim est in re, ut supponitur.

Sed contrà, hinc enim sequeretur Angelum esse creatum ab æterno pro tali tempore.

III. *Creatio non est volitio Dei, & tale tempus.*

Dices: volitio Dei sola non est creatio, sed volitio Dei & tale tempus, ita ut creatio sit aggregatum ex volitione Dei, & tali tempore. Contrà, actualis productio est actualis tendentia physica in terminum seu effectum, sed per solum tale tempus non potest volitio illa Dei fieri actualis physica tendentia in terminum, si anteà non erat, istud enim non potest habere à tempore, præsertim imaginario, cùm hoc vel nihil sit, vel ad summum negatio. Deinde, hoc tempus non est formalis & actualis respicientia physica illius Angeli, cùm non majorem connexionem habeat Angelus cum hoc instante vel tempore, quàm cum ullo alio. Tandem, non potest id à se habere, nihil enim habet volitio Dei in tempore, quod non habuit ab æterno. Hic etiam urgent pleraque ex iis, quæ disp. præcedente sec. 6. & 7. attuli ad probandum actionem eductivam non consistere in voluntate Dei.

IV. *Quare creatio ponatur in tempore, si ejus volitio in Deo fuerit ab æterno.*

Objicies primò: licèt volitio hujus numero creationis, quâ in hoc instante creatur Angelus, fuerit ab æterno, hæc tamen creatio non propterea emersit ab æterno, sed solùm eo tempore pro quo illam volebat hæc volitio, ergo licèt volitio illa fuerit ab æterno creatio, non sequitur Angelum debere fuisse creatum ab æterno. Resp. negando consequentiam, disparitas est manifesta, quia volitio illa non est productio illius creationis; si enim esset, eodem modo philosophandum esset de utrâque voluntate & termino, unde dicerem non posse esse ab æterno volitionem illius creationis, & non existere ab æterno creationem ipsam: sicut non potest ab æterno esse illa volitio, quin ab æterno sit creatio volita. Potest ergo Deus velle creationem ab æterno, & tamen creatio non produci ab æterno, quia non vult illam ab æterno pro æternitate, seu tunc pro tunc, sed pro alio tempore: sicut cùm Deus hodie vult diem crastinum, vult quidem hodie sed non pro hodie, sed pro tempore imaginario crastino: si autem illa volitio esset productio diei crastinæ, non posset non eum producere hodie, cùm volitio, ut supponitur sit actualis ejus productio, seu ipsa ratio formalis, per quam ponitur extra causas.

V. *Objic. posità volitione divinâ, & tali tempore sequitur tunc necessariò effectus.*

Objicies secundò; posità hac volitione Dei, & tali tempore, non potest, nec per Divinam potentiam, non existere effectus volitus, ergo non requiritur actio aliqua distincta, hæc enim tunc solùm datur, quando requiritur ulterior aliqua determinatio, ob indifferentiam, quæ adhuc relinquitur positis requisitis ex parte causarum in actu primo; hic autem nulla videtur relicta indifferentia, ad quam tollendam requiratur ulterior determinatio.

VI. *Resp. in objecto talis volitionis divinæ includi necessariò actionem creativam.*

Resp. concesso antecedente, negando consequentiam, nam non potest dari talis voluntas Divina, quin in objecto ipsius involvatur actio, hæc siquidem voluntas Dei est ejusmodi, *volo ut hæc quantitas, vel hæc forma materialis dependeat à me solo*: hoc autem non potest Deus velle nisi volendo aliquid per quod determinetur ad dependendum ab illo solo: sicut enim voluntas, quâ vult Deus formam ignis educi ab hac materiâ solâ, vel produci ab hoc igne solo, involvit in suo objecto aliquod determinativum ad hanc materiam, vel hunc ignem solum, ita & ad dependendum à solo Deo.

VII. *Res explicatur per alias volitiones divinas.*

Quæ omnia confirmantur ex aliis volitionibus Divinis, nam posito quòd Deus velit Petrum videre nigredinem, quòd velit parietem esse album, aquam calidam &c. non potest nec per Divinam potentiam Petrus non videre nigredinem, aut paries non esse albus, aut aqua non calida, non tamen sequitur, habere hæc sine visione, albedine, & calore distincto, & tamen posità illâ volitione Divinâ, tam est potentia visiva Petri necessariò determinata ad nigredinem, quàm posità aliâ voluntate, quantitas est necessariò determinata ad dependendum à solo Deo. In utroque ergo casu dicendum est solùm determinari causaliter, non formaliter, à volitione Divinâ, in quantum scilicet volitio Divina utrobique vult, & causat determinationem formalem, nempe actionem, quâ determinatur ibi potentia visiva Petri ad nigredinem, hîc quantitas, vel Angelus ad dependendum à solo Deo.

VIII. *Negatio dependentiæ à causâ omni creatâ non est dependentia à Deo, nisi tantùm arguitivè.*

Dices; ipso facto quòd Deus velit quantitatem existere independenter ab omni causâ creatâ, vult eam dependere à solo Deo, ergo saltem non requiritur aliquid positivum distinctum, sed solùm negatio dependentiæ ab omni causâ creata. Resp. ut suprà disp. præcedente, s. 7. dixi in simili, negationem dependentiæ ab omni causâ creatâ non esse formaliter dependentiam à solo Deo, sed tantùm arguitivè: sicut si tres tantùm essent colores possibiles, albedo nigredo & viriditas, & paries nec per Divinam potentiam posset non habere unum, sequitur evidenter, si paries nec habeat albedinem, nec nigredinem, habere eum viriditatem, & tamen non est viridis formaliter per negationes albedinis & nigredinis.

IX. *Creatio non est aggregatum ex voluntate Dei, & termino.*

Secunda conclusio: creatio non est aggregatum ex voluntate Dei, & termino creato. Ratio breviter est, quia jam ostendi terminum creatum, Angelum ex. g. esse indifferentem ut pendeat à variis agentibus, ergo requiritur aliquid aliud ad hanc indifferentiam tollendam: præsertim cùm voluntas Dei non determinet ad quidquam producendum in genere causæ formalis, sed efficientis, ut jam ostensum est tum in hac sectione, tum disp. præcedente s. 7. n. 4. & 5.

SECTIO

SECTIO V.

Vtrùm Creatio habeat subjectum.

I. *Creatio habet subjectum adhæsionis, non sustentationis.*

REsp. habere subjectum intimæ affectionis, seu adhæsionis, & denominationis, non tamen subjectum sustentationis, & inhæsionis. Prima pars constat, creatio enim, si sit actio distincta ab agente & termino, est modus, ergo petit afficere aliquod subjectum, cùm essentia modi consistat in actuali adhæsione, & affectione, ut suprà ostensum est d. 13. Secunda etiam pars ostenditur, nam quando creatur Angelus, nihil est quod possit esse creationis subjectum præter ipsum terminum, nempe Angelum; sed terminus non potest esse subjectum sustentationis respectu actionis, quâ producitur, ob rationes positas d. præcedente, s. 2. sic enim esset causa sui, & alia quæ ibidem habentur, ergo. Deinde, creatio reddit terminum independentem à subjecto sustentationis, ergo ipsa similiter debet esse à tali subjecto independens. Tandem terminus creationis, Angelus v. g. non potest inhærere seu esse in subjecto, ergo nec inesse seu inhærere ei poterit ejus creatio, cùm non aliunde terminus sit in subjecto, nisi quia actio quâ producitur, subjecto inest.

II. *Objic. creationem esse accidens, sic debere habere subjectum sustentationis.*

Dices; creatio est accidens, ergo debet esse in subjecto, cùm *accidentis esse sit inesse*, saltem aptitudinaliter, creatio autem nec aptitudinaliter est in subjecto sustentationis, cùm, ut diximus, esse nequeat in subjecto materialiter in illam, & ejus terminum influente. Huic argumento P. Suar. d. 40. Met. s. 5. n. 27. cum aliis respondet, rationem non esse accidens, sed modum substantialem. Existimo tamen probabiliùs cum P. Hurt. d. 12. Phy. s. 4. n. 80. P. Arriaga d. 9. Phy. s. 4. n. 57. & recentioribus communiter, creationem esse modum accidentalem.

III. *Explicatâ naturâ accidentis, ostenditur quo modo creatio sit accidens.*

Ad argumentum ergo Resp. si per inesse subjecto intelligatur pendere ab eo in genere causæ materialis, hunc non esse essentialem conceptum accidentis, cùm conveniat etiam formæ substantiali materiali. Inesse ergo hîc sumi debet pro adhærere, & dici debet conceptum accidentis in duobus situm esse, tum ut sit extra constitutionem rei, tum ut sit forma aliqua, seu perfectio rei illi mediatè vel immediatè affixæ. Et hac ratione creatio inest, & inhæret, (si quis ita loqui velit) vel potiùs adhæret termino, quem producit.

IV. *Cur Angeli, & materia primâ nequeant, etiam divinitus generari.*

Quæres tertiò, utrùm res quæ ex naturâ suâ petunt creari, possunt per Divinam potentiam generari, & educi ex potentiâ subjecti? Quæstio præcipuè procedit de animâ rationali, nam de Angelis & materiâ primâ, videtur clarum non posse, nec divinitùs generari, cùm nec divinitùs habere possint subjectum: Angeli quidem, quia sunt entia completa, & consequenter nec divinùs esse possunt in subjecto. De materiâ etiam non minùs videtur certa assertio, tum quia tunc non esset primum subjectum, contra ejus definitionem: tum quia si educeretur ex potentia subjecti, deberet esse in alio tanquam in subjecto, & consequenter esset forma, quod implicat: sic enim esset actus physicus, & non pura potentia physica.

V. *Anima etiam rationalis non potest generari.*

Idem censeo de animâ rationali, nempe, non posse eam educi ex potentiâ alicujus subjecti, seu generari. Cùm tamen anima sit quid incompletum, & forma corporis, res hæc non est adeò clara.

SECTIO VI.

Vtrùm possit creatura aliqua creare.

POsse creaturam divinitùs elevari ad creandum, ostendi suprà d. 27. s. 6 n. 9. Quod ergo in præsenti quærimus, est, an possibilis sit creatura quæ naturæ viribus creare aliquid possit. I. *Status quæstionis.*

Suppono tanquam certum, nullam unquam creaturam hactenus quidquam creasse: sic enim habetur Eccles. 1. v. 8. *Vnus est altissimus creator omnipotens.* Quare erravit Avicenna l. 1. suffici. c. 10. qui asseruit Angelum superiorem creasse inferiorem sibi proximum, infimum verò Angelum creasse res corporeas. Erravit Simon Magus, & alij ejus discipuli apud Irenæum l. 1. adversus Hæreses c. 26. qui mundi creationem non Deo, sed quibusdam intelligentiis tribuebant. Omnium autem pessimè erraverunt Manichæi, & Albigenses apud D. Antonin. 3. p. Hist. tit. 19. c. 1. qui rerum visibilium creationem adscribebant Deo cuidam, seu principio malo. Sed his erroribus & deliramentis relictis. II. *Nulla hactenus creatura quidquam creavit.* *Error Avicennæ, & aliorum circa mundi creationem.*

Prima sententia affirmat dari posse creaturam tam perfectam, ut tanquam causa principalis, & solis naturæ viribus possit creare: ita Durand. in 2 d. 1. q. 4. cui etiam sententia subscribit P. Arriagi d. 11. Phy. s. 5. n. 97. Ratio est, quia nulla urgens ratio afferri potest unde ostendatur hoc esse impossibile. III. *Dicunt aliqui posse creaturam naturaliter creare.*

Secunda & vera sententia asserit, virtutem creatricem, seu ex nihilo productricem nulli omninò creaturæ tanquam causæ principali concedi posse, sed esse solius Dei propriam: ita Magist. in 4. d. 1. S. Thomas 1. p. q. 45. a. 5. corp. & 2. cont Gent. c. 21. Scotus in 4 d. 1. q. 1. Okam in 2. q. 7. Valentia 1. p. d 3. q. 2. p. 4. Suar. d. 20. Met. s. 2. Vasq. 1. p. d. 175. c. 1. & 2. Albert. to. 1. Princip. 1. coroll. 17. Murcia l. 1. de gen. d. 1. q. 6. Hurt. d. 12. Phy. s. 7. Granado 1. v. Cont. 6. d. 3. n. 2. Tanner. 1. p. d. 6. d. 2. n. 3. Oviedo cont. 13. Phy. p. 4 n. 10. & communis Theologorum sententia, cui hac in parte refragari non est tutum, ut notat P. Hurt. citatus. In ratione tamen hujus rei assignanda non parum omnes laborare video. Præcipuas hîc producam: deindè quæ ratio mihi ad hunc finem efficacissima videatur, aperiam. IV. *Potentia naturaliter creandi competit soli Deo.* *Ratio hujus rei difficulter redditur.*

Prima itaque ratio assignari solet, quòd effectus universalissimus reduci debeat ad causam universalissimam, nempe Deum, sed terminus creationis est universalissimus, nempe *ens* in quantum *ens*, ergo. Hæc tamen ratio non parum videtur difficilis: vel enim intelligitur creationem respicere ens ut sic, & hoc dici nequit, sic enim & Deus creari posset, cùm sit Ens. Deinde actiones physicæ primò sunt circa singularia, & ratione illorum feruntur ad rationes communes, cùm respiciant res ut ponendas à parte rei, sicque ut singulares: unde ait Aristoteles medicum non curare hominem, sed Socratem, aut Platonem. V. *Prima ratio, quod effectus universalissimus reduci debeat ad causam universalissimam.* *Medicus non curat hominem, sed Socratem.*

Vel dum dicitur creationem respicere *Ens* ut *Ens*, sensus est, per creationem produci non solùm alias rationes, & prædicata in re qualibet reperta, sed etiam rationem Entis: hoc autem sensu etiam generatio respicit *Ens* ut *Ens*, nec enim rationem tantùm caloris, qualitatis, & accidentis in calore producit, sed etiam rationem Entis. Quare autem Deus dicatur respicere *Ens* ut *Ens*, dictum est suprà d. 24. s. 3. n. 6. VI. *Quo sensu creatio respiciat Ens ut Ens.*

Secunda ratio est P. Suarij d. 20. Met. s. 2. n. 1. quia si esset possibilis talis creatura, deberet de facto dari, cùm spectet ad perfectionem universi, ut ex omni serie rerum aliquæ saltem sint productæ. Sed contrà, unde probatur Deum creasse omnia quæ spectant ad perfectionem universi, & non esse possibiles sa to dari. VII. *Secunda ratio, quia si in possibilis creatura posset creare, deberet de*

les plures & plures series rerum, quas Deus de facto non creavit ? sicut esse possibile corpus simplex asserunt plurimi, quod tamen negant de facto dari.

VIII. *Tertia ratio, quia sequeretur creaturam illam posse creare quælibet.*

Tertia : quia si posset dari creatura aliqua quæ posset creare sequitur posse illam creare quælibet, quod tamen non videtur concedendum, illa enim esset nimia virtus & non concedenda creaturæ. At sanè, non video vim hujus rationis ; quidni enim dari poterit creatura aliqua quæ ex peculiari suâ entitate & proportione cum aliquibus effectibus, & non cum aliis, possit dicere ordinem transcendentalem ad hos effectus, non ad alios ? Sicut licèt de facto causæ omnes secundæ operentur dependenter à materiâ, adhuc tamen majorem habent ex naturâ suâ particulari limitationem singulæ, quàm accipiat à materiâ, materia enim est indifferens ad effectus omnium ferè causarum secundarum, ergo non restringuntur causæ secundæ à materiâ, sed aliunde, nempe ex suâ particulari & specificâ, vel individuali differentiâ.

IX. *Quarta ratio, ob infinitam distantiam inter terminum à quo & ad quem, seu inter* Ens & Nihil.

Quarta est Cajet. 1. p. q. 45. a. 5. quia quò major est distantia inter terminum *à quo* & *ad quem*, major virtus requiritur ad effectum ab uno ad alterum reducendum, sed infinita est distantia inter terminum creationis, nempe *Ens*, & terminum ejus *à quo*, nempe *nihil*, ergo requiritur infinita virtus ad creandum. Contrà, tam procedit terminus generationis ex nihilo, ut ostendi suprà d. 11. s. 7. n. 5. & 6. si per nihilum intelligatur negatio rei generatæ, quàm terminus creationis. Deinde, non est infinita distantia inter rem finitam & ejus negationem, nec enim plus distant quàm habet res illa perfectionis, quæ cùm non habeat perfectionem infinitam, non potest infinitè distare à negatione sui.

Non distant infinitè Ens & non Ens.

X. *Quinta ratio : quia creatura illa, potens naturaliter creare, deberet esse spiritualis.*

Quinta est P. Vasquij To. 2. in 1 p. d. 175. c. 2. & desumpta videtur ex Scoto, quia creatura illa, quæ posset naturaliter creare, deberet esse spiritualis, res enim omnis materialis, cùm in essendo sit dependens à materiâ, debet etiam esse dependens ab eâdem in operando : sed non potest esse res spiritualis, ergo. Probatur minor, deberet enim creare per voluntatem, sed hoc dici nequit, voluntas siquidem est accidens, & consequenter non apta ad creandum & producendum effectum substantialem. Contrà primò, voluntas secundùm multos non est accidens, sed ipsa substantia Angeli & animæ. Contrà secundò, probabile est posse dari corpus simplex ; illud autem non penderet à materiâ in essendo, cùm non esset compositum ex materiâ & formâ. Contrà tertiò, esto sola res spiritualis posset creare, non tamen sequitur, debere ipsam creare per voluntatem, tanquam per rationem formalem, sed solùm tanquam per applicationem rationis formalis, & virtutis creativæ ; sicut de facto homo non generat per volitionem, tanquam per rationem formalem, sed per potentiam generativam.

Hæc ratio in multis deficit.

XI. *Sexta ratio : quia creatura elicere nequit actionem quæ non sit pars compositionis physicæ.*

P. Hurt. d. 12. Phy. s. 7. §. 69. rejectis aliorum rationibus, hanc affert : Nulla, inquit, est creatura quæ non habeat aliquam compositionem, vel ex materiâ & formâ, vel naturâ & subsistentiâ, vel essentiâ & accidente, consequenter nulla creatura potest elicere aliquam actionem quæ non sit pars veræ compositionis, vel per modum formæ, vel subjecti, sed creatio neutro modo facit veram compositionem, nam non ut subjectum, ut constat, nec etiam ut forma creatio enim non potest esse in ullo, tanquam in subjecto : ergo. Hæc ille. Quæ ratio si non placet, quære, inquit, aliam.

XII.

Non placet : primò, quia creatio verè est in termino, ut in subjecto adhæsionis, & intimæ affectionis, & facit veram compositionem cum eo : nec enim ad veram compositionem requiritur, ut educatur forma ex potentiâ subjecti, ut suprà probavimus ? unde non minùs esset verè homo, & compositum substantiale ex materiâ & animâ rationali, si unio crearetur, quàm dum generatur, ut ostendi suprà d. 14. s. 7. tam enim verè uniret extrema illa inter se, & compositionem inter materiam & formam facere unio creata, quàm educta ex potentiâ alterius, vel utriusque extremi. Secundò, quia in opinione P. Hurt. creatio non distinguitur ab entitate Angeli, & animæ, nec materiæ primæ, & tamen hæc omnia faciunt veram compositionem cùm formis, potentiis, & actibus vitalibus &c. ergo creatio facit veram compositionem, utpote cum iis identificata.

Hæc ratio non tenet, creatio enim facit veram compositionem physicam.

SECTIO VII.

Vera ratio cur creatura nequeat creare.

I. *Actio non potest habere perfectiorem modum essendi, quàm principium ejus adæquatum.*

Alia ergo ratio sic efformari posse videtur : non potest actio aliqua habere perfectiorem modum essendi, quàm principium adæquatum & totale à quo profluit, hic autem id contingeret, nam creatio peteret ex naturâ suâ esse independens ab alio tanquam à subjecto, principium autem adæquatum in se includit aliquid dependens à subjecto, nam substantia ut connaturaliter operetur, debet esse subsistens, cùm *actiones sint suppositorum :* item habere debet ubicationem aliquam & durationem, hæc autem connaturaliter petunt educi ex potentiâ sui subjecti. Cùm ergo principium adæquatum, nempe Angelus subsistens, Angelus ubicatus, aut durans includat in se aliquid generatum, actio quæ procedit ab hoc principio, non debet habere perfectiorem modum existendi quàm principium ipsum, sicque nec debet esse creatio.

II. *Principium includit aliquid generatum, ergo actio inde profluens non potest esse creata, vel creatio.*

Et si quis dicat Actionem procedere efficienter à solâ substantiâ Angeli, non à subsistentiâ, ubicatione, aut durationc. Hoc non obstat, nam saltem substantia illa, ut operetur, requirit connaturaliter ut habeat subsistentiam, ubicationem, & durationem eductas ex illius potentiâ, & consequenter ut principium completum involvit in se connaturaliter aliquid generatum, actio autem connaturaliter refert quoad modum existendi principium à quo profluit. Conf. quidni in istis quoad modum existendi posset quis dicere, idem contingere, ac in conclusione respectu præmissarum, nempe, sequi debiliorem partem ? & consequenter si in principio adæquato reperiatur aliquid eductum seu generatum, actio à principio illo procedens debet esse educta seu generata.

III. *Præcipua ratio cur creatura nequeat creare, deducta à posteriori.*

Alia etiam ratio, saltem à posteriori, mihi formari posse videtur, licèt à priori fortè difficile sit claram assignare. Ratio ergo est : videtur siquidem spectare ad dignitatem Dei, ut aliquæ sint actiones & effectus, vel aliqua series operationum, quæ ipsi soli jure competant, saltem connaturaliter : videmus enim res per se loquendo, quò perfectiores sunt eò habere perfectiorem aliquam operationum seriem sibi correspondentem : sic viventia habent operationem vitalem, animalia sensitivam, rationalia intellectualem, ergo ens omnium perfectissimum videtur debere habere aliquam seriem sibi peculiarem, alia autem non apparet, quæ assignari possit commodiùs, quàm creatio, ergo licèt à priori assignari manifesta ratio non possit, adhuc dicendum ob hanc congruitatem, non posse actionem creativam naturaliter competere creaturæ.

Deceat Deum, ut sit series actionum ipsi peculiaris.

IV.

Quòd verò hæc actio ex omnibus videatur ad hoc aptissima, inde probabiliter suadetur, quòd creatio sit quoad modum actio perfectissima, nam arguit

Creatio ad hoc munus aptissima ob independentiam.

quit modum operandi omninò independentem, sic ut autem dependentia quæ est major, arguit per se loquendo, majorem imperfectionem, ita è contrà independentia ex genere suo arguit perfectionem: unde licèt alias actiones habeant creaturæ communes cum Deo, ut operationes vitales, intellectuales &c. congruum tamen est ut aliqua sit Deo peculiaris, nempe creatio, quippe quæ dignitatem quandam præsefert, & excellentiam.

V. *Opinio negans creaturam posse creare nititur maximè auctoritate Patrum.*

Præcipua verò hujus rei probatio desumitur ex auctoritate sanctorum Patrum, qui omnes uno ore negant posse alteri, quam Deo actionem creativam competere: & inde probant contra Arium, Christum esse Deum, quia habet virtutem creandi. Impotentiam verò hanc creandi refundunt in limitationem creaturæ. Sic enim, ut alios omittam, loquitur sanctus Athanasius contra Arrianos: *administrare*, inquit, *creaturarum, & servorum est, condere autem, & creare solius Dei*; quod tamen dici cum veritate non posset, si esset possibilis creatura, cui virtus creandi instar causæ principalis communicari posset, sic enim creare non esset solius Dei.

SECTIO VIII.

Quæ res possint creari.

I. *Angeli, anima rat. & materia possunt creari.*

Dico primò: Angeli, anima rationalis, corpora simplicia, & materia prima connaturaliter creantur, imò ita per creationem petunt produci, ut educi ex subjecto nequeant, vel divinitùs, ut ostendi suprà s.5.n.4.& 5.

II. *Forma substantiales, & accidentales absolutæ possunt creari.*

Dico secundò: formæ aliæ substantiales, imò & accidentales absolutæ, sive materiales sint, ut calor, albedo, lux, frigus; sive spirituales, ut gratia, lumen gloriæ, & habitus tum in intellectu, tum voluntate, licèt connaturaliter educantur, possunt tamen divinitùs produci per creationem. Hoc à paritate rationis probatur in speciebus Eucharisticis: si enim illæ, accidentales cùm sint, & materiales, conservari possint per actionem creativam, quidni eodem modo conservari poterunt formæ materiales substantiales, & accidentales spirituales?

III. *Plerique Modi possunt creari.*

Dico tertiò: modi omnes (iis exceptis in quibus est specialis repugnantia, de quibus hic aliquid subjiciam) creari possunt, ut ostendi suprà d.13.s.3. nec quidquam hic addendum occurrit.

IV. *Eductio nequit creari, nec creatio educi.*

Dico quartò: actio eductiva produci per creationem non potest, sicut nec creatio educi. Ratio videtur clara: actio enim eductiva est essentialis dependentia à subjecto, ergo produci nequit per creationem, quæ terminum suum reddit independentem à subjecto. Et eodem modo è contrario probatur creationem, quæ est independentia à subjecto, non posse ex eo educi: sic enim esset independentia dependens, quod perinde sonat, ac si quis diceret, indistantia distans, præsentia absens, conjunctio separata, & alia hujusmodi.

V. *Creatio per aliam creationem produci nequit.*

Dico quintò: nec creatio per aliam creationem produci potest, nec eductio per aliam eductionem educi. Probatur, quod enim est per se essentialiter tale, non potest illud habere per aliquid à se distinctum, sicut secundùm omnes albedo non potest reddi alba per albedinem à se distinctam, nec calor similiter calidus.

VI. *Difficultas ex unionibus continuativis quantitatis.*

Dices; uniones continuativæ partium quantitatis, aut albedinis, licèt sint modi, & per se immediatè afficiant partes illorum accidentium: per inhærentiam tamen, & unionem à se distinctam insunt materiæ tanquam subjecto, ut suprà dixi d.13.s.1.n.10. Sicut ergo unio aliqua potest per aliam unionem uniri, quidni & actio poterit per aliam actionem produci? Sed contrà, hoc enim nimium probat; probat siquidem posse creationem etiam naturaliter per aliam actionem produci, cùm uniones illæ continuativæ quantitatis, & albedinis naturaliter uniantur materiæ tanquam subjecto.

VII. *Uniones illæ continuativæ habent duplex munus.*

Resp. itaque, unionesillas continuativas habere duplex munus; unum est ut partes illas extensionis inter se uniant & continuent, & secundùm hanc rationem immediatè illas afficiunt, & connectunt, suntque respectu illarum modi, nec per aliam unionem continuationis possunt iis uniri; etiam divinitùs, ut omnes fatentur. Aliud munus harum unionum continuationis est, ut informent materiam, & simul cum partibus quantitatis, & albedinis reddant illam quantam, & albam: sub hac autem ratione non sunt modi, sicque nil mirum si per unionem distinctam illi connectantur. Hæ ergo uniones continuativæ non sunt purè modi, sed duas in se complectuntur formalitates, modi alteram, alteram rei absolutæ, sicque sunt entitates mixtæ. At creatio secundùm omnes est purus modus, nec aliud in eâ munus aut prædicatum relucet, quàm ut faciat talem terminum dependentem à tali principio effectivo, sine concursu alicujus causæ materialis: nec cum fundamento aliam quis ei formalitatem affinxerit. Unde non magis poterit una creatio produci per aliam, quàm res quæ est essentialiter alba, per aliam albedinem dealbari. Quod tamen nemo concedet: & rationem dicunt omnes esse, quia quod habet aliquid per essentiam, non potest illud accipere ab extrinseco. Idem ergo hic dicendum de Creatione.

Vniones illæ continuativæ non sunt puri modi.

Creatio non magis creari potest, quàm albedo dealbari.

DISPVTATIO XLII.

De partibus continui.

Continuum meritò vocatur Labyrinthus.

INgredimur labyrinthum, in quem, introitum multi, exitum nemo hactenus invenit. Quod eò magis mirum, cùm de rebus, quæ ob oculos quotidie versantur, & ipsis etiam manibus palpamus, futurus sit sermo, ut de ligno, aquâ, lapide; videmusque res quasque minutissimas, perspicacissimis etiam ingeniis negotium facessere, & viros longè eruditissimos sub unius pili pondere gemere, seque ferendo non esse agnoscere. Imò quò penitùs rem hanc quis intuetur, eò majoribus, magisque perplexis implicari se nodis, ac nexibus animadvertit. Hic proinde verè contingit, quod in monstro illo fabulosa finxit antiquitas; uno enim, ut ita dicam, præciso, nova & nova difficultatum capita succrescunt; ita ut in hac palestrâ labore victi, philosophi etiam præstantissimi animum despondeant, seque certamini impares agnoscentes, de victoriâ desperent. Nondum natus Hercules qui hoc monstrum domet. Nulla emersit hactenus mens tam perspicax, quæ paleæ nobis, aut pili unius structuram evolvat.

Sub pili unius pondere gemunt Philosophi.

SECTIO

SECTIO PRIMA.

Denturne partes actu in continuo, an tantùm in potentiâ.

I. *Opinio negans partes actu distinctas in continuo.*

ALiqui, ut difficultates evitent, quæ in compositione continui reperiuntur, asserunt in nullo continuo esse partes actu, & realiter distinctas, sed solùm potentiâ, & caput in homine non distingui actu à pedibus, aut unam manum ab alterâ, nisi præscindantur, & separentur licèt ipso facto, inquiunt, quod partes illas concipiamus jam eas assignemus, & distinguamus: ita Averroës, Simplicius, Themistius, Albertin. in præd. quan. d. 3. quæst. 6. Fasolus 1.p.quæst.7.art.1.d.2. Tann. 1 p.d.2.q.4.d.2.n. 24. & multi alij docti viri, & de re litterariâ optimè meriti.

II. *Hi tamen fortè non differunt à communi sententia.*

At sanè existimo hos auctores in re non discrepare à communi sententiâ, & per distinctionem hîc non intelligere aliud, quàm divisionem: dum enim duas assignant identificationes, physicam seu quantitativam, & metaphysicam, & hanc secundam solùm ajunt esse rigorosam identificationem, aliam autem secundùm quid tantùm, & cum addito, nempe identificationem continuativam, seu quantitativam, reipsâ dicunt non esse veram identitatem, sed solùm unionem, & consequenter tantùm dicunt non esse partes illas actu divisas, non tamen non esse actu distinctas.

III. *Dantur partes actu distincta in continuo.*

Secunda, & vera sententia docet dari in continuo partes actu, & realiter distinctas: ita Greg. in primo d. 24. q. 1. ar. 2. Suar. d. 40. Met. §. 5. Tol. l. 6. Phy. q. 1. concl. 3. Conim. lib. 6. Phy. cap. 2. quæst. 1. ar. 2. & 3. Rub. l. 6. Phy. trac. de conti. num. 40. Mursia l. 6. Phy. d. 1. q. 6. Hurt. d. 15. Phy. s. 1. nu. 2. Arriaga d. 16. Phy. s. 2. n. 14. Oviedo contro. 17. Phy. p. 1. n. 2. & alij. Quam etiam sententiam fusè, & eruditè tradit D. Libertus Fromondus opere de Continuo peculiariter scripto.

IV. *Reperiuntur in eis signa omnia distinctionis realis.*

Ratio est, primò, quia omnia signa distinctionis realis inter eas partes reperiuntur, ut realis separabilitas, posse unam partem perire, altera manente, esse naturaliter simul in diversis locis, produci distinctis locis, & temporibus, & alia hujusmodi: quæ si non arguant distinctionem realem, quidni negemus Petrum & Paulum distingui realiter: Dices; ipso facto quod separentur, distinguuntur. Contra, separatio supponit distinctionem, nihil enim separari potest à seipso, alioqui quidni animal & rationale in homine à se invicem separari poterunt? certè non ob aliam rationem, nisi quia identificantur.

V. *Si manus identificetur cum brachio, hæc propositio est vera,* manus est brachium.

Secundò, si manus & brachium non distinguuntur realiter in corpore humano, ergo identificantur, ergo potest unum prædicari realiter de alio, ergo tam potest dici, manus à parte rei est brachium realiter, quam animal realiter est rationale, cùm ad prædicationem realem non requiratur, nisi realis identitas. Contrarium tamen videmus, verum enim est dicere caput realiter à parte rei non est pes, nec manus brachium, ergo habet negationem brachij, ergo distinguitur à brachio, cùm propterea à Petrus distinguatur à Paulo, quòd de eo affirmari possit ipsum non esse Paulum.

VI. *Nisi partes actu distinguantur in continuo non est actu compositum.*

Tertiò, continuum est actu compositum reale, ergo in eo reperitur actu compositio realis, ergo realis distinctio, cùm compositio sit distinctorum unio, & eo modo distinctorum quo est compositio, si compositio sit rationis, debent esse distincta ratione, si compositio realis, distincta realiter. Conf. hinc sequeretur manum aut pedem nunquam esse actu partem hominis, nam non quando sunt separata, ut constat, tunc enim non magis sunt actu partes hominis, quàm materia actu est pars ignis, vel hominis, antequam in eam actu inducatur forma ignis, vel anima rationalis, aut quàm homo est pars exercitus, vel numeri ternarij, nisi quando actu physicè, vel moraliter aliis adjungitur: sed nec hæ partes secundùm hanc sententiam sunt actu partes, quando sunt unitæ, tunc enim admitterent Adversarij actu partes in continuo, quas tamen negant: ergo nunquam sunt actu partes.

VII. *Una pars continui producit subinde aliam.*

Quartò, una pars continui producit aliam, & est vera causa Physica illius, ut quando magnus ignis producit & unit sibi aliam partem in materiâ applicata, ergo illa nova pars acquisita distinguitur realiter ab igne illo, nihil enim potest naturaliter producere seipsum. Dices; Distinguitur metaphysicè, sed non Physicè, & quantitativè. Contrà primò, ergo metaphysicè habent diversas realiter essentias actu, ergo actu dantur partes in continuo realiter metaphysicè distinctæ. Contrà secundò, hæc identitas Physica & quantitativa nihil est aliud præter unionem, ergo eodem modo posset quis dicere corpus & animam esse identificata in equo, vel homine, cùm tam verè sint unita Physicè ac partes continui.

Si uniri sit identificari, corpus & anima identificantur.

VIII. *Specifica distinctio, si non impediat unionem, non impediet distinctionē.*

Dices; corpus & anima non sunt ejusdem rationis. Contrà primò, sunt talis rationis ut possint inter se uniri, si ergo unio proportionata partibus quantitatis potest illas identificare, quidni etiam unio proportionata corpori, & animæ illa similiter identificabit? cùm æquè verè illa uniat, atque uniuntur partes quantitatis. Contrà secundò, si semel admittatur posse res duas realiter anteà distinctas realiter identificari, parum refert sive distinguantur numero, sive specie. Deinde in partibus saltem heterogeneis urget argumentum, cùm hæ partes aliquo modo specie distinguantur, & tamen secundùm hanc sententiam identificantur.

IX. *Negantes partes actu non effugiunt difficultatem continui.*

Quintò, per hunc modum philosophandi non vitant hi Autores difficultatem continui; eâ enim præcipuè de causâ sequuntur hanc sententiam ut solvent quo modo quodvis continuum non habeat actu infinitas partes, & consequenter non sit actu infinitum: sed hoc secundum non vitant, fatentur enim palmum quantitatis, & quamvis minimam ejus partem esse divisibilem in infinitum, ergo nunquam exhauriri potest, ergo est actu infinita, id enim juxta Aristotelem & Philosophos communiter est infinitum quod scilicet nullo finito tempore exhauriri potest, ergo est actu infinita pars illa, cùm actu habeat entitatem, quæ per divisionem nunquam exhauriri potest: unde quod inferunt Adversarij tamquam incommodum, nempe cuspidem acûs secundùm hanc sententiam habere actu infinitas partes; idem vel æquale inconveniens sequitur in illorum sententiâ, nam cuspis illa acûs juxta illos est actu tanta, ut nunquam exhauriri possit, nec tot partes ab eâ separari, quin plures & plures sint separabiles in infinitum.

Difficultas infiniti æquè urget in sententiâ negante partes actu.

X. *Negantes partes actu in continuo maximè urgentur in successivo.*

Sextò, in continuo saltem successivo æquè urgentur quoad infinitum actu, atque alia sententia, nam partes ibi pereunt successivè, ergo debent concedere actu infinitas partes temporis periisse, nam non potest assignari certus numerus, nunquam enim assignari pars ulla potest, quæ non sit adhuc divisibilis in infinitum, imò quæ non fuerit actu divisa in infinitas partes, nam omnes partes perierunt successivè, sed non potest assignari certus numerus earum quæ perierunt successivè, ergo est numerus sine numero, seu cujus nullus assignari finis potest, ergo infini-

finitus: hîc autem non possunt dicere esse solas partes potentiâ, non actu, quia actu omnes fuerunt divisæ, & successivè destructæ, ergo etiam juxta adversarios erant partes actu.

SECTIO II.

Objectiones contendentes non dari partes actu in continuo.

I. *Objicitur Aristoteles dicens in continuo non esse partes actu, sed potentiâ.*

OBjicies primò Aristotelem variis locis dicentem in continuo non esse partes actu, sed potentiâ, & actu esse unum, & alia hujusmodi. Ad hoc rectè respondet Suarez solùm velle Aristotelem non esse illas partes in continuo actu per modum entium completorum per se, sed ut complentes aliam entitatem. Ad secundum autem quando ait esse unum, intelligit omnes illas partes esse unum, non quòd verè sint unum inter se, & identificatæ, sed unum compositum; nam caput, manus, pedes, &c. sunt unus homo, omnes partes ignis sunt unus ignis, partes aquæ in mari sunt unum mare, &c.

II. *Quomodo continuum sit unum actu, potestate plura.*

Unde res omnis continua est unum actu, potestate plura, nempe est unum compositum actu, plura composita potestate, nam una aliqua aqua est quidem actu una, potest tamen dividi in tres partes, & tunc erunt tres aquæ, anteà autem non poterat actu dici tres aquæ. Aristoteles verò nunquam ait partes non esse distinctas, nec utitur hoc vocabulo, unum autem etiam secundùm Aristotelem non capitur pro identitate, sed idem subinde sonat quod simile, ut quando ait duos parietes esse unum in albedine, & Petrum ac Paulum unum vocat in naturâ humanâ.

III. *Objic. si partes sint actu distinctæ, continuum componi ex indivisibilibus.*

Objicies secundò: si omnes partes continui sint actu distinctæ, sequi continuum componi ex indivisibilibus: patet sequela, si omnes partes sunt indistinguibiles, ergo sunt indivisibiles, quando enim non possunt ulteriùs distingui; nec poterunt ulteriùs dividi. Resp. negando sequelam, nec enim sequitur Petrus est indistinguibilis à Paulo, ergo est indivisibilis, solùm enim est ab eo indistinguibilis, quia est actu distinctus: unde res quæque maxima, ut mons, arbor, domus sunt hoc sensu non minùs indistinguibiles ab aliis rebus, quàm punctum quodvis minimum, id est, non sunt in potentiâ ad distinctionem, quicquid enim est actu distinctum ab alio est ab eo indistinguibile, nec enim illud est solùm aptum distingui, seu in potentiâ ad distinctionem, quod est actu distinctum.

Non est idem esse indistinguibile ab alio, & esse indivisibile.

Dices; statuamus ergò unam partem quæ distinguatur ab omnibus aliis, vel est divisibilis, vel non: si non, ergo est punctum; si ita, ergo non est distincta ab omnibus aliis. Resp. negando suppositum: nulla enim una assignari potest pars, quæ adæquatè distinguatur ab omnibus aliis, sed solùm inadæquatè & tanquam includens ab incluso, nulla enim est quæ in se non includat infinitas: & propterea vocantur partes communicantes, ut posteà videbimus.

IV. *Nulla sumi potest pars in continuo adæquatè ab omnibus aliis distincta.*

Objicies tertiò: si actu distinguantur puncta à partibus, ergo possunt omnia separari, ergo tunc omnes partes remanebunt sine unionibus, ergo erunt indivisibiles: si enim omnia puncta destruantur, non sunt ullæ partes unitæ, ergo omnes divisæ, ergo nulla divisibilis. Resp. negando primam consequentiam: sicut nec sequitur, ubicatio & actio distinguuntur realiter à re ubicatâ, & conservatâ, ergo omnis actio & ubicatio separari à re illâ poterit, sic enim res esset & nullibi esset, & existeret sine actione conservante, quæ implicant. Eodem ergo modo in hoc casu sequeretur implicantia: essent siquidem partes, & non essent, essent ut supponitur, non essent quia dividi non possent, quod tamen est de conceptu essentiali partis, ut pars distinguitur à puncto. Potest ergo quodvis punctum separari, sicut & quævis actio, aut ubicatio non tamen omnia separari simul.

V. *Objic. posse puncta separari à partibus.*

Resp. quodvis punctum separari posse à partibus. non tamen omnia.

Objicies quartò: *ex duobus entibus in actu fieri nequit unum per se*, ergo partes in continuo non distinguuntur actu, sed tantum potentiâ. Contrà, si per entia in actu intelligantur solùm entia realiter distincta, certum est ex duobus entibus in actu hoc sensu fieri unum per se, corpus enim & anima realiter distinguuntur & tamen ex iis fit unum per se. Resp. ergo ex duobus entibus in actu completo non posse fieri unum per se, posse tamen ex duobus entibus in actu incompleto, quâ ratione sunt complebilia: partes ergo continui, aquæ ex. g. licèt sint completæ essentialiter, integraliter tamen sunt incompletæ, sicque ex illâ parte admittunt augmentum. Alia etiam argumenta hîc objici solent, quæ posteà in explicatione sententiæ nostræ de Continuo solventur.

VI. *Objic. ex duobus entibus in actu non posse fieri unum per se.*

Resp. id verum esse quando sunt in actu completo, non quando in incompleto.

DISPVTATIO XLIII.

De Vnionibus continui.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm in Continuo dentur uniones distinctæ à partibus.

I. *Prima sent. negat dari uniones distinctas à partibus.*

PRima sententia est quorundam recentiorum, qui negant in Continuo dari uniones ullas distinctas à partibus, sed ajunt partes, positis quibusdam dispositionibus accidentalibus, & indistantiâ locali, uniri seipsis.

II. *Contrà primò, sequeretur lignum, ferrum, &c.*

Impugnatur hæc sententia primò: aqua, ignis, ferrum, & alia hujusmodi sunt tota, seu composita substantialia, ergo non possunt eorum uniones esse accidentia, sic enim essent composita accidentalia, & nullam ex illis esset unum per se substantiale.

esse composita accidentalia

Respondent, ad hoc ut aqua ex. g. sit unum per se substantiale, sufficere quod partes illius principales sint substantiæ, ex iis enim, primariæ cùm sint, desumitur denominatio totius. Contrà primò, in compositis non desumitur denominatio à partibus tantùm, sed etiam ab unione, imò ab hac principaliter: Sic enim in homine totum dicitur generatum, licèt nec materia, nec forma generetur, sed sola unio. Ratio autem est, quia *Bonum ex integrâ causâ, malum ex quolibet defectu:* cùm ergo esse substantiam sit quid bonum, & perfectum respectu esse accidentalis, & quandam præ se ferat dignitatem, ut aliquid sit substantia, debet esse usquequaque substantia, seu nihil in se continere accidentale.

III. *Non à partibus tantùm, sed etiam ab unione sumitur denominatio totius.*

Bonum ex integrâ causâ.

Contrà secundò, ex illa enim solutione sequere-

IV.

tur

Acervus lapidum esset totum substantiale, cùm partes sint substantia.

tur acervum lapidum, aut tritici, esse quid substantiale, cùm primariæ illius partes, lapides scilicet, seu grana tritici, sint substantiæ, & sola unio, seu ubicatio accidentalis. Contrà tertiò, unio est forma compositi, ut compositum est, si ergo forma compositi sit accidens, compositum non potest esse substantiale.

V.

Potest Deus materiam, aut quantitatem conservare sine omni accidente, ergo unio eorum continuativa non est accidens.

Impugnatur illa sententia secundò: potest Deus materiam, aut quantitatem conservare sine ullo omninò accidente, ergo unio eorum continuativa non consistit in aliquo accidente. Consequentia est clara, in illo enim casu partes materiæ, aut quantitatis, adhuc manerent inter se unitæ, alioqui continuum divideretur in omnes suas partes. Antecedens itaque probatur primò, potest enim Deus conservare materiam sine omni formâ substantiali, ergo & sine omni formâ accidentali. Secundò, potest Deus conservare accidentia sine materiâ seu subjectorum, ergo & subjectum seu materiam sine accidentibus, nec ulla disparitas assignabitur, nisi petendo principium. Tertiò, potest Deus secundùm hos auctores conservare materiam, & quantitatem sine omni ubicatione, ac duratione, ergo à fortiori sine aliis accidentibus, cùm secundùm omnes difficilius multò censeatur rem aliquam spoliare omni ubicatione & duratione, quàm calore, frigore, & reliquis accidentibus absolutis.

VI.

Non potest assignari quodnam sit illud accidens, quod statuitur pro unione partium continui.

Impugnatur tertiò: & inquiro quodnam sit hoc accidens, quod statuunt pro unione continuativa partium materiæ? si enim accidens hoc sit calor, frigus, aut aliud hujusmodi, sequitur unionem continuativam materiæ, aut quantitatis, singulis fermè momentis, totam mutari, hæc enim accidentia frequentissimè mutantur, his destructis, & aliis in eorum locum succedentibus: si verò esse velint occultam quandam qualitatem, præstet unionem substantialem agnoscere, quàm ad hujusmodi abstrusa, & omnibus ignota confugere.

VII.

Dices, accidentia non esse unionem ipsam, sed tantùm conditiones.

Dicent fortasse accidentia illa, seu dispositiones non esse ipsam formalem unionem continuativam, sed solùm esse conditionem essentialem, quâ positâ, partes materiæ & quantitatis uniuntur seipsis. Contrà primò, jam ostendi, separato etiam omni accidente, manere partes materiæ, & quantitatis unitas. Contrà secundò, ponamus Angelum intuitivè videre materiam aliquam non videndo ulla accidentia: inquiro utrum Angelus ille in hoc casu videret partes unitas, & totam essentiam unionis earum continuativæ? Si non, ergo accidentia sunt ipsa formalis unio, & redeunt argumenta omnia suprà posita: Si videret totam essentiam unionis continuativæ, ponamus, persistente adhuc eâdem visione partium, Deum tollere accidentia, Angelus nullam advertet mutationem, sed videbit adhuc totam essentiam unionis earum continuativæ, ergo tam sunt unitæ ablatis accidentibus, ac quando accidentia iis inerant, ergo accidentia & dispositiones ne quidem sunt conditiones essentiales ad unionem requisitæ.

Variè refellitur hæc responsio.

VIII.

In sententiâ negantium unionem in continuo sequitur mutua causalitas.

Impugnatur quartò: materia non est apta ut recipiat formam ullam, vel substantialem, vel accidentalem, donec partes ipsius integrantes inter se uniantur, & sit continua, cùm existere nequeat divisa in omnes suas partes, ergo pro aliquo priori debet habere unionem continuationis, quàm recipiat has dispositiones, ergo dispositiones nec sunt unionis ipsæ continuativæ, nec conditiones essentialiter ad eas prærequisitæ, cùm educantur ex potentiâ materiæ, & in illâ Physicè subjectentur: sic enim daretur mutua inter materiam & has dispositionas causalitas. Conf. dispositiones ipsæ, & ubicationes habent diversas partes integrantes, & faciunt unum continuum accidentale, ergo vel ponere debent hi auctores dispositiones dispositionum in infinitum, vel unionis aliquas agnoscere, partium illarum continuativas.

In dispositionibus ipsis, & ubicationibus, admitti debent unionis.

Dicendum itaque, in continuo præter partes, necessariò admittendas esse unionis aliquas continuativas, quarum munus sit has partes inter se connectere, & unà cum illis compositum integrale constituere. Hæc conclusio probata sufficienter est impugnatione prioris sententiæ. Cujusmodi verò sint hæ unionis constabit ex sectione sequenti. IX.

Infertur dandas necessariò unionis in continuo.

SECTIO II.

Vtrum continuo sint vera indivisibilia.

NOtandum sicut divisibilitas est triplex, ita indivisibilitatem illi respondentem esse similiter triplicem: alia est ergo divisibilitas secundum trinam dimensionem, seu longitudinem, latitudinem, & profunditatem, & indivisibilitas huic correspondens, est *superficies*: alia est divisibilitas secundùm latitudinem tantùm, quæ est ipsa superficies, & indivisibilitas huic correspondens est *linea*: tertia demum est divisibilitas omnium minima, seu secundùm longitudinem tantùm, quæ est linea, & huic correspondet indivisibilitas omnium maxima, nempe *punctum*, quod vocatur indivisibile simpliciter. *Superficies* est indivisibilis versus unam demensionem, nempe profunditatem, sed divisibilis quoad longitudinem & latitudinem: *linea* est indivisibilis versus latitudinem & profunditatem, sed divisibilis versus longitudinem: *punctum* verò versus omnem dimensionem est indivisibile. I.

Divisibilitati triplici triplex correspondet indivisibilitas.

Punctum est indivisibile simpliciter: linea, & superficies secundùm quid.

Prima sententia indivisibilia omnia tollit è continuo, & illa, quæ communiter indivisibilia esse dicuntur, nihil eliud esse affirmat, quàm negationes divisionis: ita Ockam tract. de Sacram. Euchar. c. 1. & 2. Greg. in 2. d. 2. q. 2. a. 1. Durand. in 2. d. 4. & alij nonnulli. II.

Prima sententia omnino negat indivisibilium continuo.

Secunda sententia est eorum, quos disp. præced. §. 1. n. 1. tuli qui sicut partes actu distinctas negant in continuo, ita similiter negant in eo dari indivisibilia actu, sed solùm in potentiâ. Quæ sententia iisdem argumentis impugnatur hîc quoad indivisibilia, quibus ibi impugnata est quoad partes. III.

Secunda ait solum esse indivisibilia in potentia.

Tertia demum, & vera sententia affirmat dari in continuo vera, & realia indivisibilia, à partibus actu, & realiter distincta: ita S. Thomas Opusc. 36. c. 2. & quodl. 7. c. 9. ad 2. & q. 17. de veritate, a. 2. ad 10. Alensis l. 3. Met. c. 5. Scotus in 2. d. 1. q. 3. & 2. q. 4. Sotus in Præd. quant. Cajet. 3. p. q. 4. a. 2. Fons. 5. met. c. 13. Sua. d. 40. met. s. 5. n. 13. Conim. l. 6. Phy. c. 2. q. 1. a. 2. Rubius l. 6. Phy. tr. de continuo nu. 14. & 15. Murcia l. 6. d. 1. q. 1. Hurtad. d. 15. Phy. s. 2. Oviedo cont. 17. Phy. p. 1. n. 4. & 5. estque communis inter recentiores opinio. Non tamen eodem omnes modo hâc in re procedunt: Fonseca enim citatus, & Abulensis in c. 11, Exod. q. 4. admittunt puncta terminativa, & negant continuativa. Alij è contrà puncta continuativa admittunt, negant terminativa. IV.

Tertia, & vera sententia docet esse actu indivisibilia in continuo.

Alij puncta terminativa admittunt, negant continuativa, alij è contrà.

Dari ergo in continuo vera & realia indivisibilia probatur primò, argumento illo de sphærico & plano. Si ergo perfectè sphæricum ponatur permanenter suprà perfectè planum, solum tangit illud in puncto, si enim tangat secundùm plus quàm punctum, ergo non est perfectè sphæricum, cùm adhuc possit tangere in minore parte, & consequenter tunc esset magis rotundum quàm modò, ergo jam non est perfectè rotundum. Confirmatur, quia tangit planum secundùm plus quàm punctum, ergo tangit plus quàm punctum in plano, ergo secundùm aliquid adæquatur plano, ergo habet planitiem, & non est secundùm totum perfectè curvum, & rotundum. V.

Dari indivisibilia in continuo probatur argumento de sphærico, & plano.

Negant

VI. *Gratis negatur dari posse perfectè sphæricum.* Negant aliqui posse dari globum perfectè sphæricum. Sed contrà, negare hoc divinæ potentiæ est durissimum,& merè gratis dicitur ad vitandam vim argumenti.

VII. *Alij dicunt nunquam posse sphæricũ tangere planum immediatè.* Alij ergo cum Albertino suprà citato, ut vim etiam argumenti declinent, dicunt nunquam posse sphæricum tangere planum immediatè, ita ut,si ingens aliquis lapis perfectè sphæricus caderet summo impetu ab ipsa sphæra lunæ super planum in terra positum, asserant tamen ad illud nunquam perventurum, seu tacturum illud immediatè, sed semper interponi minimam aliquam particulam aëris,& sic non est mirum,inquiunt,quòd non tangat planum illud in puncto, cùm non omninò tangat. Hæc solutio per se videtur incredibilis; cùm enim aër secundùm omnes suas partes sit liquidus, quidni cedent æquè ultimæ partes,ac primæ? Deinde si potuit lapis ille vincere omnes alias partes intermedias, quidni etiam illas? prætereà, si caderet magna vi imprimeret vestigium sui, & partes plani illi respondentes subsiderent,ergo in illo casu tangerentur.

Contra: globus ille cadens findit alias partes aeris,ergo & plano proximas.

VIII. *Quare ensis subinde crus scindat, non scisso tibiali.* Dices; sicut ensis subinde scindit crus, integro adhuc tibiali, ita & lapis imprimet signum illud,licèt aër intermediet: sicut etiam idem signum imprimeret sphæricum, licèt panno aliquo tegeretur planum. Sed contrà,id enim de ense est aliquid peculiare, nam ensis non potest tibiale illud scindere, cùm cedat,ex eo quòd caro seu molle quiddam supponatur: sed quod aër ille non cedat,videtur gratis omninò dictum, eodem enim modo dici posset, cũ cuiquã caput præscinditur, vel corpus sagitta transfigitur,non fieri immediatè à gladio vel sagitta,sed ab aëre interposito.

IX. *Alia ratio cur aliqui negent posse dari perfectè sphæricum.* P.etiam Hurtad. d.15.s.2.n.26. non placet prædictum argumentum,sed alio ex capite: nam,inquit sphæricum illud potest rotari super planum,& illud semper tangit, ergo semper in puncto, ergo nihil tanget,vel tanget ur in hoc vel illo,nisi puncta,ergo nihil est in iis præter puncta, ergo componitur utrumq, ex solis indivisibilibus. Aliqui negãt posse sphæricum illud omninò rotari super planum. At hoc non est necessarium ad solutionem Argumenti.

Potest sphæricum rotari supra planũ, & indivisibile successivè correspondere divisibili. Dico ergo,successivè posse aliquid indivisibile correspondere divisibili, hoc enim nihil aliud est, quã quod possit per omnes illius partes paulatim transire, & illis successivè correspondere, ad hoc autem non requiritur,ut ulli illarum commensuretur, vel illi in magnitudine sit æquale.

IX. Nec videtur negari posse indivisibile frequenter successivè correspondere parti divisibili; nam quando duo corpora plana, ut duæ tabulæ,vel ambæ manus se invicem tangunt permanenter, pars correspondet parti,& punctum puncto: quãdo ergo dum adhuc se tangunt moventur diversa via manus illæ, vel tabulę,puncta,quę priùs correspondebant punctis, jam successivè necessariò correspondent partibus, quæ in compositione continui punctis localiter succedunt. *Indivisibile frequenter successivè correspondet divisibili.*

Secundò,probatur dari indivisibilia in continuo: materia prima est unum per se, & non aggregatum per accidens, ergo inter partes illius debet intercedere unio, sed hæc, qua parte est unio, debet esse indivisibilis, ergo. Probatur minor,si unio hæc sit divisibilis,ergo habet partes,ergo illæ debent uniri, nam si unio ipsa sit aggregatum tantùm per accidẽs, compositum ipsum non potest esse unum per se.De hac ergo unione quæro an sit indivisibilis? sicq; vel procedendum erit in infinitum in unionibus unionum,vel tandem sistendum in aliquo indivisibili. XI. *Alio modo probatur dari indivisibilia in continuo.*

Quæres à quo producantur hæc indivisibilia? Resp. indivisibilia omnia, præter indivisibilia materiæ primæ posse vel produci ab eo qui producit partes, ut in qualitatibus, vel etiam ab ipsis partibus: indivisibilia autem materiæ videntur debere produci à solo Deo, cùm enim non possint propriè habere subjectum, dici debent creari, ac proinde à solo Deo existentiam suam accipere. XII. *A quo producantur indivisibilia in continuo.*

Quæres 2. an dari possit indivisibile, seu punctum aliquod separatum à partibus? Resp. si sit semel unio partium, non potest: sicut autem dantur juxta probabilẽ sententiam non solùm puncta continuativa seu connectentia duas partes inter se,sed etiam terminativa, quę respiciunt unam tantùm partem, ita quidni dari poterit punctum aliquod absolutum ab omni parte, & quod nullum omninò respiciat,qualia plurima ait P.Suar.esse in continuo permanente,& in successivo omnes videntur esse hujusmodi, cùm existant puncta quando partes non existunt, ac proinde tempus,motus & omne successivum non est ita propriè, & in rigore continuum cum nunquam existat unio quando existunt partes, nec è contrà. XIII. *Dari potest punctum per se solum existens, & separatum à partibus.*

Probatur ulteriùs: Angelus juxta communem sentẽtiam potest pro libito existere in solo puncto, ergo tunc habet ubicationẽ sibi correspondentem, nempè indivisibilem,ergo nullas habet partes ubicatio illa, ergo est solùm unicum punctum,& consequenter existit punctum sine ullis partibus. XIV. *Vbicatio Angeli existentis in puncto est punctum.*

Sicut autem sunt aliquæ partes determinatæ,aliæ proportionales & indeterminatę,ita & sunt puncta quædam determinata correspondentia partibus determinatis, & alia indeterminata, & proportionalia correspondentia partibus proportionalibus, & indeterminatis. Sed de his iterum recurret sermo in sequentibus. XV. *puncta quædam sunt determinata, quædam indeterminata.*

DISPVTATIO XLIV.

Proponitur sententia Zenonis.

SECTIO PRIMA.

An continuum componatur ex solis indivisibilibus.

I. *Sententia continuum componens ex solis indivisibilibus.* ZEno,quem Stoici hac in parte sequebantur, continuum omne dicebat ex indivisibilibus, seu punctis mathematicis componi. Idem affirmabat Pythagoras, Democritus, Leusippus,& alij. Quam etiam sententiam amplectitur P. Herice *t.p. R.P.Th.Comptani Philosophiæ* to.4.d.43.c.2.n.6.& in eam valdè propendere videtur P. Arriaga hîc disp.16. & non pauci tenent ex recentioribus.

Hæc opinio non eodem modo à suis auctoribus defenditur: alij enim continuum componi dicunt ex indivisibilibus, seu punctis Mathematicis infinitis: hi autem in omnes fermè difficultates, quæ in opinione Aristotelis reperiuntur, incurrunt. & novas superaddunt. Alij (estque communior eam defendendi modus) ex indivisibilibus solummodò finitis. II. *duobus modis defenditur hæc opinio.*

Sed contra hanc sententiam de invisibilibus III.

Prima impugnatio sententiæ componentis continuum ex indivisibilibus.

universim est primò: nam secundùm eam linea cõponitur ex solis indivisibilibus juxta se positis, ita ut non penetrentur puncta illa inter se, ponamus ergo lineam confici ex talibus duobus punctis. Potest Deus ducere aliam lineam transversam rectè per medium illius lineæ, & eam secare, linea ergo illa transversa non potest transire per aliquod intervallum: inter utrumq; punctum relictum, nam supponimus nullum esse hujusmodi, sed puncta illa esse sibi immediata, ergo debet transire vel per utrumq; illud punctum, & cum iis adæquatè penetrari, & sic non erit linea, quia habebit latitudinem; vel penetrabitur cum utroq; puncto inadæquatè, ergo illa puncta non strictè puncta, sed habent aliquid & aliquid, nam aliquid puncti A penetratur cum illa linea, & aliquid etiam puncti B; aliquid verò etiam utriusque non penetratur: & idem est de ipsa linea transversa, quæ secundùm punctum sui penetratur inadæquatè cum utroq; puncto lineæ, quam secat, ergo aliquid illius est in uno puncto, & aliquid in altero.

sequitur hæc puncta non esse Mathematica, sed inflata.

IV.

Negat aliqui posse duci hanc lineam transversã. Sed petunt principium.

Dices: implicare ut ducatur hujusmodi linea. Sed contrà, durum dictu videtur non posse Deum ducere lineam rectam per medium cujuscunque rei: nec assignari potest ratio hujus implicantiæ, nisi petatur principium, & dicatur non posse fieri quia sequitur hæc implicantia, sed ob hoc potiùs videtur non sequenda hæc sententia, ex qua sequitur talis difficultas. Deinde non videtur cur nõ possit Deus ducere lineam transversam, saltem usque ad illa puncta ex utraq; parte illius lineæ, tunc autem videtur æqualiter penè urgere difficultas, cùm possit perspici cui rei correspondeant illæ partes lineæ, & sic recurret idem Argumentum.

V.

Secundò, impugnatur ex quatuor pũctis conjunctis ad constituendum quadrum.

Secundò, ponamus quatuor puncta collocari in quadro, & ex iis constitui continuum quadratum, ut in sententia Zenonis poni debet in omni continuo. Quæro quomodo hæc quatuor puncta se tangant: tangere enim se omnino debent in hac sententia, ut constituant perfectũ quadrum: ponamus ergo punctum Orientale seu A, & Occidentale seu B se tangere immediatè, & constituere lineam diametralem: duo alia puncta, meridionale scilicet, & septentrionale tangunt se, seu sunt sibi immediata, vel non? negari non potest ea se tangere, alioqui nõ constituerent quadrum, sed illa altera linea diametralis constaret ex tribus punctis, sicq; esset longior illa, quæ constituitur ex puncto Orientali & Occidentali: sed non possunt se tangere, nam tunc deberent penetrari cum aliis punctis, quod negant hi auctores fieri posse, & si fieret non constituerent quadrum: vel debent tandem penetrari illa puncta inadæquatè, & sic redit prius argumentum. Fatentur hoc argumentum solvi non posse: dicunt tamen latere eos aliquod principium, quod ubi cognoverint, argumentum se soluturos pollicentur.

Zenonistæ argumenti hujus solutionem pollicentur.

VI.

Ex sententia Zenonis sequitur duos circulos quorũ unus intra alium includitur, esse in magnitudine æquales.

Tertiò, evidenter demonstrant Mathematici, quando duo circuli ita constituuntur, ut unus collocetur intra alium, nõ posse illos esse æquales, sed circulum includentem, necessariò esse majorem incluso, ergo ex pluribus punctis circulus majus, seu exterior conficitur, quàm minor & interior. Tum sic, ponamus circulum majorem constare determinatè 30. punctis, & minorem 15. sequeretur in sententia Zenonis hos duos circulos esse æquales, & tot contineri puncta in minore circulo, quot in majore. Quod sic ostendo: potest à quovis puncto circuli duci linea recta ad centrum, ita ut nullæ duæ lineæ coeant, antequam perveniant ad centrum, si enim coalescerent antè centrum, non essent rectæ, sed aliquantulum incurvæ: quod clariùs constat, si ducantur lineæ à centro ad circumferentiam, quò enim longiùs recedunt à centro, eò magis à se distant, ergo non possunt coalescere in circulo minori: sed nulla ex his lineis est, quæ non transeat per circulum minorem, ergo singulæ lineæ penetrantur cum uno puncto illius, sed nullæ duæ lineæ penetrantur cum eodem puncto circuli minoris, sic enim coirent antequam pervenirent ad centrum, ergo singulæ lineæ penetrantur cum singulis punctis, ergo si ducantur 20. vel etiam 30. lineæ à majori circulo, penetrabuntur cum totidem punctis in minori, ergo erant hi duo circuli æquales, & ex tot punctis constabat minor circulus quot major.

VII.

Hæc objectio de duobus circulis intra se inclusis nõ tantam difficultatem habet in opinione Aristot.

Dices; hoc argumentum eandem habere vim contra sententiam Aristotelis. At licèt negari non possit habere etiam aliquam difficultatem in ea sententia, non tamen habet tantam, atque in hac: quocunque enim determinato puncto assignato in majori circulo, correspondet ei aliud determinatum in minori, sed semper major pars circuli interjicitur inter duo pũcta determinata in majori circulo, quã in minori, idque cum proportione dupli, tripli &c. juxta proportionem illam qua major circulus excedit minorem. Si verò sermo sit de punctis indeterminatis, seu quæ correspondent partibus proportionalibus, major est difficultas: in iis ergo si formetur argumentum, primò negari debet suppositum, nempè posse fieri correspondentiam aliquam peculiarem inter puncta partium proportionalium: cùm enim partes proportionales simpliciter non sint partes, sed solùm secundùm quid (nam secundùm quid tantùm distinguuntur) non possunt propriè dici plures vel pauciores.

VIII.

Comparatio partium proportionalium utriusq; circuli.

Secundò, dici posset unicuique parti proportionali in majori circulo correspondere etiam partem proportionalem in minori, sed semper est minor pars parte illa in majori circulo: in punctis autem indeterminatis non videtur fieri posse comparatio secundùm peculiarem aliquam correspondentiam, ut jam diximus, sicut nec etiam propriè de partibus, cum partes proportionales sint solùm affectiones determinatarum.

Quartò, impugnatur hæc sententia alia demonstratione Mathematica, quæ nõ ita urget sententiam Aristotelis de partibus & punctis. Demonstrant Mathematici lineas omnes ductas ab una costa pyramidis ad aliam debere esse in longitudine minores basi: ponamus ergo basin habere sex puncta, & singulas costas duodecim: potest à singulis punctis unius costæ duci linea transversa ad singula puncta costæ alterius: ducantur ergo undecim lineæ (nam coëunt duæ costæ, & junguntur in puncto 12.) prima ergo linea, quæ est vicinior cuspidi pyramidis, habet ad minimum duo puncta, alioqui non est linea: secunda habet tria puncta, cùm in aliquo excedere debeat primam, sed non in aliquo minore eam excedit, quàm in uno puncto, cùm nihil puncto sit minus, ergo. Deinde tertia linea habebit quatuor puncta: quartà quinque: quinta sex, & sic deinceps, ergo 11. habebit 12. cum excedere debeat omnes superiores, sed basis, ut supponimus, tantum habet sex puncta, ergo lineæ superiores sunt multo longiores basi, cum tamẽ vel ad oculũ constet contrarium, & est per se manifestum. Hoc argumento

Impugnatur sententia Zenonis argumento pyramidis, in qua sequeretur lineas superiores esse longiores basi.

gumento premuntur Zenonistæ: in Aristotelis verò sententia non videtur media ex parte habere tantam vim.

X.

In sententia Zenonis sequitur lineã diametralem quadranguli transversam non esse longiorem costa.

Quintò, demonstrant Mathematici lineam diametralem quadranguli, quę transversa ducitur ab uno angulo ad alium, debere esse longiorem lineis costalibus, sed in sententia Zenonis sequeretur eas esse æquales, ergo. Probatur minor: ponamus singulas costas habere 8. puncta, & lineam diametralem duodecim, ducatur linea à singulis punctis unius costæ ad singula puncta alterius, hæ omnes lineæ ita transibunt per lineam diametralem, ut penetrentur cum singulis punctis illius, nam si relinquant aliquod punctum cum quo non penetrantur, ergo inter singulas lineas relinquitur punctum, ergo linea diametralis est duplo longior ulla ex costis, quod tamen est apertè falsum, ergo nullum est punctum in diametro cui non respondeat alterum in costa, ergo costa est æquè longa, ac diameter.

XI. *Difficultas de linea diametrali transversa nõ ita urget in sententia Aristotelis.*

Hæc difficultas non ita urget in sententia Aristotelis: nam in ea dicunt illius auctores, à singulis quidẽ punctis determinatis unius costæ duci posse lineam ad punctum determinatum alterius, & transire per singula etiam puncta diametri, sed relinqui semper asserunt majorem partem inter puncta, quę lineæ illæ pertranseunt in diametro, quàm in costis, & sic constat lineam diametralem esse semper majorem costalibus. Quoad partes autem proportionales, sicut non sunt propriè partes, cùm nõ propriè distinguantur, sed solùm secundùm quid, ita non est propria inter eas correspondentia: semper tamen parti proportionali in costa correspondet alia in diametro, sed major: nunquam tamen successivè capi possunt omnes partes, nec in costa, nec in diametro. Unde frustra se solantur Zenonistæ habere se in hac difficultate socios Aristotelicos, licèt magnoperè premi se vi argumenti fateantur.

SECTIO II.

Impugnatur sententia Zenonis, ex velocitate & tarditate motus.

I. *In sententia Zenonis sequitur testudinem æquè celeriter incedere, ac equum summo impetu currentem.*

SExtum argumentum est de motu: ex hac enim sententia sequitur testudinem æquè celeriter moveri, atque equum summo impetu currentem: ponamus enim utrumq; infumere in motu quadrantem horæ, vel centum instantia; equus uno instante temporis non acquirit nisi unum punctum spatij, alioqui esset in duobus locis adæquatis simul, quod clarius cernitur, si comparemus singula puncta equi cum singulis punctis spatij: singula enim puncta equi essent in duobus locis adæquatis, & unumquodque punctum equi esset in extensione æquè latum, ac duo puncta spatij, quod de eodem instãte dici nullo modo potest: sed testudo illo ipso instante acquirit punctum spatij, nam aliquid acquirit, sed non minus quàm indivisibile, seu punctum, cùm minus dari nequeat, ergo acquirit punctum, ergo in centum instantibus temporis, acquirit testudo centum puncta spatij, ergo tam celeriter movetur atque equus, eodem enim tempore tantum spatij percurrit, quantum ille, quod tamen est manifestè falsum, ut constat.

II. *Sententia Aristotelis facilius so*

In sententia autem Aristotelis hoc non ita urget, cùm nõ fiat motus in instantẽ, sed in parte temporis, singulis autem partibus temporis conficit equus decuplo velociorem motum quàm testudo, & decuplo plus spatij acquirit in omni parte determinata temporis: quod in alia sententia dici nequit, cùm in instante acquiri nequeat nisi unum punctum spatij, ut dictum est. Unde P. Gregorius à S. Vincentio in eruditissimo suo opere de *Quadratura Circuli*, lib. 2. qui est de *Progressionibus Geometricis*, post Propositionem 87. (ubi in scholio multa hac de re subtiliter disputat) non solùm asserit Achillem cursu assecuturum aliquando testudinẽ, sed punctum ipsum, in quo eam assequetur, designat, seriùs tamen aut citius pro excessu in velocitate morũs, & diversa proportione dupla, quadrupla, &c. At in sententia Zenonis omnia ex solis indivisibilibus componente, hic ejus discursus, & calculatio locum omninò non habet, cùm in hac opinione, nulla dari queat in cursu inæqualitas, aut diversitas velocitatis in motu, sic enim, ut proximè declaravi, sequeretur Achillem, vel equum eodem planè instante temporis, esse simul multiplicatum in pluribus locis adæquatis, quod fieri naturaliter non potest, ut ostendi d. 55. Phys. s. 1. Hoc multò clariùs constabit, si ponamus existere à parte rei separata duo indivisibilia, auri unum, alterum argenti, & duos Angelos (quos in puncto existere posse docent passim Philosophi) esse iis intimè præsentes, Angelum A indivisibili auri, Angelum B argenti. Si ergo illo instante, quo Angelus B lentissimè, & gradu, ut ita dicam, testudineo movet granum illud, seu indivisibile argenti, Angelus A multò celeriùs moveat indivisibile auri, eodem instante, quo argentum moveretur ab F e.g. in G. & occupat punctum spatij sibi proximum, aurum in puncto A priùs existens, occupare debet quatuor, aut quinque puncta spatij, B. C. D. E. F. ieque eodem instante in iis omnibus simul existet; cùm, ut dixi, in instante nulla sit successio.

ex eadu ab argumento de motu equi & testudine. P. Greg. à S. Vincentio, de Quadratura circuli.

III. *Dicunt testudinem per plures morulas sistere, quàm equũ.*

Ad argumentum ergo num. 1. positum respondet P. Arriaga disp. 16 Phys. sect. 11. n. 233. ex Galen. l. 1. de dignoscendis pulsibus c. 1. Vallet. l. 3. cont. Medic. c. 8. & aliis, sistere testudinem per plures morulas, quàm equum, id est, plura esse instantia illius temporis, in quibus non movetur testudo, quam in quibus non movetur equus, licèt uterque aliquas habeat morulas, & hinc, inquiunt, provenit major tarditas, vel velocitas in omni motu.

IV. *Saltẽ testudo quando movetur, æquè celeriter movetur, ac equus.*

Sed contra primò, saltem testudo, quandocunq; movetur, æquè celeriter movetur, ac equus. Contra secundò, gratis enim statui videntur hæ morulæ. Contra tertiò, sic enim in omni motu, quantumcunque veloci, essent frequentes pausæ, ac morulæ, cùm alius hoc velotior dari queat.

V. *Sequitur nullum motum fuisse continuũ, ne quidem ad duo instãtia.*

Contra quartò, hinc enim ulteriùs apertè sequitur nullum unquam motum fuisse continuum, ne quidem ad duo instantia. Probatur sequela, nullus hactenus extitit motus, ut dictum est, quo velocior dari nequeat, ergo inter singula puncta motus interponi debuit saltem instans quietis, alioqui pars illa motus esset summè velox, & quo nec divinitùs velocior produci posset, ergo singula illa puncta motus fuerunt morulis interrupta.

VI. *Sequeretur aquilam velocissimè volantem multò plus quiescere quàm movert.*

Contra quintò, sequeretur non testudinem tantùm, sed equum, aut aquilam velocissimè se moventes plus quiescere quàm moveri, & tot morulis interrumpi eorum motum, ut in iis quies seu cessatio à motu appareret. Probatur, motu enim equi, quantumvis citato, dari potest alius centies, aut etiam millies velocior. Imò P. Clavius in c. 1. sphæræ demonstrat motum cœli esse adeò velocem, ut quodvis punctum æquatoris in convexo firmamenti velocius moveatur, quàm lapis aliquis, qui spatio salutationis Angelicæ circuiret septies totam terram. Hic ergo motus centies millies superat motum et-

Quies in cursu equi esset centies millies major motu.

iam velocissimum equi aut aquilæ, ergo secundùm hanc sententiam centies millies sistere magis in suo motu debent & quiescere, quàm moveri, hicq; manifestè appareret eorum quies. Quid ergo hac in parte fiet tandem de testudine?

VII.

Morę illæ nō essent exiguæ, sed magnæ, ergo apertè discernerentur.

Dicit P. Arriaga morulas hasce esse minutissimas, ideoque sensu non percipi. Contrà, motus ille cœli centies millies, ut dixi, in velocitate excedit motum lapidis alicujus è turri decidentis, ergo morulæ hujus lapidis millies & ampliùs superare debent morulas cœli, ergo non sunt minutæ, sed maximæ, nec morulæ, sed motæ, & consequenter sensu facilè perceptibiles.

VIII.

Non potest assignari unde lapidi molari cadenti provenirent morulæ.

Ulteriùs, ponamus ingentem lapidem de media aëris regione in terram decidere: quæro, utrùm haberet morulas? Respondent affirmativè. Inquiro, unde hæ morulæ proveniant? dicunt, ex aëre resistente. Contra, *Idem in quantum idem, semper est aptum facere idem*, ergo si in primo instante poterat lapis ille devincere resistentiam aëris, cui tunc applicabatur, cur in secundo instante non vincet resistentiam illius etiam aëris, cui tunc applicatur? in secundo enim instante habet tantum virium, atque in primo, nec enim cadendo amittit quidquam virium, sed potiùs acquirit, cùm quò ulteriùs fertur, moveatur celeriùs.

IX.

Ponamus duos lapides, alterum parvum, alterū molarē, unà cadere, annihilato aëre, tunc nullæ erūt morulæ.

Deinde, ponamus lapidem aliquem molarem cadere à sphærâ lunæ in terram, & omnem aërem intermedium annihilari, ita ut sit vacuum, tunc aër non resisteret, ergo nullæ erunt morulæ, ergo si duo lapides, parvus alter, alter molaris simul caderent, moveretur uterque æquè velociter, quod dici non potest, cùm virtus motiva unius sit major virtute motiva alterius, & uterque agat quantum potest: sicut enim si puer aliquis & equus unà moverentur in vacuo, seu annihilato aëre currerent super terram summo impetu quo possunt, nullus dicet puerum æquè velociter cursurum, atque equum, cùm equus habeat majores vires, ita nec in præsenti. Quod autem lapides illi æquè velociter moverentur, videtur manifestum in illa sententia, nam neuter sisteret, vel ad unum instans, ergo uterque æquali tempore æquale spatium conficeret, imò ulteriùs sequitur motus hos fore omnium velocissimos quos potest Deus efficere, quod tamen planè videtur ab omni ratione alienum. Prædicta solutio magis impugnabitur sect. sequente.

SECTIO III.

Vrgetur ulterius argumentum de velocitate motûs.

I.

Vrgentur Zenonistæ motu circulari rotæ, & orbium cælestium.

OMnium maximè contra solutionem hanc de morulis urget instantia illa de motu circulari rotæ. Ponamus ergo magnam aliquam rotam ferream æream aut lapideam (idem est de motu cœli circa polos) in hac rotâ singula puncta circuli eximi, seu remotissimi ab axe & centro, decuplo celeriùs moventur, quàm puncta circuli axi vicini, cùm eodem tempore decuplo majus spatium acquirant: inquiro, unde proveniat tarditas illorū punctorum? non ex morulis, tunc enim deberent quiescere puncta omnia minoris circuli, motis punctis circuli majoris, hoc autem fieri non potest, sic namq; discontinuarentur, & rota frangeretur, quantumcunq; sit ferrea, vel ænea, cujus tamen contrarium videtur evidentissimum: unde enim postea iterum continuarentur in fine motûs? cùm ferrum, æs, aut lapis post deunionem difficillimè iterum continuentur, ut quotidiana docet experientia.

Si in motu rota sint morulæ, rota, quoties movetur, frangeretur in omnes fermè partes.

II.



Clariùs hoc idem per hanc figuram explicatur: designentur ergo tria puncta in particulari in majori circulo, A B C sibi immediata, & in minori circulo unum tantùm, nempè D, quod linea recta perpendiculari correspondeat puncto B: punctum ergo B in superiori circulo longè celeriùs movetur, quàm punctum D in inferiore, ergo punctum D quiescit ad instans dum movetur punctum B, ergo relinquit lineam, quæ correspondebat puncto B, & correspondet puncto A, ergo paulò pòst correspondebit alteri etiam puncto anteriori, quàm sit punctum A, & postea iterum alteri, donec tandem veniat ut sit è diametro oppositum puncto B, & planè ex altera parte centri, ergo non solùm discontinuatur, sed antè finem motûs erit valdè distans à correspondentia per lineam rectam ad punctum B: cujus tamen contrarium videtur omninò manifestum. Si enim ducatur linea alba, vel rubra antè motum in rota illa, quæ transeat per punctum B & punctum D, videbitur tam recta in fine motûs, quàm fuit in principio, ergo partes subjecti illius lineæ coloratæ nō discontinuabantur, nec sistebant, sistente enim subjecto, debent necessariò sistere accidentia, sicque linea illa in fine motûs esset curva, quod tamen vel ad oculum constat esse falsum.

In opinione de morulis puncta propè omnia mutabunt situm respectu sui.

III.

Singulæ pendent momentis omnes rotæ circuli discontinuarentur.

Imò ulterius sequitur, singulis penè momentis omnes circulos in rotâ discontinuatum iri, & consequenter tota rota dissolvetur, siquidem quando unum punctum circuli minoris sistit, sistunt necessariò omnia, & totus ille circulus, alioqui puncta immediatè sequētia quæ moventur, dum anteriora quiescunt penetrarentur cum illis, nam accideret ad eorum locum, à quo tamen illa tunc non recederent, sed antea erant proxima illi loco & punctis, ergo jam erunt intimè cum illis penetrata.

IV.

Alij respondent, nec equum, nec testudinem sistere, sed equūm motu non transire omne spatium inter 3 medium.

Hoc argumento pressi aliqui respondent, nunquam quiescere minorem circulum in rota, moto majori, nec etiam sistere testudinem, sed semper acquirere novum spatium, equum tamen, & circulum majorem, ac res omnes quò celeriùs moventur, eò acquirere dicunt *ubi* distantius, nō acquirendo propinquius, seu non transeundo per medium: quò autem res tardiùs movetur, eò, inquiunt, acquirit *ubi* propinquius. Sed contrà primò, ergo quidquid movetur, semper hoc modo movetur, non transeundo per medium, cùm nunquam detur motus tam velox, vel tardus, ut non possit dari alius eò velocior vel tardior. Contrà secundò, negatur communiter actio in distans naturaliter, si autem possit quid producere ubicationem in distante, quidni calorem etiam & frigus? Deinde vix videtur concipi posse quomodo corpus aliquod possit naturaliter ire in remotum non transeundo per medium. Contrà tertiò, nullus jam motus esset continuus, sed omnis discretis, cùm fieret in spatiis discretis, non continuis.

Variè refellitur hæc responsio.

V.

Experientia ostenditur res non moveri in distans, transeundo per medium.

Contrà quartò, dum movetur circulariter globus aut truncus aliquis rotundus, in instrumento e.g. artificis, quo res hujusmodi gyrantur, figatur ex una parte spatij vicini cuspis aliqua acuta, & circumgyretur semel vi magna globus, cuspis illa exscindet undique concavum circulum in globo ad magnam etiam profunditatem, ergo nullæ partes illius globi moventur in distans, non transeundo per medium, sic enim non transirent per spatium illius cuspidis, sed illam eniterent, ergo non exscinderetur circulus ille concavus continuus per totam circumferentiam globi, sed esset hinc inde interruptus.

Alij demum sic respondent, & dicunt non fieri ullam

ullam discontinuationem; sed duplex esse centrum, alterum magnitudinis, alterum motûs in rotâ, & rotam frequenter mutare centrum motûs: sicque aiunt puncta circuli minoris sæpè retrogredi ad loca quæ reliquerant, & hoc modo frequenter eundo & redeundo tantum, inquiunt, conficiunt spatij, quantum puncta circuli majoris.

Tertiò alij respondent esse duplex centrum in rotâ, alterum magnitudinis, alterum motûs.

VII. *Rejicitur hæc responsio.*

Sed contrà primò, jam enim dicuntur puncta minoris circuli æquè celeriter moveri, ac puncta majoris, quod tamen & ab omnibus negatur, & ipsis sensibus patere videtur esse manifestè falsum. Contrà secundò, esto aliud sit centrum magnitudinis, nempe punctum planè in medio rotæ, aliud centrum motûs, nempe punctum illud rotæ quod motis cæteris non movetur, nunquam tamen retrogreditur, punctum circuli minoris, nec mutat centrum motûs, nisi simul retrogrediatur punctum illi correspondens in majori circulo, & mutet etiam centrum motûs, cùm eandem semper cum eo correspondentiam servet, & æqualiter semper distent: ergo non potest regredi punctum circuli minoris, dum progreditur punctum circuli majoris, nisi fiat discontinuatio: ergo non potest punctum circuli minoris conficere tantum spatium, ac punctum ipsi correspondens in circulo majori, cùm quotquot anfractus & deflexiones ex priori centro faciat punctum minoris circuli, easdem deflexiones & deuniones faciat punctum majoris: ergo quantum propter has deuniones crescit circuitus motûs circuli minoris, crescit etiam circuitus majoris; pari enim quoad hoc, passu procedunt, nec crebriùs redeunt ad suum locum puncta minoris circuli, quàm puncta majoris ad suum.

Quoties punctum, ullum minoris circuli mutat centrum motûs, mutare etiam centrum debet punctum illi correspondens in majori.

VIII. *Impugnatur ulterius hæc solutio in motu sphærarum cælestium.*

Contrà tertiò, supponit hæc solutio debere aliquantum laxè aptari rotam axi, ut tantillum saltem spatij relinquatur, licèt vel unicum punctum spatij ad hoc dicatur sufficere. Sed contra hoc est, nam superficies concava unius Cæli tardiùs movetur quàm convexa ejusdem, & tamen ibi nulla est vel minima vacuitas, nec colliduntur inter se cæli, nec se invicem concutiunt, ut volunt hi auctores rotam semper pulsare axem. Contrà quartò, dicunt omnes duos polos Arcticum scilicet & Antarcticum esse duo puncta omninò immota, quæ nec tantillum loco moveantur: capiamus ergo circulum aliquem 20. palmorum, qui est circa polum Arcticum in primo mobili, & alium circulum in eodem cælo qui longiùs distet à polo, sicque in circumferentiâ 100. palmorum, quique priorem circulum in se complectatur, & undique circumdet: in hoc casu puncta minoris circuli non mutant centrum motûs, sed semper æqualiter distant à centro suo, nempe à polo, qui semper est centrum motûs, cum nunquam loco moveatur.

IX. *Saltem Angelus ita movere potest rotam, ut non mutet centrum motûs.*

Quintò, saltem potest angelus ita rotam movere, ut idem semper sit centrum magnitudinis, & motûs: sed quidqnd sit de hoc, notandum, ut suprà diximus, semper quando mutatur centrum motûs puncti inferioris circuli, mutari etiam centrum motûs puncti illi correspondentis in superiori, quod si notetur, semper in suo vigore persistit difficultas.

X. *Efficaciter impugnatur solutio illa de mutatione centri motus.*

Sextò, ponamus pyramidem ex ferro continuam erigi in magnam altitudinem, ita tamen ut in summitate ad aliquot ulnas sit tenuis (eadem penè est difficultas in arbore, dum summitas movetur immoto trunco, vel saltem longè magis quàm truncus) summitas illius pyramidis flectetur hinc inde, & agitabitur vento, & puncta quò altiora, eò per majus spatium movebuntur: hîc autem non potest adhiberi prior solutio, cùm non sit motus circularis: sed planè in suâ vi perstat argumentum suprà positum: ut consideranti patebit.

XI. *Peripatetici se ab hac difficultate multo facilius expediunt.*

In sententiâ autem Aristotelis non ita urget argumentum de motu: propterea enim velociùs currit equus quàm testudo, quod æquali spatio temporis producat vehementiorem motum, & longius spatium percurrat, quàm testudo; ita ut si testudo producat motum ut unum, vel centesimam partem primi gradus, equus producat motum ut sex, & consequenter feratur eodem tempore per spatium centuplo longiùs, quam feratur testudo. Alia multa proponi hic possent contra sententiam Zenonis, sed hæc sufficiant ut ostendatur suas illam habere difficultates, easque inextricabiles. Nunc ad Aristotelis sententiam pergamus.

DISPVTATIO XLV.

Sententia Aristotelis.

SECTIO PRIMA.

Præfertur opinio asserens continuum componi ex partibus & punctis.

I. *Componitur continuum ex partibus & punctis.*

Asserit ergo Aristoteles continuum omne cõponi ex partibus & punctis. Hanc etiam sententiam sequitur D. Thomas & Peripatetici communiter. videtur etiam expressa mens S. Augustini tom. 1. l. de quiet. animæ, in fine cap. 11. & initio 12. ubi expresè docet punctum esse copulationem partium, & per ipsum dividi lineam; unde apertè ponit in lineâ partes divisibiles, & puncta indivisibilia. Hanc sententiam eruditè, ut alia omnia, explicat P. Suarez d. 40. Met. sect. 5. num. 35. acriter etiam eandem propugnat P. Hurt. d. 15. Phy. s. 5. subs. 2. nu. 88. eandem tenent Conimbr. l. 6. c. 2. q. 2. a. 2. Murcia hîc l. 6. d. 1. q. 5. §. Dico secundò, Ruvius. l. 6. Phy. tr. de continuo n. 40. & alij.

Probat Aristoteles; quia *indivisibile additum indivisibili non facit majus:* Probatur, nam indivisibile consequens immediatè alterum debet illud tangere secundùm se totum, ergo illa duo indivisibilia se tangunt adæquatè, ergo unum non est extra locum alterius, ergo duo non occupant majorem locum quàm unum, ergo non faciunt majus.

II. *Probat Arist. quia indivisibile additum indivisibili non facit majus.*

Vis hujus argumenti fundatur in aliâ doctrinâ Aristotelis, nempe *illa se tangere, quorum extrema sunt simul*, nempe intimè penetrata seu simul loco. Et sanè si hoc principium probari efficaciter posset, conveniret evidenter argumentum non posse indivisibile additum indivisibili facere majus, tunc enim aliquid utriusque indivisibilis, ut se tangant, deberet secundùm aliquid penetrari, sed in ijs non est aliquid & aliquid, ergo totum debet penetrari, ergo non occupant majorem locum.

III. *Illa se tangunt, quorum extrema sunt simul.*

Ad hoc Argumentum qui maximè probabiliter respondent, distinguunt duplicem contactum, penetrativum & consecutivum: ad contactum ergo penetrativum requiri aiunt penetrationem, non sic

IV. *Contactus duplex: penetrativus, & consecutivus.*

sic ad consecutivum, sed ad hoc sufficere aiunt, quod ita duo invicem consequantur ut nihil mediet: hunc autem contactum dicunt sufficere ad constituendum continuum.

V. *Præcipua probatio hujus sententiæ est impugnatio sententiæ Zenonis.*

Præcipua ergo probatio hujus sententiæ sumitur ex Argumentis quæ supra Disp. præcedente proposuimus contra sententiam Zenonis præsertim ex argumento illo de motu, de 4. punctis in quadrum digestis, de Pyramide, & alijs nonnullis quorum quædam licèt nonnihil etiam urgeant contra hanc sententiam, longè tamen majorem vim habent contra contrariam.

SECTIO II.

Prænotantur quædam circa partes continui.

I. *Duplex series partium in continuo.*

ANtequam argumenta contra hanc sententiam proponamus, Notandum primò, in sententiâ Aristotelis partes continui esse in duplici differentiâ: aliæ enim sunt partes *determinatæ*, seu *aliquotæ*, nempe illæ quæ in continuo ita habent certam magnitudinem, ut comparatæ ad alias partes similes quas non includunt, sint æqualis cum ijs magnitudinis. Sic in ulna, sunt quatuor palmi, quorum quivis est alteri par, & eum nec inadæquatè includit, sed adæquatè ab eo distinguitur.

Partes determinatæ, seu aliquotæ.

II. *Partes indeterminatæ, proportionales, seu communicantes.*

Aliæ sunt partes in continuo quæ vocantur *indeterminatæ, proportionales*, & *communicantes* (licèt non in sensu strictissimo, de quo posteà) quia scilicet proportione quadam in illas secatur, ac dividitur quantitas aliqua determinata: ut palmus dividitur in duos semipalmos, & in quatuor medietates semipalmorum, & sic deinceps: licèt hæ partes inter se comparatæ sint *determinatæ*, & *aliquotæ*, nam à se sunt adæquatè distinctæ: vocantur autem *indeterminatæ*, quia nullum habent certum parvitatis terminum, sed quacumque minimâ parte assignatâ, etiam à Deo, potest adhuc divisio in minores & minores accipi, & assignari in infinitum. Verè tamen sunt in entitate determinatæ, & constituunt aliquid determinatum.

Cur vocentur indeterminatæ.

III. *Quomodo partes indeterminatæ differant à suâ determinatâ.*

Notandum secundò, has partes indeterminatas, proportionales, & communicantes, si sumantur collectivè, nec inadæquatè distingui à parte suâ determinatâ utpotè quam adæquate constituunt. Si autem pars quævis indeterminata sumatur divisivé, distinguitur à parte determinatâ, à quâ sumitur, non simpliciter, sed secundùm quid, seu tanquam inclusum ab includente, quæ minima videtur distinctio realis, cùm non adæquatè, sed secundùm alteram tantùm partem distinguatur includens ab incluso, ut dictum est in Logicâ.

IV. *Quæ partes sint propriè, & in rigore communicantes,*

Partes autem propriè, & in rigore communicantes, & proportionales, de quibus in præsenti potissimùm est sermo, sunt eæ, quæ non solùm communicant cum toto, id est, entitatem suam ab illo communicant, & accipiunt, sed etiam communicant inter se, ita ut una semper includat partem alterius, sicque entitatem suam partim ab illâ communicat. Hoc modo in una ulnâ viginti aut etiam centum, & mille palmi sunt inclusi, non tamen adæquatè inter se distincti, sed ita ut pars uniscuiusque palmi includatur in alio, ut in figurâ hîc expressâ clarè cernitur, non tamen propterea potest ulna dici 20. aut centum palmorum simpliciter, sed solùm secundùm quid.

Unde manifesta est æquivocatio, cum dicitur sequi in continuo esse infinitas partes simpliciter: sicut enim in unâ ulnâ non sunt 20. aut 100. palmi simpliciter, licèt sint 100. palmi communicantes, & proportionales, idque in omni sententiâ: ita nec in continuo sunt infinitæ partes simpliciter, sed solùm secundùm quid: nec magis posset quis dicere continuum habere infinitas partes simpliciter, quàm ulnam habere centum aut mille palmos simpliciter: Quod tamen nemo diceret, licèt negare nullus possit ulnam habere centum, aut mille palmos, proportionales, secundùm quid, & se invicem ex parte includentes.

V. *Hinc clarè solvitur quo modo non sint infinitæ partes simpliciter in continuo, sed solùm secundùm quid.*

Si quis verò urgeat: saltem partes proportionales sunt infinitæ simpliciter ut proportionales, perinde est atque si quis diceret infinitum secundùm quid in quantum infinitum secundum quid, est infinitum simpliciter: aut si quis diceret ulna habet 100. palmos simpliciter, quia habet 100. palmos proportionales, seu inter se communicantes. Ratio autem horum omnium est, quia partes hujusmodi proportionales & communicantes non sunt simpliciter partes, nec simpliciter distinctæ, sed solùm secundùm quid, ac proinde nec simpliciter infinitæ sed solùm secundùm quid, non enim perfectiùs esse possunt infinitæ, quàm distinctæ; dicere autem esse simpliciter partes infinitas proportionales, est, ut dixi, implicatio in terminis, cùm pars proportionalis sit solùm pars secundùm quid.

VI. *Dicere partes proportionales, ut proportionales esse infinitas, est implicatio in terminis.*

SECTIO III.

Argumenta contra opinionem Aristotelis de continuo.

OBjicies primò: ex hac opinione sequi lineam trium palmorum nunquam posse pertransiri. Probatur, sunt in eâ infinita puncta, & infinitæ partes, ergo nunquam poterunt transiri. Resp. primò, licèt concedatur inclusa esse infinita puncta, & partes in illâ lineâ, adhuc posse pertransiri, cùm in motu, & tempore, quo transitur linea illa, sint similiter infinita puncta, & partes, infinitum autem ab infinito exhauriri nil vetat. Resp. secundò, negando sequelam: ad probationem dico, non esse in lineâ illâ infinitas partes simpliciter, sed solùm secundùm quid, & proportionales, seu invicem communicantes, sicut etiam in lineâ trium palmorum sunt centum palmi secundùm quid, seu proportoinales, & communicantes, non tamen propterea sunt 100. palmi simpliciter: tunc autem solùm est aliquid censendum infinitum, & non posse transiri finito, quando habet infinitas partes simpliciter, seu non se invicem partialiter includentes.

I. *Obj. sequi lineâ trium palmorum nunquam posse pertransiri.*

Duobus medis ostenditur lineam illam pertransiri posse.

Unde dicimus in illâ lineâ solùm sed esse infinitas partes proportionales syncategorematicè, non categorematicè, non quod non omnes illæ partes existant, sed quod non adæquatè, & simpliciter inter se distinguantur, sed tantùm secundùm quid, quia una semper includitur partialiter in aliâ. Cùm ergo eo modo sunt partes quo distinguuntur, & distinguantur solùm secundùm quid, sunt etiam partes, & infinitæ solùm secundùm quid.

II. *In illâ lineâ tantum sunt infinitæ partes syncategorematicè.*

Objicies secundò: sequi in continuo non solùm esse infinitas partes proportionales, & communicantes, sed etiam determinatas, & æquales, adæquatè inter se distinctas. Probatur sequela, dividatur ulna in duas medietates, illæ singulæ in duos palmos, ita ut jam sint quatuor palmi disiuncti in universum: hi deinde dividantur in 8. semipalmos, semipalmi posteà in sexdecim medietates semipalmorum, & sic in

III. *Obj. sequi esse in continuo infinitas partes æquales, & determinatas.*

in infinitum, ergo sunt in continuo infinitæ partes æquales.

IV. *Resp. nullam unquàm assignari partem posse in continuo cui in eo sint infinita similes, seu æquales.*

Resp. nunquam designari posse partem aliquam in ulnâ talis magnitudinis, quantumcunque sit minuta, cui infinitæ in eâ æquales assignari possint, & omninò similis magnitudinis. Si autem daretur infinitum aliquid à parte rei, posset Angelus, signatâ aliquâ mensurâ, ut palmo, unciâ, vel ulnâ, dicere, hîc sunt infinitæ partes huic æquales, quod non potest fieri in palmo, vel ulnâ quantitatis, nec enim potest Angelus assignare partem ullam quantumvis minimam, & dicere sunt hîc infinitæ partes huic æquales, quod tamen ad rationem infiniti est necessarium. Quod verò assignari possint plures, & plures divisiones in infinitum, solùm arguit infinitudinem syncategorematicam: ad categorematicam enim infinitudinem ulteriùs requiritur, ut signari possit pars certæ magnitudinis, & dici esse ibi infinitas alias æqualis cum eâ magnitudinis.

V. *Omni parte continui divisivè sumpta dari potest minor, non omnibus sumptis collectivè.*

Objicies tertiò: vel omni parte continui dari potest minor, vel non potest: si primum, ergo illa pars est indivisibilis, cùm in minores dividi nequeat; si secundum, ergo aliqua pars est in continuo indivisibilis, illa scilicet, quâ minor dari nequit. Resp. si partes sumantur divisivè, nulla est, quâ minor dari non possit, cùm, quacunque assignatâ, seu determinatè sumptâ, dari possit minor. Si verò partes sumantur collectivè, est implicatio in terminis ut detur pars aliqua minor omni parte in continuo, sic enim esset minor seipsâ, cùm illa intra collectionem omnium contineatur.

VI. *Obji. potest continuum dividi in omnes partes, in quas potest dividi, ergo constat ex indivisibilibus.*

Objicies quartò: potest continuum dividi in omnes partes, in quas potest dividi, seu in quas est divisibile, hæc enim sunt synonima, ergo vel illæ partes sunt adhuc divisibiles, vel non: si secundum, ergo continuum componitur ex indivisibilibus; si primum, ergo non est divisum in omnes partes, in quas est divisibile. Resp. distinguendo antecedens; potest continuum dividi in omnes partes, in quas potest dividi, eo modo quo potest, seu in quascunque partes determinatas, concedo antecedens; alio modo, seu in omnes proportionales, & communicantes, nego, in has enim omnes dividi simul non potest, sed tantùm syncategorematicè, seu nunquam in tot, quin in plures & plures dividi possit in infinitum.

Ostenditur quo modo possit, vel non possit dividi continuum.

VII. *Obji. meritum actûs durantis per horam fore infinitum.*

Objicies quintò: sequi meritum actûs alicujus supernaturalis durantis per horam, fore simpliciter infinitum, & consequenter præmium similiter eidem correspondens fore infinitum, nam in quolibet instante meretur, cùm in quolibet possit desistere ab actione, ergo liberè eam continuat; sed sunt instantia infinita simpliciter, ergo etiam meritum & præmium infinita simpliciter. Hoc argumentum Theologicum est, & discuti solet secundæ secundæ, in materiâ de charitate, dum de illius augmento. Resp. tamen nec præmium illud nec meritum fore simpliciter finitum, sed infinitum, & limitatum. Ad probationem dico duplex quasi illic esse meritum conforme tempori, in quo exercetur, determinatum scilicet, & proportionale: tempori ergo determinato correspondet determinatum meritum, & determinato merito præmium similiter determinatum, tempori autem proportionali correspondet meritum proportionale tantùm, & huic præmium similiter proportionale.

Resp. duplex illic esse meritum, correspondens tempori, determinatum, & proportionale.

VIII. *Ostenditur & meritum, & præmium illius actûs esse simpliciter finita.*

Solùm ergo est novum meritum pro instantibus correspondentibus partibus determinatis, quæ simpliciter sunt finita, sicut partes ipsæ quibus correspõdent. Aliud tamen meritum non distinguitur ab hoc, sicut suprà diximus partes proportionales, si collectivè sumantur, non distingui à determinatis, sed in harum singulis infinitas proportionales includi. Tantum itaque arguitur meritum illud, & præmium fore infinita proportionaliter, ut ita dicam, & secundùm quid, seu secundùm partes proportionales, sicut & tempus ipsum, cui correspondent, est infinitum secundùm quid: simpliciter autem & meritum, & præmium erunt finita, sicut partes determinatæ illius temporis, & consequenter puncta determinata illis correspondentia sunt solùm finita.

IX. *Obji. inter primum punctum, & reliqua omnia, quid mediat?*

Objicies sextò: sumamus primum indivisibile in palmo ligni, verbi causâ, inter hoc punctum, & reliqua omnia quid mediat? non punctum quia sumimus ex aliâ parte omnia alia indivisibilia præter primum: non etiam mediat pars, illa enim, si sit pars est divisibilis, ergo habet sua puncta continuativa, ergo pars mediare nequit inter primum indivisibile, & omnia alia: ergo continuum componi non potest ex partibus & punctis.

X. *Resp. non posse hoc modo sumi primum punctum ab una parte, & totam collectionem ab aliâ.*

Resp. negando suppositum, nempe ita sumi posse primum indivisibile ab unâ parte, & omnia alia, seu totam collectionem cæterorum ab aliâ. Cùm enim puncta hæc sint continuativa partium proportionalium, nunquam ita sumi possunt seorsum, ut non semper includantur puncta priùs & priùs in infinitum in partibus proportionalibus. Unde non potest assignari, nec à Deo pars illa indeterminata seu proportionalis quæ mediet inter primum indivisibile, & omnia alia, cùm nulla sit, quæ non plura in se & plura involvat indivisibilia in infinitum.

SECTIO IV.

Præcipua difficultas in opinione Aristotelis.

I. *Difficultas in continuo circa compositionem temporis.*

OBjicies septimò: in tempore necessario sequi instans post instans, seu indivisibile post indivisibile, ergo & in continuo permanente punctum sequi immediatè post punctum. Antecedens probatur, non potest existere pars immediatè post instans, pars enim est essentialiter successiva, ergo habet in se præsens, præteritum, & futurum, sed post instans non potest sequi immediatè præsens, præteritum, & futurum, ergo.

II. *Dicunt aliqui posse partes proportionales continui inter se inadæquatè penetrari.*

Ad argumentum respondet P. Hurt. s. 5. nu. 75. & 80. verum quidem esse nullam partem determinatam posse esse totam simul, sicut nec pars determinata continui permanentis potest penetrari cum aliâ parte determinata: at verò, inquit, partes indeterminatæ & proportionales temporis possunt coexistere simul, & uniri per instans, quod cum utrâque penetretur, & utrique parti inadæquatè coexistat: sicut etiam, secundum ipsum, partes proportionales continui permanentis possunt penetrari quoad locum, & punctum penetrari cum utrâque inadæquatè.

III. *Contrà primò: implicat punctum penetrari inadæquatè cum parte.*

At certè hæc doctrina admodum videtur difficilis: primò, quia inadæquatum quod tangit, & quicum penetratur punctum illud, est aliquid illius partis, ergo est divisibile, cùm nihil sit realiter identificatum cum parte, quod non sit pars, & divisibile, ergo occupat locum extensum, ergo nec inadæquatè potest punctum penetrari cum parte, quantumcunque dicatur penetrari cum minori & minori parte in infinitum, semper enim est pars, quantumvis parva, ergo major puncto.

IV. *Secundò, sequitur indivisibile esse in loco divisibili.*

Secundò, vel penetratur punctum cum totâ entitate reali illius partis, vel non: si ita, ergo est in loco divisibili sicut pars; si non, ergo eadem entitas realis penetratur cum puncto, & non penetratur, ergo ma-

lè ab hujus sententiæ Autoribus negantur præcisiones per intellectum, cum concedant reales.

V. *Sequitur ulterius vel punctum penetrari adæquatè cum parte, vel idem realiter penetrari, & non penetrari.*

Dices; pars est in infinitum divisibilis, ergo potest cum eâ inadæquatè penetrari punctum. Contrà, vel id omne cum quo non penetratur punctum, est realiter distinctum à parte illâ, vel non; si sit, ergo adæquatè penetratur punctum cum illâ parte, cùm nihil realiter identificatum cum ea relinquat non penetratum; si omne, cum quo non penetratur punctũ illud, non sit distinctum ab eâ parte, ergo non penetratur cum toto eo quod est realiter identificatum cum illâ, ergo tam præscindit punctum illud realiter, quàm intellectus præscindit intentionaliter, dum concipit animal, non concepto rationali. Confir. si intellectus conciperet aliquid realiter identificatum cum illâ parte, non concepto alio, præscinderet intentionaliter, sed punctum facit hoc physicè, ergo præscindit Physicè.

VI. *Non magis concipi potest indivisibile identificatũ cum parte, quam hinnibilitas cum homine.*

Tertiò: quia nec mente concipi potest aliquid realiter identificatum cum parte, quod sit indivisibile, non magis quàm concipi potest hinnibile in homine, actus enim præscindens, ut in Logicâ dictum est, non concipit in re id quod non est, sed solùm concipit inadæquatè id quod est. Dices; quidni concipi poterit aliquid indivisibile in parte, conceptu inadæquato, sicut conceptu inadæquato concipitur animal in homine, non conceptu rationali? Contrà, si animal non esset in homine, non posset in eo concipi actu præcisivo, sicut non potest in eo concipi hinnibile, ergo cùm nihil indivisibile sit in parte, non potest ullo actu præcisivo ibi cum veritate concipi, ergo non potest punctum cum illâ penetrari, cùm revera ibi non sit quidquam indivisibile.

VII. *Sequeretur instans temporis esse quid successivum.*

Quartò: in partibus temporis hoc nullo modo dici potest, nulla enim est pars temporis, non formaliter successiva secundùm ultimum sui, & extensa secundùm tempus, ergo quantumcunque minimæ parti temporis, etiam inadæquatè coëxistat, & cum illâ penetretur punctum, debet habere aliquam successionem, ergo est quid divisibile. Dices; sicut duo Angeli penetrari possunt in medio gymnasij, & non in extremis, ita hæ partes proportionales inter se, & cũ puncto. Contrà, est clara disparitas inter duos illos Angelos, & partes proportionales, nam Angeli illi penetrantur adæquatè quoad rem, totus enim unus Angelus penetratur cum toto alio, licèt non penetretur cum illo in omni loco, seu ubicunque est: in præsenti autem dicuntur partes illæ proportionales penetrari inadæquatè quoad rem ipsam, ergo non debet tota realitas illius partis penetrari cum totâ realitate alterius, cujus tamen contrarium contingit in duobus Angelis, ut suprà dictum est.

Disparitas inter penetrationem duorum Angelorum, & partium proportionalium.

VIII. *Quo modo pars temporis dici possit præsens, præterita, & futura.*

Resp. ergo aliter posset partem in continuo successivo, seu tempore (idem est suo modo de continuo permanente) sequi post punctum, non tamen inde sequitur fore simul præsens, præteritum, & futurum, cùm nihil illius partis sit simul, successivè tamen illa pars, quæ priùs erat futura, redditur præterita, & suo modo præsens, cùm nihil dici possit esse præteritum, seu fuisse, nisi ob existentiam præsentẽ, quam aliquando habuit, ergo hæc pars etiam aliquando fuit suo modo præsens, nempe eo modo, quo res successivæ possunt esse præsentes, non tamẽ ita ut propriè possit dici *jam est*, cùm in parte temporis non sit *jam*, seu instans.

IX. *Tempus non est propriè continuum,*

Dices primò; si hoc modo instans interjiciatur inter partes, & non sit in illis, ergo non potest ipsas unire, & consequenter tempus non erit unum per se: quod eò magis urget, quia instans nunquam est quando sunt partes. Resp. cum P. Suar. citato, tempus non esse propriè continuum, sed solùm hoc sensu, quod partes tali ordine se sequantur, intermixtis punctis, & in ipsis etiam fortè punctis elucet aliqua diversitas, inter puncta terminativa, & continuativa nempe quod hæc petant aliam partem sequi, non illa.

X. *In continuo unliones non possunt propriè dici modi.*

In continuo ergo uniones non possunt tam propriè dici modi, cùm non intimè afficiant sua subjecta denominationis, quemadmodum unio Physica informationis afficit corpus & animam, sed solùm hoc sensu sunt modi, quod petant sequi has partes potiùs quàm alias, & sic peculiari modo connectunt has partes inter se: & hoc est esse modos continui, ubi potest nexus esse consecutivè post partes, hæc enim est differentia inter conjunctionem partium informationis, & partium continuationis, quod illa petat unionem per intimam præsentiam, hæc tantum per consecutionem.

XI. *Quodnam sit subjectum unionum continui.*

Dices secundò, non posse assignari subjectum horum indivisibilium, si non subjectentur in aliquâ parte, subjectari autem in parte non possunt, nisi sint illi intimè penetrata. Resp. ut suprà, indivisibilia accidentium subjectari, & educi è potentiâ indivisibilium quantitatis vel materiæ, indivisibilia autem materiæ sunt in nullo subjecto sustentationis, sed creantur à Deo, ut Autore naturæ, quotiescunque duæ partes separatæ continuantur.

XII. *Obji. sequi indivisibile facere majus.*

Dices tertiò; & est præcipua difficultas hinc sequi indivisibile facere majus, nam est extra locum partis, ergo aliquo modo extendit continuum, nam pars & punctum latiùs extenduntur, quàm pars sola, ergo indivisibile facit majus. Dici posset indivisibile non facere majus simpliciter, sed solùm secundùm quid, & *ut quo*, ac indivisibiliter. Quod exinde confirmatur, quia idem est munus indivisibilium intensionis in partibus qualitatis, & indivisibilium extensionis in partibus quantitatis, sed indivisibilia intensionis non faciunt qualitatem, calorem v.g. vel albedinem, magis intensam, ergo nec puncta extensionis quantitatem facient magis extensam, nisi solùm secundùm quid & *ut quo*.

Resp. non facere majus simpliciter, sed solùm secundùm quid.

XIII. *Indivisibilia continui secundùm Aristotelem sunt extra partes.*

Et sanè videtur hæc expressa sententia Aristotelis, nempe indivisibilia esse extra partes, nam affirmat ipse, si duæ tabulæ se tangant, penetratum iri earum superficies, non tamen dicit partes ullas se penetraturas, quantumcunque minores, & minores in infinitum, sed solas superficies, ergo non censet superficies penetrari, vel esse in eodem loco cum ullâ parte, etiam inadæquatè, sic enim si superficies inter se penetrarentur, deberent etiam partes aliquæ penetrari, quod nunquam affirmat Aristoteles.

XIV. *Quæres, utrum duo puncta posita immediatè facerent majus?*

Dices; ergo si ponerentur immediatè, & consecutivè duo puncta, seu indivisibilia non facerent extensionem, quod tamen videtur contra omnem rationem, nam duo occuparent majorem locum quam unum tantùm, ergo facerent extensionem. Resp. primò, negando suppositum, posse scilicet duo indivisibilia poni immediatè consequenter: cùm enim de facto partes spatij imaginarij componantur ex partibus & punctis, si duo indivisibilia collocarentur immediatè, alterum penetraretur inadæquatè cum parte spatij imaginarij, sicque redeunt omnes difficultates superiùs factæ contra sententiam P. Hurt. Secundò, dico in eo casu impossibili duo illa puncta facerent majus, & non facerent: facerent, ut supponitur: non facerent, quia cum sint indivisibilia, solùm facerent majus indivisibiliter, & secundum quid, ac modo sibi proportionato: sicut de indivisibilibus intensionis proximè dictum est, facere scilicet intensionem secundùm quid tantùm, & *ut quo*, idque quantumvis sint intimè penetrata, & unita eidem subjecto.

Resp. primo casum esse impossibilem.

Resp. secundo, in casu illo impossibili, facerent majus, & non facerent.

XV.

Alia est opinio de continuo, quæ scilicet compo-

ni

Opinio de punctis inflatis.

ni illud asserit ex punctis crassis, ut vocant, seu inflatis, & virtualiter divisibilibus: in qua argumenta, saltem Mathematica satis clarè dissolvuntur, sed quia necdum illius probabilitas est mihi planè explorata, tum alias ob causas, plura hîc de ea non subjicio.

DISPVTATIO XLVI.

De Infinito.

in infinito, ut rei, ita difficultatum nullus finis.

COntinuo affine est Infinitum, in quo, ut rei, ita difficultatum nullus est finis, idque in quamcumque nos partem verterimus, sive scilicet cum quibusdam Infinitum admittamus, sive cum aliis negemus: utrique enim paribus fermè argumentis, & suam tuentur sententiam, & contrariam impugnant.

SECTIO PRIMA.

Nonnulla circa Infinitum præmittuntur.

I. *Hæc voces, Æternum, Immensum, infinitum, variè sumuntur.*

CIrca modum loquendi, Notandum, has voces *Æternum, immensum, infinitum*, aliquando sumi impropriè. *Æternum* itaque, ut suprà notavi d. 37. s. 1. n. 4. idem nonnunquam sonat, ac *per longũ tempus durans*: quo sensu Psalm. 75. v. 5. montes vocantur *æterni*: & Exod. 15. v. 18. *Dominus regnabit in æternum, & ultrà. Immensum* etiam sumitur pro amplo aliquo spatio, latè undiq; diffuso. Sic æquor dicitur *immensum*. Nonnunquam etiam idem sonat ac *magnus*, seu *ingens*: sic dici solet immensus labor, immensus dolor &c. *Infinitum* similiter impropriè vocatur id quod est magno numero: sic Eccles. 1. v. 15. dicitur, *Stultorum infinitus est numerus*. Sic in vulgari loquendi modo hominem divitem possidere dicimus infinitam vim auri, aut argenti: & sic de cæteris. Hæc de modo loquendi.

II. *Punctum est infinitum negativè.*

Notandum 2. Infinitum subinde sumi negativè: quo sensu punctum seu indivisibile mathematicum dici solet infinitum, quod nullos habeat fines, cùm nullam habeat extensionem.

III. *Infinitum in essentia est solus Deus.*

Infinitum propriè sumptum, vel est infinitum simpliciter, vel secundùm quid: infinitum simpliciter est infinitum in essentia, hujusmodi autem est solus Deus, cujus proinde proprietates omnes, ut Omnipotentia, Scientia &c. sunt etiam simpliciter infinitæ, cùm proprietates consequantur essentiam. Unde dici solet Deus simpliciter infinitus in omni genere entis, quòd scilicet rerum omnium perfectiones in se infinities perfectiori modo contineat. Alia ergo infinita vocantur cum addito, seu cum particula diminuente, nempè, in uno genere, ut in magnitudine, similitudine &c. quæ tamen non sunt infinita simpliciter, quia aliundè multas habent imperfectiones sibi limitationem afferentes. De his ergo infinitis, utrum sint possibilia necne, hîc in particulari discutiendum.

Deus est infinitus in omni genere suo.

IV. *Infinitum categorematicum & syncategorematicum.*

Infinitum aliud *Categorematicum*, aliud *Syncategorematicum*: illud est, quod actu habet in se infinitudinem, ut linea in infinita protensa. Infinitum *Syncategorematicum* est, quod actu quidem non est infinitum, sed semper ei addi plus & plus potest in infinitum, & sine fine fieri additio: sicut plures & plures creare potest Deus homines, vel Angelos in infinitum. Infinitum Syncategorematicè, est simpliciter finitum, & infinitum solùm in potentia, dicit enim posse plures & plures determinatæ & signabilis quantitatis partes superaddi in infinitum.

V. *In quolibet infinito sunt infinities infinita.*

Ubi notandum, in omni infinito reperiri infinities infinita: unde sicut numerus finitus componitur ex unitatibus finitis, ita numerus infinitus (si fas sit vocare numerum quod numerari non potest) coalescit ex infinitatibus. Ratio à priori est, quia *finitum additum finito, non facit infinitum*; ergo si detur infinitum e.g. in multitudine, seu infinitæ unitates, sunt etiam infinitæ dualitates, infinitę decades, chiliades, myriades, &c. cùm nullæ finitæ dualitates, decades, &c. constituant infinitas unitates. Linea etiam infinita, si dividatur in medio in duas partes, utraque pars erit infinita.

Finitum additum finito non facit infinitum.

VI. *Quo modo definiatur infinitum.*

Infinitum definitur ab Aristot. hîc l. 3. c. 7. *Infinitum est, cujus aliquid semper est extra*: ita scilicet, ut quibuscunque partibus, vel perfectionibus determinatis acceptis, semper restent aliæ similes accipiendæ, saltem in quovis finito tempore. Alij hoc modo illud definiunt: *Infinitum est, quod recensione successiva exhauriri, & pertransiri non potest.* Quæ definitio explicari debet juxta præcedentem.

VII. *Vnum infinitum, non formaliter, sed materialiter esse potest majus alio.*

Solùm addendum, licèt formaliter, seu in ratione infiniti, unum infinitum non possit esse majus alio, cùm infinita omnia quâ talia, sint æqualia, id est, æqualiter infinita, seu unum tam infinitum, quàm aliud: materialiter tamen non repugnare ut unum infinitũ sit majus alio: primò enim si Deus crearet infinitos homines, negare nemo potest creatos esse plures digitos, & capillos quàm homines. Secundò, omne totum est majus sua parte: sed inter infinita, alia sunt tota, alia partes, cùm quævis linea infinita dividi possit in duas partes, ergo. Tertiò, quidni potest Deus producere plures res unius generis quàm alterius? ut si crearet infinitos Angelos, quorum singuli tenerent duos aut tres lapides, tunc plures essent lapides, quàm Angeli.

Si Deus crearet infinitos homines, plures essent digiti, quam homines.

VIII. *Infinito habẽte omnem extensionem possibilem nõ potest dari majus.*

Si tamen infinitum habeat omnem extensionem possibilem in eo genere, in quo est infinitum, ut si moles aliqua corporea in immensum undique diffunderetur, ita ut secundùm aliquam sui partem esset ubiq;, tunc non posset in illo genere dari aliud infinitum majus alio. Idẽ est de infinito durationis: licèt enim secundũ multos in duratione possit unum infinitum, præsertim à parte antè esse majus alio; si tamen habeat omnem latitudinem possibilem in eo genere, non potest dari aliud majus eo: unde si quid sit æternum à parte antè, non potest aliquid à parte antè esse duratione majus illo, sed solùm æquale; cùm in æternitate non sit majus aut minus, prius aut posterius, ut suprà vidimus d. 39. sect. 3. n. 6.

SECTIO II.

Vtrùm creaturæ possibiles sint infinitæ.

I. *Numerus creaturarũ possibilium nõ est finitus.*

COnclusio: creaturę possibiles non sunt tantùm finitæ, sed infinitæ, id est, non est assignabilis certus aliquis numerus creaturarum, ultra quem aliæ & aliæ existere nequeant in infinitũ. Ratio est primò, quia nullum est fundamentum cur certus aliquis numerus vel diversarum specierum, vel individuorum statuatur, ultra quem addi aliæ & aliæ species & individua non possint. Conf. quâ probabilitate

Nullus numerus assignari potest, cùm non sit major ratio unius, quam alterius.

bilitate dici potest numerum hunc esse centesimum potiùs quàm ducentesimum, millesimum &c. Unde non videtur posse cum fundamento determinatus aliquis numerus assignari, cùm non sit major ratio unius, quàm alterius: ergo creaturæ producibiles non sunt in ullo numero finito, sicque infinitæ.

II.

Sententia statuens certum numerum rerum possibilium favere videtur errori Ioan. Huss.

Secundò, sententia statuens certum numerum creaturarũ possibilium favere videtur errori Ioan. Huss damnato in Concil. Constantiensi, sess. 15. qui dicebat, Deum ad certum tantùm aliquem numerum posse animas producere. Licèt autem hi auctores majorem numerum statuant, quàm statuebat hic hæreticus, in hoc tamen cum eo conveniunt, quòd utrique statuant numerum certum: unde si Concilium fuisset celebratum mille annis seriùs, quando numerus etiam animarum ab his auctoribus statutus, fuisset exhaustus, non minùs displicuisset Concilio, si quis tunc dixisset non posse Deum plures animas creare, quàm modò dictum hoc iis displicuit: nec enim hoc nomine improbatus fuit is à Concilio, quod non majorem animarum producibilium numerum assignaverit, sed quod assignaverit ullum omninò numerum certum, & Deo limites quasi præscripserit, quos in animabus creandis excedere non posset. Quod de animabus dicitur, de rebus quibuscunque aliis dici eodem modo debet, eadem enim est omnium ratio.

III.

Si creaturæ possibiles sint finitæ, ægrè explicatur omnipotẽtia Dei.

Tertiò, si res possibiles sint solùm finitæ, ægrè explicatur quomodo potentia Dei, quæ ipsas respicit, sit infinita, sicque omnipotentia non argueret infinitatem in principio, cùm omnipotentia, seu virtus productiva omnium esset tantùm virtus productiva finitorum, & consequenter finita virtus.

IV.

Post certum tempus agentia naturalia, ab omni operatione cessare deberent.

Quartò: non possent esse novæ & novæ cogitationes beatorum in infinitum à parte pòst, sed post certũ tempus priores cogitationes denuò deberent reproduci. Idem est de equo, igne, & aliis rebus, quæ post certum numerum effectuum, vel ab omni operatione cessare deberent, vel equos, & ignes destructos reproducere. Quintò, saltem durationes, cum actionibus earum productivis, debent esse plures & plures possibiles in infinitum, cùm semel destructæ reproduci denuò non possint, utpotè certo tempori essentialiter affixæ.

V.

S. Aug. clarè docet numerum creaturarum possibilium non esse finitum.

Sextò demum, hoc probatur appositissimo ad hanc rem testimonio S. August. l. 12. de Civ. Dei c. 18. ubi de numeris peculiariter loquens, ait in nullo sisti posse, ultra quem alius & alius in infinitum nõ sit possibilis. *Eos quippe*, ait, *infinitos esse certissimum est, quoniam in quocunq; numero finem faciendum putaveris, idem ipse, non dico uno addito augeri: sed quãtumlibet sit magnus, & quamlibet ingentem multitudinem continens, in ipsa ratione, atque scientia numerorum non solùm duplicari, verùm etiam multiplicari potest.* Hæc S. Doctor. De mente etiam S. Augustini hac in parte plura ponentur sect. seq.

SECTIO III.

Vtrùm Deus cognoscat infinitas creaturas possibiles.

I.

Creaturæ possibiles quas Deus cognoscit non sunt in certo aliquo numero finito.

Dico 1. creaturæ possibiles quas Deus cognoscit non sunt in numero aliquo finito. Hæc conclusio iisdem rationibus probatur, quibus illa sect. præced. nullus enim est numerus certus creaturarum possibilium ultra quem Deus plures & plures non cognoscat in infinitum, sicut nullus est numerus certus ultra quem non potest plures & plures creaturas in infinitum producere.

II.

Dico 2. creaturæ possibiles, quas Deus cognoscit, sunt simpliciter infinitæ. Ratio est, quia cùm, ut jam ostensum est, nullus sit numerus finitus ultra quem plures & plures Deus non cognoscat à se producibiles, sunt sine numero, ac proinde infinitæ: ergo actu cognoscit Deus infinita possibilia, cùm illa omnia cognoscat, ergo sunt infinita, non enim res aliter cognoscit Deus, quàm sint. Nec sufficit si quis respondeat cum Durando & aliis nonnullis, convincere hoc argumentum cognosci à Deo infinitas res possibiles syncategorẽmaticè, non tamen categorematicè: vel enim res illæ possibiles sunt simpliciter, & categorematicè infinitæ, vel non: si primum, ergo Deus actu cognoscit infinita categorematicè, cùm necessariò cognoscat actu quidquid est possibile; si secundum, ergo res possibiles in illo statu sunt simpliciter finitæ, & solùm infinitæ in potentia, hoc autem dici nequit, nam ultra totam collectionem rerum possibilium nihil addi potest, cùm omnes in ea contineantur, & quidquid additur, necessariò est possibile, ergo continetur intra collectionem rerum possibilium, ergo possibilia, non solum sunt infinita syncategorematicè, & secundùm quid, id est, finita, quibus fieri possit in infinitum additio, sicut in existentibus, sed categorematicè, & simpliciter, cùm quidquid est possibile, sit de facto possibile, & non solùm in potentia.

Creaturæ possibiles, quas Deus cognoscit, sunt simpliciter infinitæ.

Vltra totam collectionem rerum possibilium nihil addi potest.

III.

Negãt aliqui posse mente concipi collectionẽ rerum possibilium, aut eas vocari omnes.

Respondent aliqui, non dari hujusmodi collectionem creaturarum possibilium, nec posse illas affici termino syncategorematico *omnes*, cùm non sint *omnes*: unde in hac propositione, *Deus cognoscit omnes creaturas possibiles, vel totam collectionem earum*, negant suppositum: dari scilicet omnes creaturas possibiles, aut earum collectionem.

IV.

Deus cognoscit hanc & illam, & illã &c. ergo omnes.

Contra primò, Deus cognoscit hanc & illam, & illam, & idem est de reliquis, ergo cognoscit omnes, nullus enim per *omnes*, vel collectionem, aliud intelligit, quàm istud. Contra secundò, nulla est creatura possibilis, quam Deus non cognoscit, ergo cognoscit *omnes*: hæc enim argumentatio in omnibus aliis rebus valet, ergo gratis dicitur non valere in præsenti.

V.

Deus cognoscit singulas, ergo omnes, cum in re sint idem.

Contra tertiò & præcipuè, cognoscit Deus singulas creaturas possibiles, ut fatentur hi auctores, ergo cognoscit omnes: patet consequentia, nam omnes, & singulæ in re non distinguuntur, ergo quod de his affirmatur, affirmari debet de illis, cum reipsa non sint hæ & illæ, sed eædem: alioqui contradictoria verificabuntur de eodem. Ulterius, hæc creatura, & illa, & illa, & sic de cæteris, adeoque singulæ, sunt possibiles, ergo omnes, alioqui admittent præcisiones physicas, cum tamen negent intentionales.

VI.

Est contra communem usum Philosophorum negare creaturas possibiles posse vocari, omnes.

Contra quartò, quòd dicunt non posse creaturas possibiles affici hac particula *omnis*, est contra communem conceptum & usum Philosophorũ; dicunt enim omnes has & similes propositiones, *omnis homo est animal, omnis leo est rugibilis, omne peccatum est fugiendum*, &c. esse propositiones æternæ veritatis, & sunt veræ secundùm omnes, non de hominibus tantum, leonibus, & peccatis existentibus, sed etiam de possibilibus: unde si Deus tantum creasset unum Angelum, & decrevisset nullum unquam hominem, aut leonem producere, adhuc hæ propositiones in intellectu Angeli essent veræ, & suo modo erant ab æterno in mẽte Divina. Imò postrema propositio, *omne peccatum est fugiendum*, fertur peculiariter ad possibilia, & sensus est, curare omnes debere, ne peccatum ullum ab ipsis committatur, seu tranſeat à statu possibilitatis, ad actum & existentiam: ergo manifestum videtur particulã *omnis* applicari posse rebus possibilibus, seu posse eas vocari omnes.

VII.

Conf. Theologi passim docent, omnipotentiam esse

Theologi passim creaturas possibiles vocant omnes. S. Thomas.

esse virtutem creandi omnia: sic enim loquitur S. Thom. 1.p.q.25.a.3 corp. *Cum*, ait, *potentia dicatur ad possibilia, cum Deus omnia posse dicitur, nihil rectius intelligitur, quàm quod possit omnia possibilia, & ob hoc omnipotens dicatur.* Quod ibidem sæpius repetit. Idem habet 2. cont. Gent. c. 22. n. 2. *virtus divina*, ait, *ad omnia illa se extendit, quæ ratione entis non repugnant.* Et paulò pòst: *Omnia igitur Deus potest, quæ in se rationem non entis (hoc est, Chimæræ) non includunt.* His consonat illud Marci 9. 22. *Omnia possibilia sunt credenti.* Conf. 2. Nihil enim apud Theologos frequentius, quàm Dei scientiam extendere se ad omnia possibilia.

VIII. *S. Aug. creaturas possibiles vocat, omnes, & de eis per modum unius collectionis loquitur.*

Tandem clarissima hac in parte est mens S. Aug. qui creaturas possibiles & infinitas esse asserit, & de eis per modum collectionis loquitur, & terminum *omnis* eisdem frequenter applicat. Et, ut alia omittam, l. 12. de Civ. Dei c. 18. loquens peculiariter de numeris possibilibus, sic habet: *Restat eis ut dicere audeant, &c. quod non omnes numeros Deus noverit. Eos quippe infinitos esse certissimum est, &c.* Et non multo pòst: *Absit itaq;*, ait, *ut dubitemus quòd ei notus non sit omnis numerus, cujus ante ligentia, sicut in Psalmo canitur, non est numerus. Infinitæ ergo numeri &c.* ubi S. Augustinus numeros & *infinitos* & *omnes* vocat, & de eis apertè per modum *collectionis* loquitur.

IX. *Difficilius videtur negare Deum cognoscere omnes creaturas possibles, quam admittere infinitum.*

Manifestũ ergo videtur particulam *omnis* à Theologis & Philosophis, creaturis possibilibus passim applicari, sicque eos *collectionem* in illis agnoscere, Deumq; *omnes*, seu per modum *collectionis* eas noviße. Et certè existimo nihil tam difficilè contra eos afferri posse, qui admittunt Infinitum, atq; est hoc, ut ad illud negandum, cogatur quis dicere Deum omnes creaturas possibiles non cognoscere, maximè si concedatur (sicut hi auctores concedunt, nec videtur negari posse) Deum cognoscere singulas.

X. *Deus per scientiam visionu cognoscit infinita.*

Quæres, utrùm Deus videat etiam scientia visionis infinita, sicut cognoscit infinita scientia simplicis intelligentiæ? Resp. affirmativè cum S. Thom. 1.p. q.14.a.12.corp. & 3.p.q.10.a.2. & 3. de Anima Christi. Quod etiam communiter Theologi docent. Ratio est, quia videt actu Deus per scientiam visionis cogitationes omnes futuras hominum & Angelorum per totam æternitatem: cogitationes autem illæ sunt simpliciter infinitæ, nullum siquidem habent determinatum terminum, sed plures & plures erunt semper in infinitum.

XI. *Quomodo infinitæ cogitationes sunt futuræ.*

Dices; Deus per scientiam visionis non videt nisi ea quæ sunt futura; sed si videat totam multitudinẽ cogitationum quæ nunquam finientur, ergo nunquam omnes erunt, ergo non sunt omnes futuræ, ergo non videt infinitas cogitationes futuras, non enim videt infinitas, de quibus singulis aliquando erit verum dicere *nunc sunt*, ergo aliquę ex illis solum sunt possibiles, & non futuræ. Resp. has omnes cogitationes futuras non in tempore aliquo determinato & finito, sed in æternitate à parte pòst, ac proinde sicut ipsa æternitas à parte pòst est semper futura, & eam Deus videt semper futuram, ita & hæ cogitationes sunt in illa semper futuræ.

SECTIO IV.

Possitne divinitùs dari à parte rei Infinitum Categorematicum.

I. *Agentia naturalia creata producere*

DIvinitùs, inquam, nam non posse naturaliter illud produci, saltè à rebus creatis, videtur certum, cùm limitata sit virtus agentium naturalium, ac proinde ab iis produci Infinitum non potest in entibus completis, in incompletis enim, ut in partibus & punctis cujusvis continui reperiri suo modo Infinitum, jam suprà dictum est disp. præced. unde hoc sensu videtur dari posse linea gyrativa in columna infinitæ longitudinis, & circuli in eadem columna suo modo numero infinito. Præterea, agentia naturalia nihil operari possunt extra hoc universum, cùm supra cœlos nihil sit, *ex nihilo* autem naturaliter *nihil fit*, sed si producerentur infinita entia completa, deberent produci etiam supra cœlos, cum in nullo finito spatio contineri possint, ergo, Si autem à Deo producerentur infiniti ignes, tunc, etiam agentia creata naturalia naturaliter producere possent infinitum, cùm quisque ignis alium posset producere.

infinitum in entibus completis non possunt.

II. *Deum producere naturaliter posse infinitum putãt multi.*

Dixi non posse Infinitum naturaliter produci à rebus creatis, multi enim existimant posse Deum naturaliter producere infinitos Angelos, maximè si inter se penetrentur, imò licèt non penetrentur, cùm sint spatia in immensum undique diffusa, in quibus collocentur.

III. *Prima sententia negat infinitum esse possibile.*

Prima ergo sententia negat Infinitum actu, sive in magnitudine, sive in multitudine esse, vel divinitùs possibile: ita S. Bonav. in 1. d. 43. a. 1. q. 3. Scotus in 2. d. 1. q. 3. Duran. in 1. d. 43. q. 2. Caprol. in 1. d. 43. q. 1. Aureol. in 1. d. 44. q. 1. a. 1. 2. & 3. Albertin. to. 2. de Prædic. quant. d. 4. q. 4. 5. & 6. Valen. 1. p. d. 1. q. 7. p. 3. *§. mihi vero.* Suar. d. 30. Met. s. 17. n. 16. & 17. Ferra. 1. cont. Gent. c. 81. Conim. l. 3. Phy. c. 8. q. 2. a. 3. Rub. l. 3. Phy. tr. 2 q. 3. n. 85. Murcia l. 3 Phy. d. 2. q 3. Fasol. 1. p. q. 7. a. 3. & 4. d. 13. n. 10. Caiet. Sotus, Tolet, Tann. 1. p. d. 2. q. 4. dub 2. n. 4. Oviedo contr. 14. Phy. p. 4. n. 1. quoad corpus infinitè extensum: & alij.

IV. *Secunda sententia docet infinitum esse possibile.*

Secunda sententia affirmat posse per Divinam potentiam dari Infinitum actu. Ita Okam in 2. d. 13. q. un. & quodl. 2. q. 5. Greg. in 2. d. q. 6. Va q. 1 p. d. 26. c. 2. & 3. Hurt. d. 13. Phy. s. 2. & 3. Arriaga d 13. Phy. s. 4. & plurimi ex recentioribus; quam etiam tenet Ovied. cap. 14. Phy. p. 5. & Fasol. quoad multitudinem Angelorum, & intensionem graduum qualitatum.

V. *Probabilius est infinitum nõ implicare. De facto dãtur infinitæ negationes.*

Conclusio: probabilius mihi videtur posse divinitùs dari Infinitum actu, tam in magnitudine, quã in multitudine, & intensione. Ratio est primò, quia nullam involvit contradictionem, ergo non repugnat. Antecedens probatur solutione argumentorum. Secundò, quia de facto datur Infinitum in negationibus tam quoad multitudinem, quàm magnitudinem, & aliquo modo quoad intensionem, ergo. Antecedens probatur, jam non existunt infinitæ entitates possibiles, ergo existunt earum negationes, cùm quovis instante existere debeat a terum ex contradictoriis, seu res aut rei negatio.

VI. *Negationes istæ sunt in immensum undiq; diffusæ*

Confir. negationes istæ ante mundum condi um erant in immensum undique diffusæ, & modò etiam eadem ratione diffundunt ur negationes earum rerum, quæ non existunt, ergo in iis retorquentur omnia argumenta quæ contra Infinitum in magnitudine, & multitudine fieri solent. Hanc existimo præcipuam esse hujus rei probationem.

VIII. *Inter negationes, & res positivas hac in re est omnimoda paritas.*

Dices 1. disparem esse rationem de negationibus & rebus positivis: negationes enim sunt à se, & fuerunt ab æterno, quorum neutrum competit rebus positivis. Sed contrà, hoc quidem rectè ostendit, in omnibus non posse à negationibus ad res positivas argumentum deduci. In præsenti tamen quæstione, omnimoda est inter illas paritas, & planè eadem difficultas.

VIII. *Tres negationes non minùs conficiunt numerum ternarium, quam tres entitates positivæ.*

Dices secundò: negatio extensionis non est extensio nec negatio numeri numerus, ergo non rectè à negationibus argumentamur ad res positivas. Resp. licèt negatio numeri non sit numerus, tres tamen negationes, equi scilicet, leonis, & cervi conficiunt

ficiunt numerum ternarium negationum, non minùs quàm equus, leo, & cervus numerum ternarium conficiunt rerum positivarum. Sic similiter negatio extensionis est, & ab æterno fuit undique diffusa, & suo modo extensa, ubicunque enim non est res, est negatio rei, ut ostendi d. 18. Log. s. 9. ubi negationum naturam plenius discussi.

SECTIO V.

Argumenta contendentia implicare Infinitum.

I. *In scientia Dei omnia argumenta contra infinitum infringantur.*

Antequam argumenta contra Infiniti possibilitatem proponam, notandum, vix quidquam afferri quod ipsimet qui objiciunt, solvere non debeant in scientia, quam habet Deus de rebus possibilibus, sicque in illa omnia eorum argumenta infringuntur. Argumenta etiam quæ proponuntur contra Infinitum in magnitudine & multitudine, solvi ab omnibus debent in negationibus, ut ostensum est sect. præced. n. 5. & 6.

II. *Si daretur quantitas infinitè parva continuum componeretur ex indivisibilibus.*

Objiciunt 1. non potest dari quantitas infinitè parva, ergo nec infinitè magna. Negatur consequentia, si enim daretur quantitas infinitè parva, continuum componeretur ex indivisibilibus, quod supr. d. 44. probavi fieri non posse. Addo tamen, multos concedere cum P. Suario posse dari puncta absoluta, seu quæ existere possint separata à partibus, ut ostendi d. 43. s. 2. n. 9.

III. *Obj. infinitã quantitatem moveri non posse, nec motu, recto nec circulari*

Objicies 2. si dari possit corpus infinitum, ergo poterit moveri, sed non potest moveri, ergo. Probatur minor, nam nec motu recto, nec circulari: non recto, quia infinitè extenderetur corpus illud versus omnem partem, & consequenter repleret omne spatium, ergo versus nullam partem posset moveri; non etiam motu circulari, quia cùm juxta Euclidem, & Mathematicos, quævis duæ lineæ conjunctę in centro, quo longiùs protenduntur, eò magis distent, cùm hîc protendantur in infinitum, distabunt infinitè, ergo corpus illud non poterit moveri circulariter, sic enim infinita distantia inter duas lineas percurreretur, etiam tempore finito, cùm in quovis minimo motu una linea accederet ad locum alterius. Idem est de lineis in corpore illo à quocunque illius puncto in infinitum protensis, si quis neget centrum in Infinito.

IV. *Resp. moveri posse motu recto, cum omne infinitum non sit immensum. Linea infinita, imò in immensum protensa, posset moveri localiter.*

Resp. 1. in probabili sententia admittente unum Infinitum posse esse majus alio, nullam esse repugnantiam ut moveatur corpus illud versus unam aliquam partem: licèt enim sit infinitum, & consequenter occupet spatium infinitum, non tamen est immensum, nec occupat omne spatium possibile. Resp. 2. & ponamus lineam aut funiculum infinitè protensum versus Orientem & Occidentem, imò & occupare omne spatium possibile versus illas partes, quidni tamen moveri poterit versus septentrionem vel meridiem? Quod autem ponitur de motu circulari, ad summum probat non posse moveri omnino corpus illud hoc genere motûs. Tandem dico, etsi concederetur non posse omnino moveri corpus illud infinitum, non tamen sequitur, non posse dari, sicut nec lapidem non posse produci ab æterno, licèt ab æterno moveri non possit. Posset tamen corpus hoc infinitum moveri, etiam circulariter, secundùm quamlibet determinatam sui partem, licèt non totum simul: totum autem, etiam simul, pati potest varias alterationes à Deo, quod sufficit ut dicatur corpus naturale, seu mobile, motu scilicet naturali, & physico, licèt non locali, seu alteratione, non latione.

Corpus infinite extẽsum moveri posset motu alterationis.

V. *Lumen gloriæ infinitum non efficeret comprehensionem Dei.*

Objicies 3. si possit dari Infinitum, ergo & lumen gloriæ infinitæ intensionis, ergo si illud infundatur animæ, aut Angelo, videbit omnia in Deo, & ipsum comprehendet. Confirm. si creari posset corpus infinitum, ergo & forma substantialis infinita, sed hæc implicat, ergo & corpus. Resp. esto produceretur lumen gloriæ infinitum, & infunderetur animæ, sicut de facto putant multi gratiam habitualem, & lumẽ gloriæ in Christi anima esse infinitum, non tamen sequitur vel cognitum iri omnia in Deo, vel Deum comprehendendum, cùm non cognosceretur Deus quantum cognoscibilis est, ne extensivè quidem, cùm lumen illud esse possit de quibusdam tantùm objectis, non de omnibus. Multò minùs cognosceretur Deus quantum cognoscibilis est intensivè. De quo plura cùm de natura comprehensionis.

VI. *Produci potest materia infinita sine ulla forma. Forma item infinita, & corpus simplex.*

Ad confirmationem, dico primò, non esse necessarium ut producatur forma substantialis infinita, creata materia infinita: quidni enim creari possit materia, vel quantitas sola infinita? Deinde, quare non possit produci forma aliqua substantialis, saltem rei non viventis (de vivente enim est peculiaris difficultas, ob nutritionem) infinita, ut ignis, aquæ, aëris, cœli? &c. Tertiò, quare produci nequit corpus simplex infinitum?

VII. *Infinitum cadere potest sub intentionem determinatam, & habere figuram.*

Objicies 4. ad probandum implicare infinitum: primò, quia quidquid producitur, cadere debet sub intentionem determinatam. Secundò, debet habere aliquam figuram. Tertiò, ob auctoritatem Aristotelis. Sed hæc non obstant. Non primum: potest enim Infinitum cadere sub intentionem determinatam, actum scilicet, quo Deus ad suam potentiam ostendendam vult illud producere. Non secundum: nego enim non posse Infinitum habere figuram similiter infinitam, & sibi proportionatam. Ad tertium dico, in quæstionibus supra naturam, non esse multum curandam auctoritatem Aristotelis, ut potè qui nullius rei supernaturalis notitiam habuit.

VIII. *Negãt aliqui Infinitum, claudi posse intra duos terminos: ij concedunt.*



Objicies 5. ponamus duas lineas esse hîc conjunctas in puncto, & protendi utramque in infinitum instar pyramidis, ita scilicet, ut paulatim magis & magis inter se distent, tandem ergo distabunt inter se infinitè: ducat ergo Deus lineam transversam in fine duarum linearum, seu basi, ab una linea ad alteram, tunc spatium interjectum erit infinitum, & tamen claudetur terminis, ergo. Qui negant posse infinitum claudi intra duos terminos, dicent non posse Deum ducere lineam transversam in fine duarum linearum, cùm finem non habeant, nec videre eum ubi desinant, sed quocunque loco assignato videt illas infinities & infinities ulteriùs protendi. Qui verò dicunt posse Infinitum claudi intra duos terminos, admittunt casum, nec quidquam in eo reperiri asserunt incommodi, de quo tamen postea.

IX.



Objicies 6. & difficiliùs: quia in hujusmodi pyramidali figura in infinitum protensa, cujus cuspis sit hîc, ducatur linea intra unum palmum cuspidis, linea illa erit unius palmi, post intervallum alterius palmi ducatur alia linea, illa erit duorum palmorũ, & hoc modo in infinitum duci possunt lineæ, quæ se invicem excedent per unum palmum, ergo linea transversa terminativa, seu basis erit infinita, & non erit: erit, quia cùm lineæ illæ

pro-

protendantur in infinitum, & consequenter infinitè distent, linea illa necessariò erit infinita: quòd autem non sit infinita; inde videtur clarè ostendi quia uno tantùm palmo excedit lineam sibi proximam finitam. *finitum* autem *additum finito* secundùm omnes *non facit Infinitum.* Quòd autem sequatur, aliquam ibi lineam necessariò fore finitam & infinitam, ulteriùs probatur, nam linea aliqua transversa infinita necessariò sequitur immediatè aliquam finitam, cum non sint interruptæ lineæ, ut supponimus. Deinde, in ipsis lineis finitis vel assignari potest ultima, vel non: si non, ergo sunt infinitæ lineæ finitæ invicem se uno palmo excedentes in longitudine, ergo aliquæ ex lineis illis sunt infinitæ, cùm infinities excedant primam, quæ solùm est unius palmi.

Sequi hinc videtur unam aliquam lineam esse finitam & infinitam.

X. Eadem difficultas proponi potest in numeris, qui unâ tantum unitate se excedunt, ergo in Infinito multitudinis erunt infiniti numeri finiti, vel dari debet ultimus finitus, & cui, si vel una unitas addatur, fiet infinitus, quod omnes jure censent impossibile, cum, ut sæpè dictum est, infinitum additum finito, non faciat Infinitum.

Sequeretur similiter esse unum aliquem numerum finitum simul, & infinitum.

XI. Hæc est præcipua difficultas in hac materiâ, cui docti quidam recentiores admittentes nobiscum Infinitum, fatentur omnino responderi non posse, nec aliam exhibent solutionem. Resp. tamen primò, hoc argumentum solvi ab omnibus debere in negationibus, quæ, cum undique sint in immensum diffusæ, habent suo modo puncta, lineas, & superficies, ergo inter duas hujusmodi lineas in iis assignabiles, sunt aliæ transversæ, modo in argumento proposito. Secundò, urget eodem modo in lineis hujusmodi quas Deus videt possibiles. Tertiò, in æternitate à parte antè, & in tempore imaginario, quod jam inde ab æternitate paulatim fluxit: nulla enim est hora longior aliâ, & tamen tandem faciunt infinitum tempus imaginarium, & idem fuisset, si tempus etiam verum infinitum à parte antè fuisset transactum.

Solvi hæc argumenta ab omnibus debent in negationibus

Solvi etiam debent in æternitate à parte antè.

XII. Resp. ergo, nullam esse assignabilem lineam finitam cui proxima sit infinita excedens illam tantum uno palmo, nec videri hujusmodi aliquam lineam à Deo, nec enim videri potest à Deo, quod non est, sed quacumque finitâ assignatâ, non potest dici determinatè quod lineæ interjaceant inter illam & lineam aliquam infinitam. Sicut ergo in tempore imaginario elapso non possunt ita certò assignari dies, vel horæ sibi invicem succedentes, ut omnes fateri debent, ita nec hîc lineæ aut numeri, sed modo longè confusissimo componitur tam unum Infinitū quàm aliud, nec eadem claritas spectanda est in re aliquâ infinitâ, atque in finitâ.

Infinitum modo longè confusissimo componitur.

XIII. Objicies septimò: si dari possit Infinitum in intensione, ergo & gravitas infinitè intensa, ergo motus lapidis dari poterit in instante, cùm secundùm proportionem potentiæ motricis semper fiat motus. Confir. gravitas illa produceret motum infinitè velocem, ergo moveret lapidem in instante. Conf. secundò, poterit Deus applicare simul infinitos Angelos ad eundem lapidem, ergo tunc movebunt lapidem illum velocitate infinita. Ad argumentum, admissis cæteris, negatur posse esse motum lapidis in instante, foret namque in duobus locis simul.

Obii. concesso infinito, dari posse motum in instante.

XIV. Ad primam confirmationem dico, gravitatem illam producturam motum solùm finitè velocem, ob rationem jam dictam, quia scilicet statueret lapidem in duplici loco totali. Eodem modo resp. ad secundam confirmationem. Deinde, omnes illi Angeli simul, non haberent virtutem motivam infinitè intensam, sed infinitam solùm extensivè, non intensivè. Secundò, fortasse non refugiet aliquis concedere in casu illo miraculoso lapidem statui posse simul in duobus locis, sicque gravitatem illam producturam motum infinitè velocem.

Quare concesso infinito, motus non fieret in instante, nec esset infinitè velox. Alia responsio.

SECTIO VII.

Solutione cujusdam difficultatis magis declaratur natura Infiniti.

I. Objicies octavò: si detur Infinitum, sequitur, totum non esse majus suâ parte, ergo dari nequit. Antecedens probatur, in quolibet enim Infinito sunt non tantùm infinitæ unitates, decades, chiliades &c. sed etiam infinitæ infinitates, ut suprà dixi sec. 1 n. 3. In qualibet itaque infinitâ parte Infiniti sunt infinities infinita, sed non est plus in toto Infinito, ergo totum Infinitum non est majus quacunque parte suâ infinitâ.

Obii. sequi totum non esse majus sua parte.

II. Conf. hinc sequitur, si crearentur infiniti lapides palmares, & infiniti bipalmares diversâ serie juxta se invicem longo ordine positi, sequitur, inquam, seriem lapidum palmarum æqualis fore magnitudinis cum serie bipalmarium, cùm in infinitate lapidum palmarium contineatur omnis numerus palmorum excogitabilis, sed plus non continetur in numero bipalmarium, ergo. Conf. secundò, si crearentur infiniti homines, quorum singuli alterâ manu tenerent unum aureum; hi, si aureos illos in unum cumulum conjicerent, possent singuli ex illo cumulo denuo sumere tres, quatuor, centum, imò infinitos aureos, cùm illic sint aurei infinities infiniti. Hoc autem videtur manifestè falsum: fieri enim nequit, ut qui singulos aureos in cumulum injecerint, plures tollant quàm injecerunt, cùm aurei per injectionem illam non sint multiplicati.

Infiniti lapides palmares, &c. quales essent infinities bipalmaribus.

Difficultas ex infinitis aureis in unum cumulum conjectis.

III. Conimb. l. 3. Phy. c. 8 q. 2. a. 4. §. *Pro explicatione*, asserunt principium illud *omne totum est majus suâ parte*, in numero tantùm finito locum habere, non in infinito. At sanè hoc apertè videtur falsum: totum enim, tam in numero infinito, quàm finito partem includit, & aliud ei superaddit. Et, si Deus lineam produceret hinc protractam in infinitum versus Orientem, deinde aliam ei uniret hinc productam in infinitum versus Occidentem, evidens est utramque simul esse longiorem alterâ, cùm in infinitum ab utrâque parte extendatur, quod neutri parti sigillatim sumptæ competit. Unde satius esset millies negare Infinitum, quàm ex illius concessionem in eas angustias redigi, ut cogatur quis principio tam manifesto, ipsoque lumine naturæ noto refragari.

Concedunt Conimbri. in infinito totum non esse majus suâ parte.

Reiicitur hæc responsio Conimbri.

IV. Fasolus 1. p. l. 1. q. 7. a. 3. & 4. dub. 6. n. 1. ut huic argumento respondeat, ait si admittatur infinitum in multitudine, posse dari multitudinem semel tantùm infinitam, id est, in qua sint tantùm infinitæ unitates, non infiniti numeri binarij, aut ternarij, citatque pro eâdem sententia Mayronem in 1. d. 43. a. 2. fine & Baconum in 2. d. 1. q 6. a. 2. ad 2.

Fasolus concedit infinitum, in quo non sint infiniti numeri binarij.

V. Sed contrà, in infinito illo ex solis unitatibus compacto vel sunt infiniti numeri binarij aureorum, vel non: si sint, ergo non sunt semel tantùm in eo infinitæ unitates, sed bis, sicque in cumulo illo non est semel tantum infinitum: si non sint in eo infiniti numeri binarij, ergo tantùm sunt finiti, hoc autem implicat, ex binariis etenim finitis confici nequeunt unitates infinitæ, ut est manifestum. Conf. sequeretur infinitum posse à finitis exhauriri, si enim in illo semel infinito, sint tantum finiti binarij, finiti homines accedentes possent cumulum illum exhaurire: imò unus aliquis finito tempore & finitis acceptionibus id posset, si singulis vicibus duos, decem, aut centum aureos auferret. Implicat ergo Infinitum illud simplex, seu semel tantùm infinitum.

Reiicitur, quia ex binariis finitis confici nequeunt unitates infinitæ.

Implicat infinitum simplex seu semel tantùm infinitum.

VI. *In toto infinito sunt sæpiùs infinities infinita, quam in tullâ ejus parte, etiam infinitâ.*

Ad argumentum ergo n. 1. propositum Resp. in quavis parte infinitâ infiniti esse infinities infinita. Hinc autem non sequitur, totum non esse majus suâ parte: licèt enim in quavis parte infinitâ sint infinities infinita, & in toto similiter infinities infinita, in tota tamen sæpiùs, imò infinities sæpiùs sunt infinities infinita, quàm in ullâ ejus parte, etiam infinitâ. Quod illi ipsi qui hoc nobis opponunt, concedere de facto debent in continuo: in quovis enim palmo, imò digito ligni ulnaris sunt secundùm illos infinitæ partes proportionales, vel, ut aliqui ex iis loquuntur, plures & plures partes infinitum sine ultimâ: malè tamen secundùm ipsos quis hinc intulerit palmum, aut digitum ligni esse æqualem ulnæ: dicent enim, in ulnâ sæpiùs esse plures & plures partes sine ultimâ, quàm in palmo solo, aut ullâ ejus parte. Idem etiam solvere omnes debent in negationibus, quæ de facto sunt infinitæ. Et per hæc soluta est prima confirmatio n. 2. posita.

VII. *Resp. exemplum infinitorum aureorum.*

Ad secundam confirmationem dico, quantumvis in cumulo illo aureorum sint infinities infiniti aurei, singulos tamen illos homines non posse inde tollere nisi unum aureum. Unde si pars aliqua hominum illorum ita se habeat, ut singuli tollant duos aureos, media pars hominum nullum habebit, cùm tot sint aurei quot homines, nec plures, nec pauciores. Sicut ergo sunt infiniti, imò infinities infiniti homines, qui binos aureos denuo ex illo cumulo tollunt, ita infinities infiniti sunt quibus nihil remanet tollendum. Sic si multi ex hominibus illis tollant singuli quatuor aureos, centum, mille, infinitos, eâdem proportione, tot ex priori illo numero hominum erunt quibus nullus relictus sit aureus, qui tollatur. Hoc proinde non videntur advertisse qui argumentum istud proponunt, nempe, sicut in cumulo illo aureorum sunt aurei infinities infiniti, ita in collectione hominum esse similiter homines infinities infinitos, & pari passu hominum collectionem, & aureorum numerum hac in parte procedere.

Quot ex illis hominibus tollunt duos aureos, tot homines erunt, quibus nihil remanebit tollendum.

VIII. *Dari possunt duo infinita finitè, vel etiam infinitè inæqualia.*

Hinc infertur, sicut dari possunt duo aut etiam plura infinita, in numero (idem est de magnitudine, intensione, &c.) planè æqualia, ut proximè ostensum est, ita posse etiam dari infinita quæ sint finitè, imò infinitè inæqualia: finitè, ut si Deus (manentibus hominibus illis sicut priùs) decem, centum, aut mille aureos cumulo illi adjiceret: infinitè, si eidem cumulo adjiceret aureos infinitos.

IX. *Implicat infinitum quod unicâ tantùm infinitate aliud superet.*

Infertur secundò, licèt possit dari infinitum, quod unicâ tantùm unitate aliud superet, ut in exemplo posito, si Deus cumulo illi aureorum unum tantùm aureum adjiceret, vel etiam demeret; dari tamen nequit Infinitum quod unicâ tantùm infinitate aliud excedat: implicat siquidem infinitum, quod semel tantùm sit infinitum, ut nu. 5. probavi contra Fasolum, ubi ostendi apertam in eo contradictionem involvi.

SECTIO VII.

Utrùm sit possibilis creatura perfectissima.

I. *Status quæstionis.*

QUæstio est, utrùm una, vel plures species creaturarum (si res specie diversæ possint esse in perfectione æquales) sint possibiles tam perfectæ, ut nulla perfectior à Deo produci possit.

II. *Prima sententia negat possibilem esse creaturam perfectissimam.*

Prima sententia ait impossibilem esse creaturam, quâ Deus perfectiorem producere nequeat: ita S. Thomas 1. de poten. a. 2. ad 9. & q. 20. de verit. a. 4. corp. & in 1. d. 44. q. 1. a. 3. corp. Suar. d. 30. Met. s. 17. n. 19. Fasol. 1. p. q. 7. a. 3. & 4. d. 11. n. 13. Hurt. d. 13. Phy. s. 3. Ovied. cont. 14. Phy. p. 7. n. 1. & alij plurimi, tam ex propugnatoribus, quàm impugnatoribus Infiniti.

III. *Secunda sententia ait hujusmodi creaturam non implicare.*

Secunda sententia negat implicare creaturam perfectissimam; unde ait possibilem esse creaturam, perfectionis etiam finitæ, quâ Deus perfectiorem producere non possit: ita Henric. quod l. 5. q. 3. Aureolus in 1. d. 44. q. vni. a. 4. propos. 1. Dur. in 1. d. 44. q. 2. Bacon. in 1. d. 44. q. 1. a. 2. Quam etiam sententiam mordicus defendit Arriaga d. 13. Phy. s. 3. & variis adductis rationibus stabilire conatur.

IV. *Arguit primò: potest producere creaturam perfectissimam, quam potest.*

Ad probandum itaque esse possibilem creaturam perfectissimam sic arguit P. Arria. citatus n. 28. potest Deus producere perfectissimam creaturam quam potest; quæ, inquit, propositio est nimis vera, cùm sit identica: hæc ergo creatura, si producatur, vel est omnium perfectissima quæ produci possunt, vel non: si sit, habetur intentum; si non sit, ergo non produxit Deus perfectissimam quam potuit, cùm alia hæc perfectior sit à Deo producibilis. Hæc ille.

V. *Hic modus argumentandi inefficax est, & variis adductis instantiis refellitur.*

Hic modus argumentandi nunquam mihi visus est efficax, & simili formâ probo posse dari ultimam durationem possibilem à parte post: non sic ostendo. Potest Deus designare durationem Angeli ab hac horâ remotissimam quam potest: Designet ergo hujusmodi durationem, vel illa est ultima possibilis: vel non: non primum, nulla enim est possibilis duratio horaria, ex. g. post quam non sit alia possibilis, si non sit ultima, ergo alia remotior est possibilis, ergo non designavit remotissimam quam potuit. Quod argumentum formari potest etiam in cogitationibus hominum & Angelorum per totam æternitatem à parte post futuris. Similis argumentatio fit in numeris: Deus producere potest maximum numerum finitum, quem potest, vel ergo ille numerus est finitorum omnium maximus, quod implicat juxta P. Arriagam s. 4. n. 54. vel non est maximus, ergo Deus non produxit maximum numerum, quem potuit. Idem est in continuo, siquis sic arguat, Deus dividere potest continuum, quantùm potest, ergo in omnes partes, quod nullus concedet.

VI. *Deus producere potest creaturam perfectissimam quam potest, eo modo quo potest.*

Hæc eò adduxi, ut ostendam hunc modum argumentandi esse fallacem, & argumentum à proponente solvi in aliis plurimis debere: unde quidquid dixerit ipse ad illa, dicent contrariæ sententiæ auctores in præsenti casu, de creaturâ perfectissimâ. Negant ergo possibilem esse creaturam perfectissimam: dicunt verò Deum posse producere creaturam perfectissimam quam potest, eo modo quo potest, nempe perfectiorem & perfectiorem in infinitum, non autem omnium perfectissimam, cùm nulla sit perfectissima, sicut nec possibilis est numerus finitus maximus. Quam responsionem omnes adhibent in potentiâ Dei ad dividendum continuum, ut suprà dictum est, dum de Continuo.

VII. *Arguit secundò: in creaturis possibilibus una est excedens in perfectione, & non excessa.*

Arguit secundò: in creaturis possibilibus omnes non possunt esse excedentes simul & excessæ, sed intermediæ tantùm: una ergo, seu infima est excessa tantùm, non excedens, alia excedens, & non excessa, hæc autem est suprema, & omnium perfectissima, ergo est possibilis creatura aliqua, quam nulla alia in perfectione excedit.

VIII. *Hoc etiam argumentum manifestis instantiis refellitur.*

Hoc argumentum, sicut & præcedens ab ipso Arriaga in variis solvi debet: si enim probet dari creaturam perfectissimam, probat similiter dari numerum finitum, finitorum omnium numerorum maximum. Simili ergo formâ argumentum confi-

cio. In numeris finitis possibilibus non possunt omnes esse excedentes simul & excessi, sed tantùm intermedij: infimus ergo, seu bonarius (*unitas* enim

non

non est numerus, sed principium numeri) est excessus tantùm, & non excedens, reliqui excedentes simul & excessi, unus demum, seu maximus est excedens & non excessus, cùm nullum numerum habeat se majorem, à quo excedatur, ergo datur numerus maximus finitus: quod tamen negat Arriaga d. 13 Phys. s. 4. n. 45. Cùm ergo clarum sit, hoc argumentum non probare dari numerum perfectissimum, quomodo existimare potest ipse, per illud probari, dari perfectissimam speciem?

IX. *Argumentum, quod alibi est sophisma, non potest hic esse solidum.*

Idem etiam est in cogitationibus per æternitatem à parte pòst futuris, ubi siquis simili argumento contenderet non posse omnes esse antecedentes & subsequentes, sed ad unam aliquam tandem perveniendum, quæ sit subsequens tantùm, fatetur Arriaga argumentum esse fallax, & non concludere, ergo nec concludit in præsenti: quo pacto enim hoc argumentum ab eo hìc judicari potest solidum, quod alibi ab eodem censetur merum sophisma? Unde in his & similibus gradationibus negare omnes solent consequentiam, &, ubi proceditur in infinitum, negant posse vel numerum assignari, quo major, & major, vel cogitationem quâ posterior & posterior, vel speciem quâ perfectior & perfectior dari nequeat in infinitum.

X. *Arguit tertiò: in omnibus creaturis possibilibus est summa propinquitas cum Deo.*

Arguit idem tertiò: in creaturis omnibus possibilibus collectivè sumptis summa in perfectione reperitur propinquitas cum Deo, quæ in creaturis reperiri potest, ut est manifestum: nulla enim est creatura quantumvis perfecta, quæ in collectione omnium creaturarum non includatur, ratione cujus major hæc perfectio & propinquitas cum Deo collectioni huic proveniat. Ulteriùs, hæc propinquitas, summa non reperitur in omnibus speciebus, cùm in illis sit inæqualitas in perfectione, *species* enim, ut dici solet, *sunt sicut numeri*, ergo una aliqua species est, ratione cujus collectioni huic creaturarum possibilium conveniat vicinitas illa maxima cum Deo, ergo illa species est reliquis omnibus perfectior, sicque datur creatura perfectissima.

Species sunt sicut numeri.

XI. *Hoc etiam argumentum aquè urget proponentem.*

Contrà: eodem prorsus argumento probaretur dari numerum maximum finitum, quod omnes meritò censent esse implicatorium, sic enim esset possibilis numerus finitus (imò de facto daretur, si Deus crearet infinitum in multitudine, hominum ex g. vel Angelorum) cui si vel una unitas adderetur, fieret infinitus, sicque contra omnes *finitum additum finito faceret infinitum*.

XII. *Ex illo argumento sequitur posse dari maximum numerum finitum.*

Sic igitur eâdem formâ argumentor: in numeris omnibus finitis collectivè sumptis summa reperitur vicinitas cum numero infinito, quæ in numeris finitis reperiri potest, nullus enim est numerus finitus quantumvis perfectus, qui in hac omnium finitorum numerorum collectione non includatur, ratione cujus major hæc vicinitas cum numero infinito proveniat. Deinde, hæc summa vicinitas non reperitur in omnibus, imò nec in ullis duobus numeris finitis, cùm nulli duo numeri sint, ex subordinatis, qui non inæqualiter distent ab infinito: ergo unus aliquis numerus est ratione cujus, collectioni huic numerorum finitorum maxima hæc vicinitas cum Infinito in multitudine conveniat: ergo ille numerus est reliquis omnibus perfectior, ergo datur numerus maximus finitus. Hanc consequentiam negat P. Arriaga, aitque argumentum, quantumvis speciosè contextum, non concludere de numero finito perfectissimo, ergo nec concludit de specie, seu creatura perfectissima. Dicendum proinde, nec numerum, nec speciem ullam esse assignabilem, quibus perfectiores & perfectiores, tam numeri quàm species, non sint possibiles in infinitum.

XIII. *Arguitur quartò Unionem Hypostaticam esse creaturarum omnium perfectissimam.*

Argui potest quartò: unio Hypostatica rerum omnium creatarum videtur perfectissima, præsertim illa (quam possibilem multi putant) quæ omnes tres Divinas Personas eidem naturæ creatæ conjungeret, ergo datur creatura perfectissima. Resp. negando antecedens: plurimi enim asserunt Angelum esse perfectiorem unione Hypostaticâ, licèt enim hæc sit supernaturalis, est tamen quid incompletum, nec est principium effectivum operationum vitalium, sicut Angelus. Unde illud S. Dionysij, *infimum supremi superat supremum infimi*, intelligi debet per se loquendo, & cæteris paribus, ut contingit in ordinibus Angelorum, ubi infimus supremi chori est perfectior supremo chori inferioris. Secundò dico, posse in unionibus ipsis Hypostaticis dari perfectiorem & perfectiorem in infinitum, sicut res ipsæ, creatæ, quibus possunt Divinas Personas conjungere, sunt in infinitum perfectiores semper & perfectiores: ut Angelus est perfectior animâ; Angelus superioris ordinis perfectior Angelo inferioris, & sic deinceps: perfectio autem unionis desumitur, cæteris paribus, à perfectione extremorum.

Infimum supremi superat supremum infimi.

Resp. in ipsis Unionibus Hypostaticis dari possè perfectiorem, & perfectiorem in infinitum.

SECTIO VIII.

Resolvitur quæstio de creaturâ perfectissimâ: & alia circa Infinitum inferuntur.

I. *Conclusio: non est possibilis hujusmodi creatura perfectissima.*

PRobabilius ergo mihi videtur non esse possibilem creaturam hujusmodi perfectissimam. Ratio est, quia nullam video rationem urgentem ad illam astruendam, quæque in aliis multis ab omnibus solvi non debeat: imò ipsemet, qui argumenta ad illius possibilitatem ostendendam proponit, fatetur alibi ea esse fallacia. Cùm ergo nulla sit necessitas eam concedendi, satiùs mihi videtur eam negare, præsertim, cùm illa incommoda ex illius concessione sequantur, quæ vidimus sectione præcedente.

II. *Nec est possibilis creatura omnium imperfectissima.*

Eodem etiam modo dicendum non esse possibilem creaturam omnium intensivè imperfectissimam. Ratio est, quia nullum est fundamentum possibilitatem hujusmodi creaturæ concedendi, nec, sicut in perfectione, ita & in imperfectione, dicendi non esse plures & plures species possibiles in infinitum, & eadem ferè incommoda sequuntur, quæ ex conclusione præcedente.

III. *Non hinc sequitur Angelum habere perfectionem infinitam.*

Dices; hinc sequi, supremum Angelum habere perfectionem simpliciter infinitam, cùm secundùm nos, infinitæ sint creaturæ possibiles illi in perfectione inferiores. Sumamus ergo imperfectam aliquam creaturam, quæ habeat perfectionem ut unum, alia habeat perfectionem ut duo, alia ut tria, & sic deinceps; ergo Angelus ille habebit perfectionem infinitam. Nego consequentiam, nec enim arithmeticè, ut ajunt, crescunt hæ perfectiones, sed geometricè, seu secundùm quandam proportionem: alioqui etiam equus, & formica essent infinitæ perfectionis, cum aliæ & aliæ creaturæ assignabiles sint in infinitum ipsis imperfectiores.

IV. *Ostenditur argumenta calculatoria plerumque esse fallacia.*

Calculatoria ergo hæc argumenta plerumque sunt fallacia: ut siquis arguat, visio objecti perfecti ut unum habet tantum perfectionis, visio objecti perfecti ut duo est priore perfectior, ergo visio objecti infinitè perfecti, seu Dei, erit infinita. Item voluntas dandi unum aureum meretur præmium ut unum, voluntas dandi duos majus adhuc præmium, & sic deinceps; ergo voluntas dandi infinitos aureos merebitur præmium infinitum: omnes

negant consequentiam, licèt infinitæ voluntates dandi unum aureum mererentur præmium infinitum. Ut ergo aliquid in perfectione superet alia infinita, non requiritur ut eorum omnium perfectiones in se contineat, sed ut prædicatum habeat superioris rationis, quo pacto homo per prædicatum *rationalis* perfectior est intensivè infinitis brutis, & rebus inanimatis.

Quid requiratur, ut unum in perfectione superet infinita alia.

V.

Quid sit aliqua crescere proportione Arithmetica, *&* Geometricâ.

Hinc infertur explicatio illius, quod suprà obiter recensui, & frequenter tum in Philosophiâ, tum in Theologiâ occurrit nempe quid sit aliqua crescere *proportione Arithmeticâ*, *& Geometricâ*, quod expedit semel declarasse. Et ut non abeam longiùs, res optimè explicabitur exemplo visionis numero præcedente posito. Visio itaque perfectionem desumit ab objecto, ita ut, per se loquendo, visio objecti perfectioris sit perfectior, non *proportione Arithmeticâ*, ita scilicet ut visio objecti superioris in perfectione eâdem proportione superet visionem objecti inferioris, seu eâdem æqualitate, quâ unum objectum superat aliud, sed *proportione* tantùm *Geometricâ*; id est, ut sicut hoc objectum est perfectius alio, ita etiam visio hujus sit, per se loquendo, perfectior aliquo modo visione alterius, non tamen ut *arithmeticè*, seu pari passu procedat cum objecto. Dixi *per se*, cùm enim cognitio non ex objecto solo oriatur, sed ex aliis etiam principiis, quod deest in objecto, compensari potest aliunde: quare cognitio evidens de igne, aquâ, aut plantâ, est perfectior cognitione probabili de Angelo, & cognitio supernaturalis de rebus quibusdam creatis perfectior videtur cognitione abstractivâ, naturali, & imperfectâ de Deo: & sic de cæteris.

Visio objecti perfectioris est, per se loquendo, perfectior visione objecti imperfectioris.

Quæres, num Infinitum claudi possit intra duos terminos? Nullam video hujus rei pugnantiam; licèt enim haberet fines, non tamen fines qui finiri, vel in quibus ab uno ad alterum finito tempore perveniri posset, quæ est mens Aristotelis, dum dicit, Infinitum pertransiri, seu exhauriri non posse, certum enim est infinitum acervum lapidum exhauriri posse ab infinitis Angelis, ut suprà diximus. Hic ergo finem Infinito, unaque disputationibus Physicis imponemus.

VI.

Claudi potest infinitum intra duos terminos.

Finis Disputationum in octo libros Physicorum.



IN